COSA

EPITOME IURIS CANONICI

MUSEUM LESSIANUM

PUBLICATIONS

DIRIGÉES PAR

DES PÈRES DE LA COMPAGNIE DE JÉSUS

LOUVAIN

SECTION ASCÉTIQUE ET MYSTIQUE

SECTION THÉOLOGIQUE

SECTION PHILOSOPHIQUE

SECTION MISSIOLOGIQUE

Direction : Museum Lessianum, *11, rue des Récollets, Louvain.*
Dépositaire : E. Desbarax, *Libraire, 24, rue de Namur, Louvain.*

MUSEUM LESSIANUM - SECTION THÉOLOGIQUE

A. VERMEERSCH, S. I.
DOCTOR THEOL., IURIS ET IURIS CANONICI
PROFESSOR THEOLOGIAE MORALIS
IN PONTIFICIA UNIVERSITATE GREGORIANA

J. CREUSEN, S. I.
DOCTOR PHIL. ET B. I. C.
PROFESSOR THEOLOGIAE MORALIS
IN COLLEGIO MAXIMO S. I. LOVANIENSI

EPITOME IURIS CANONICI

CUM COMMENTARIIS

AD SCHOLAS ET AD USUM PR

Tomus I

Libri I et II Codicis iuris ca

EDITIO QUARTA

ACCURATE RECOGNITA

MECHLINIAE — ROMAE, H. DESSAIN
SUMMI PONTIFICIS, SS. CONGREGATIONUM RITUUM ET DE PROPAGANDA FIDE
NECNON ARCHIEP. MECHL. TYPOGRAPHUS.
BRUGIS : BEYAERT. | BRUXELLIS : DEWIT.
1929

IMPRIMI POTEST

F. WILLAERT, S. I.

Praepositus Prov. belg.

IMPRIMATUR

Mechliniae, die 16 Septembris 1929

J. VAN CAUWENBERGH, Vic. Gen.

Prodiere :

Prima editio : *iunio* 1921, 4000 exempl.

Secunda editio : *decembri* 1923, 4000 exempl.

Tertia editio : *ianuario* 1927, 6000 exempl.

Quarta editio : *octobri* 1929, 6000 exempl.

Segreteria di Stato
di Sua Santità

Dal Vaticano, 28 Luglio 1923.

REV. PADRE,

Ho il piacere di significarle che il Santo Padre ha ricevuto con vivo gradimento l'omaggio di filiale devozione, che la P. V. Rev.ma ed il P. CREUSEN hanno voluto fargli umiliando al Suo Trono l' « Epitome Iuris Canonici ».

Sua Santità si è compiaciuta nel rilevare la diligenza e lo studio con cui Ella ed il suo confratello hanno cercato di interpretare, anche in questo bellissimo ed utile lavoro, il genuino pensiero della Chiesa nel dare le sue leggi e mi ha incaricato di far giungere loro i Suoi sovrani ringraziamenti, unitamente all' Apostolica Benedizione che di cuore ha loro impartito in auspicio di celesti favori.

Mi valgo intanto della presente occasione per professarmi con sensi di distinta e perfetta stima,

della P. V. Rev.ma
Aff.mo nel Signore,
(Sig.) P. CARD. GASPARRI

Rev.mo Padre
P. A. VERMEERSCH, S. I.
Università Gregoriana
ROMA.

SIGNA FREQUENTIUS USURPATA

AAS = Acta Apostolicae Sedis.
Arch. f. kKR. = Archiv. für katholisches Kirchenrecht.
ASS = Acta Sanctae Sedis.
Can. cont. = Le canoniste contemporain.
CE = The Catholic Encyclopedia.
Coll. P. F. = Collectanea S. Congr. de Prop. Fide, altera editio.
Coll. Brug., Gand., Nam., Torn. = Collationes Brugenses, Gandavenses, Namurcenses, Tornacenses.
Coll. Mechl. = Collectanea Mechliniensia.
D. Ap. = Dictionnaire Apologétique (d'Alès).
D. Th. = Dictionnaire de théologie catholique (Vacant-Mangenot).
Ephem. Th. Lov. = Ephemerides theologicae Lovanienses.
Comm. pro rel. = Commentarium pro religiosis.
KL = Kirchenlexikon.
N R Th. = Nouvelle revue théologique.
Period. vel *Per.* = *Periodica de re morali, canonica, liturgica,* nunc edita Romae, Pont. Univ. Gregoriana, diu sub alio titulo, edita ab A. Vermeersch, S. I.
de Rel. = A. Vermeersch, S. I., De religiosis institutis et personis t. I, 2ª ed. — t. II. 4ª ed.
Rev. eccl. = Revue ecclésiastique de Liège.

Notanda de hac quarta editione.

Etsi in hac quarta primi tomi editione numeri paginarum et marginales iidem remansere, plurima in textu emendata aut addita sunt. In primis ratio responsorum S. Sedis habenda fuit. Dein haud paucis in locis recentiores doctorum interpretationes allegatas admisimus aut minus probavimus. Tandem haud raro stylum perpolivimus.

Faxit Deus ut hoc qualecumque opus nostrum suis lectoribus scientificum subsidium et spirituale auxilium afferat !

Lovanii, die 8 Septembris, in festo Nativitatis B. M. V., 1929.

A. VERMEERSCH, S. I. — J. CREUSEN, S. I.

INDEX ANALYTICUS

INTRODUCTIO GENERALIS

De iure canonico eiusque fontibus

(A. VERMEERSCH, S. I. ET I. CREUSEN, S. I.)

LIBER PRIMUS

Normae generales

(A. VERMEERSCH, S. I.)

LIBER SECUNDUS

De Personis (cc. 87-725)

(A. VERMEERSCH, S. I.)

PARS PRIMA. - De clericis (cc. 108-486)

(I. CREUSEN, S. I.)

PARS TERTIA. - De laicis

(A. Vermeersch, S. I.)



INTRODUCTIO GENERALIS

DE IURE CANONICO EIUSQUE FONTIBUS

A. Vermeersch et I. Creusen

Caput I. - Notio et divisio iuris canonici

Scriptores (1): Devoti, *Institutiones iuris canonici.* — Wernz, *Ius Decretalium*, Praenotiones generales. — Maroto, *Institutiones*, I. 1 ss. — H. I. Cicognani, *Ius canonicum*, I.— Lijdsman, C.SS.R., *Introductio in ius canonicum*, I, n. 1, ss. — Sägmüller, *Lehrbuch des kath. Kirchenrechts*, I, 4a ed. Einleitung. — A. Van Hove, *Prolegomena ad C. I. C.*, n. 27 ss.

1. - Non minus quam societas civilis, immo potiore iure, Ecclesia est **societas perfecta** : in ordine suo sibi sufficit. Quare, sicut in societate civili, ita reperimus in Ecclesia *potestatem* legislativam, iudiciariam et coactivam ; — *leges* quibus membra Ecclesiae ad finem Ecclesiae efficaciter diriguntur ; *ius* quoddam *obiectivum* complexu illarum legum constitutum ; — *scientiam* huius iuris seu ius subiective sumptum ; — *forum*, ubi ius singulis dicitur seu definitur vel sancitur ; — *sanctiones* quibus leges et iudicia veluti complentur ; — iustitiam quamdam externam in facie Ecclesiae, societatis visibilis, quae ex concordia inter civium actiones et leges sequitur.

2. - Porro ius istud, leges nempe Ecclesiae, *obiective* sumptum, *vocatur* **ius canonicum** a saec. VIII° ; dum iam in Conc. Ancyrano (314) et Nicaeno I (325), canones (κάνονες seu regulae) a legibus (νόμοι) distinguuntur quia, potiore titulo quam leges civiles, actiones ordinant ; et ab auctoritate proficiscitur quae magis persuadet quam cogit. — Juxta communiorem usum *ius ecclesiasticum* idem sonat atque ius canonicum. Sunt tamen qui voluerint illo nomine designare leges civiles de materia sacra aut omnes et solas leges in Corpore iuris canonici contentas, etc.

Vocatur ius divinum (2), quia leges ecclesiasticae partim sunt a Deo, ceterae ab auctoritate quae speciali ratione a Deo est constituta, speciali Spiritus Sancti assistentia est munita; et saepe non sunt nisi determinationes legum divinarum.— Dicitur quoque sacrum, *ratione auctoris*, qui Christus est vel auctoritas ab ipso constituta; ratione *materiae*, quae res temporales qua tales excludit; ratione *finis*, qui est sanctificatio animarum. — Dicitur pontificium, proprie per oppositionem ad ius caesareum, improprie a potiore legislatore humano, sine quo nulla lex universalis in Ecclesia vigere potest.

---

(1) In opere isto ad usum magis expedire existimavimus ut paucos indicaremus scriptores qui, sive ante, sive post Codicem argumenta tractanda solide versarunt, quam ut apparatu eruditionis librum gravaremus.

(2) Cf. c. 10, III, 26, *De testamentis* etc. — c. 2, V, 7, *de privilegiis*, in 6°.

3. - Ius canonicum porro definiri potest : *Complexus legum a legitima auctoritate profectarum, quibus societas ecclesiastica ordinatur, vel actiones baptizatorum ad finem Ecclesiae proprium efficaciter diriguntur.*

Duplex itaque est iuris istius obiectum : namque aliae leges societatem ordinant, determinando subiectum et exercitium auctoritatis : hae leges constituunt ius publicum ; aliae a constituta potestate dimanant ut, ad finem societatis obtinendum, actiones baptizatorum, secundum singulorum iura et officia, definiant quales licite esse possint vel necessario esse debeant : et leges istae ius privatum constituunt.

Actiones dicimus *baptizatorum*, ut subditos auctoritatis ecclesiasticae adaequate designemus. *Non baptizati* enim non attinguntur nisi indirecte, idque dupliciter : quatenus in causa communi, v. g. matrimonii, pars infidelis ratione fidelis attingitur ; vel quatenus Ecclesia se aptis sanctionibus ab iis protegit, sicut quaevis societas impedit ne externi ipsi noceant.

Legitima auctoritas vel *toti communitati* vel *parti* ipsius praeesse potest : hinc ius universale a particulari distinguitur.

Finis Ecclesiae *proprius* est *remote* aeterna sociorum beatitudo ; *proxime*, ab aliis dicitur esse iustitia christianorum, maxime in actibus externis relucens (Aichner) (1) ; ab aliis (Tarquini) (2) sanctificatio animarum.

Prior socialem Ecclesiae actionem, alter eiusdem conaturalem in singulis effectum magis considerasse videtur. Ecclesia enim, ut est societas visibilis, socialem istam seu in actibus externis relucentem iustitiam curat quam, per legum observationem et rectum sacramentorum usum, christiani adipiscuntur. Iidem autem simul, iisdem mediis, conaturaliter obtinent proprium bonum sanctificationis animarum, quae est proxima dispositio ad beatitudinem aeternam consequendam. Dici itaque possit, coniungendo utramque rationem, *proximum Ecclesiae finem* esse ut, per iustitiam christianorum, sanctificationem animarum obtineat. Ipsa tamen sanctificatio ab adultis per actus proprios comparanda est. Ecclesiae munus est copiam suppeditare mediorum quibus singuli dein, pro libero arbitrio suo, utentur ad propriam sanctificationem in actu secundo obtinendam. Leges ecclesiasticae aliae, negative removent quae fini obstare possunt ; aliae finem istum positive promovere student.

4. - Comparatio cum iure civili.

1. Omnis lex civilis est humanae *originis* ; in iure canonico leges occurrunt a Christo-Deo promulgatae.

2. *Legislator* civilis potestatem suam a Deo auctore naturae mutuatur ; legislator canonicus est, saltem in suo supremo capite

---

(1) *Compendium iuris ecclesiastici.* Prolegomena, § 3. — (2) *Iuris ecclesiastici publici institutiones*, n. 4.

et fonte, positiva Dei voluntate institutus per missionem quam Christus Apostolis et eorum successoribus usque ad saeculi consummationem contulit.

3. Leges civiles non pertinent nisi ad externam *politiam;* dum leges ecclesiasticae, pro potestate interpretativa quam Deus Ecclesiae suae largitus est, rectam fidem et rectos mores infallibili magisterio etiam definiunt. — Quare sunt *canones fidei,* canones *morum* et canones *disciplinares.*

Canones *fidei* continent veritatem revelatam quam Ecclesia assensui fidelium obligatorie proponit. — Canones *morum* de honestate actionum auctoritative decernunt. — Canones *disciplinares* ea omnia statuunt quibus homo christianus, in societate ecclesiastica bene ordinata, in fide tenenda externe adiuvetur, et agere doceatur quae christianum decent et ad finem suum perducunt.

Definitiones fidei et morum a suprema auctoritate datae, immutabiles sunt et infallibiles ; disciplina ecclesiastica, illa quoque quam supremus pastor decrevit, ad varia tempora et adiuncta prudenter attemperatur. Alii canones disciplinares praecepta divina naturalia et positiva magis determinant : cogita praecepta missae audiendae impedimenta matrimonii ; alii fidem et mores per cautiones et poenas tutantur : cogita leges de censura et prohibitione librorum ; alii demum ipsam societatem ecclesiasticam veluti perficiunt : canones de electionibus, de regimine religiosorum, etc.

Leges tamen ecclesiasticae fidem et mores necnon disciplinam respiciunt in externa sociali manifestatione (Sanguineti, *Institutiones,* n. 59). Et cum non communicemus cum aliis per actus interiores, ne ipsa quidem Ecclesia actus internos directe praecipere potest (cf. infra, n. 62).

4. Denique, dum potestas civilis in unico *foro* exteriore agere potest, Ecclesia, in bonum singulorum, donata est iudiciali et dispensativa quadem potestate fori interni, nomine Dei exercenda, qua absolutione, dispensatione, interna peccata absolvere, interna vota remittere potest. In hoc ipso foro, ubi causa inter Deum et hominem agitur, actus quoque interni praecipi possunt. Sed ad forum externum pertinent leges quibus Ecclesia administrationem fori interni ordinat.

Forum internum dicitur interdum forum *poli* (caeli), forum *conscientiae ;* dum forum externum forum *fori* appellatur. Foro interno respondet iurisdictio quae immediate in bonum singulorum exercetur, dum iurisdictio fori externi bonum commune immediate curat.

Per accidens fieri potest ut sententiae utriusque fori inter se discrepent ut

cum, deficiente probatione, validum pronuntiatur matrimonium quod confessarius, ex paenitentis revelatione, nullum declarare debet (Cf. BENEDICT. XIV, *Inst. can.* 87, n. 50. 51. etc. — c. 44, X, *De sent. excomm.*, V, 39). Per se tamen concordant, et intima relatione coniunguntur. Etenim : *a*) res sacrae, puta sacramenta, effectus habent iuridicos quibus materia iuris canonici evadunt : per baptismum homo fit subditus Ecclesiae ; per ordinationem fit capax iurisdictionis ecclesiasticae ; — *b*) regimen dispensationis rerum sacrarum lege ecclesiastica definitur ; — *c*) praecepta ipsam conscientiam obligant ; — *d*) leges ecclesiasticae cum praeceptis divinis semper congruunt ; — *e*) sanctiones externae Ecclesiae suos spirituales effectus habent, propter quos, praeter obligationem parendi, varia imponunt. Sic excommunicatus absolutionem quaerere debet, ne diutius bonis communionis christianae privetur.

5. - Comparatio iuris canonici cum aliis scientiis sacris.

1. Theologia dogmatica, utpote scientia *speculativa*, de actione humana non est curiosa, sed, *supra tempus*, aeternas veritates a Deo *revelante* accipit, revelatas esse demonstrat, easdemque exponit et vindicat. Ipsa quaerit quid credendum sit.

Theologia moralis et ius canonicum sunt ambae scientiae *practicae* quae homines eorumque actiones considerant, tempus praesens et futurum attingunt ; sed prior de hominibus ut viatoribus, de actionibus in sua conexione cum interna iustitia est sollicita, ad *Deum iubentem* et sancientem attendit, nec praecepta humana curat nisi quatenus obligationem in foro Dei gignunt ; dum in iure canonico, homines sunt socii communitatis catholicae, quorum actiones ab auctoritate sociali reguntur ad finem socialem obtinendum. Sicut theologia moralis, ius canonicum quaerit quid faciendum sit ; sed theologia moralis istud quaerit ut homo placeat Deo, dum ius examinat quid praestandum sit ut civis christianus placeat Ecclesiae et in huius foro exteriore sit iustus. Quocirca scientia moralis non est formaliter in legislatore sed in iudice, cum in foro interno Ecclesia potestate legislativa careat ; dum scientia iuris in legislatore et in iudice reperitur.

Historia *ecclesiastica* non quae facienda, sed quae facta sunt considerat ; homines non ordinat, sed refert quomodo ordinati sint : in praeterito tempore versatur.

2. Theologia *dogmatica*, propter suum principale obiectum, qui Deus est, inter scientias sacras principatum tenet ; ipsi succedit theologia *moralis*, quae hominem ad Deum ordinat. Huic cedit seu inferior est *scientia iuris canonici*, quae iustitiam externam et temporalem prosequitur ; praestat tamen iuri *civili*, quatenus in societate superiore supranaturalis originis versatur. *Historia sacra* demum, cum homines non ordinet, et iuri constituendo adminiculum esse debeat, se sistit infra ius canonicum.

Verum scientiae sacrae maxime inter se sunt amicae. Unde fit ut,

propter rerum conexionem una explicet quod stricte ad alteram pertineat. Principia enim quaedam theologiae dogmaticae et moralis ius canonicum assumit eorumque consectaria evolvit. Optandum tamen ut in scientifica rerum expositione rite inter se distinguantur.

6. - Iuris canonici partitio.

Habet ius canonicum partes quasdam iuris divini, etsi pleraeque sunt iuris humani ; scriptas leges et consuetudines continet : verum haec secundariae tantum partitioni locum dare solent.

1. Principalis iuris canonici divisio ius *publicum* a *privato* dividit. Ius publicum iura et officia *ipsius Ecclesiae* tum interna tum externa, et ordinationem ecclesiasticae iurisdictionis complectitur ; dum ius **privatum** in iuribus et officiis *singulorum* et ordinatione potestatis domesticae vel quasi talis versatur. Cf. dicta iam n. 4. — Sub respectu *finis* immediati potius quam materiae, idem ius *publicum* dicitur quo utilitas publica seu communis directe et principaliter intenditur, ius *privatum* vero quod propter singulorum utilitatem immediate constituitur.

Interdum, magis restricte, nomen iuris publici reservatur legibus *divinis* quibus Ecclesia constituta est, ita ut omnes leges *humanae* nomine iuris privati veniant. Cf. Wernz, I, n. 50.

2. Ius publicum est **internum**, cum ipsam constitutionem Ecclesiae et relationes inter Superiores ecclesiasticos exhibet ; est **externum**, quo relationes inter Ecclesiam et reliquas societates describuntur.

In hac epitome, de solo iure interno, sive publico sive potissimum privato, ex professo agitur. Et quia ius publicum internum simul cum iure privato tradi consuevit, potissima divisio, si usum respiciamus, est iuris *interni* et *externi*.

3. Ius, pro suo ambitu, dicitur :

a) **universale** aut **particulare**. Prius latum est *pro tota Ecclesia* (latina), dum ius particulare sive a legislatore inferiore sive etiam a supremo *pro parte* tantum societatis est constitutum.

b) **generale** aut **speciale**, prout omnes subditos aut classem fidelium immediate regit. Ius religiosorum est speciale.

c) **commune** aut **singulare**. Alterum regulas iuris, alterum exceptiones statuit. Cum ius singulare favorem continet, privilegium dicitur.

In ipso Codice haec verba usu constanti non adhibentur, uti legenti canones 5, et 101 ; 14, § 2 et 83 ; c. 656 et 162, § 1, etc. patebit. Ita in c. 656, religiosorum ius dicitur *speciale* et iuri *communi* opponitur ; leges *particulares* aut *peculiares* opponuntur modo legi *communi*, modo legi *universali*. Quare divisio hic proposita, etsi quod ad rem attinet recta dicenda est, sine respectu contextus urgenda non est (1).

(1) Cf. Falco, *Introduzione allo studio del Codex*, *l. c.*, p. 41, ss.

4. *Historice* demum, ante Codicem, distinguebant ius antiquum, quod alii usque ad decretum Gratiani (1139-1142), alii usque ad Concilium Tridentinum (1545-1563) ducebant. Ius novum pro prioribus erat ius a decreto Gratiani ad Concilium Tridentinum, pro aliis, ipsum Concilium Tridentinum ; ius novissimum alii appellabant ius Tridentinum et subsequens ad nostros dies, alii solum hoc ius subsequens. Quidam, mente potius hostili, ius novum repetebant a falsis decretalibus, quasi hae veterem disciplinam evertissent.

Nunc autem ipse Codex, qui novam aetatem exorditur, can. 6, commune nomen iuris *veteris* omni iuri anteriori tribuit.

Caput II. - De fontibus iuris canonici

Scriptores : Phillips (trad. Crouzet), *Du droit ecclésiastique dans ses sources*, Paris, 1852. — von Schulte, *Die Geschichte der Quellen und Literatur des Canonischen Rechts*, Stuttgart, 1875-1880. — Wernz, *Ius Decretalium*. Tom. I, n. 196-313. — H. I. Cicognani, *Ius canonicum*, I, p. 145, ss. — Lijdsman, C. SS. R., *Introductio in ius canonicum*, I, n. 62. ss. — Van Hove, A., *Prolegomena in C. I. C.*, n. 99, s.

Art. 1. - Notiones generales

7. - Fontes iuris vocari possunt Superiores a quibus ius procedit, a quorum voluntate obligatio oritur *(fontes iuris constituendi)*. Sensu hodie magis usurpato, fontes dicuntur monumenta scripta quae ius vigens referunt, sive singillatim sumpta sive in collectionem redacta, seu *fontes iuris cognoscendi*. Omittentes priorem vim verbi, cum de variis legislatoribus in libris I et II Codicis agatur, hic de monumentis et documentis iuris loquemur. Quia ista monumenta et documenta in varios libros collecta sunt, historia fontium est simul historia collectionum.

Codex iuris canonici est a die 27 maii (Pentecostes) 1917 « authenticus et unicus iuris canonici fons » (1), sc. disciplinae sensu strictiori sumptae prout in universa Ecclesia latina viget. Ante Codicem plurimi eiusdem iuris fontes erant, alii in varios libros sparsi, alii in unum redacti ; quarum collectionum aliae publicae, aliae privatae erant auctoritatis. Ut collectionem authenticam et universalem reperias, ad initium saec. XIII veniendum est, sc. ad editam collectionem Decretalium Gregorii IX (1234). Antea enim, excepta una collectione authentica, at non universali (secunda compilatione antiqua Innocentii III), non erant nisi collectiones privatae, quarum circa a. 1140 universalior, *Decretum Gratiani*, edita est.

Scriptores historiam iuris quod ante Codicem viguit, in tres partes dividunt ; quare de historia fontium agentes, quattuor articulis loquemur : 1° de fontibus iuris ante Gratianum, seu iuris antiqui

---

(1) *S. C. de Semin. et de stud. Univ.*, decr. 7 aug. 1917 (AAS, IX, 1917, 439). *Per.* IX, 64.

(usque ad a. 1140) ; 2° de collectionibus a Gratiano ad Concilium Tridentinum seu iuris novi ; 3° de collectionibus a Conc. Tridentino ad Codicem iuris canonici seu iuris novissimi ; 4° de ipso Codice seu de iure praesenti.

Circa hanc historiam, proponemus accurrate, at breviter ea quibus clerici a multis et minus accuratis notis in schola scribendis liberentur et postea memoriam facile renovare possint.

8. - *Notio et genera collectionum.*

1. Collectio iuris est repertorium legum canonicarum, quod certo ordine et quadam universalitate ius ecclesiasticum tunc vigens exhibet.

Ratione methodi, collectiones sunt vel chronologico vel systematico ordine dispositae. *Systematicus ordo,* etsi in paucis collectionibus admitti coeptus est saec. VI° et VII°, ordini *chronologico* non plene suffectus est nisi post falsas Decretales (saec. IX°).

2. Ratione auctoritatis, sunt privatae vel publicae, prout, ab homine privato confectae, nulla publicae auctoritatis sanctione sunt munitae, vel, contra, publica nota sunt insignitae.

Ipsa publica nota potest esse : simplex approbatio et quasi *permissio, ut* collectio in lucem *edatur :* sic Bullaria. — Potest esse ipsa *textus approbatio,* ita ut pro usu forensi, ille solus admittatur. Sic editio vulgata S. Scripturae ; sic decretum Gratiani. — Vel auctoritas *genuinas* declarat omnes leges in collectione contentas, ita tamen ut earum vim non extendat : sic collectio decretorum S. Rituum Congregationis. — Vel denique, omnibus textibus qui inseruntur, *valorem* tribuit *legis universalis,* sive omnia iura anteriora abroget, sive solis iuribus contrariis deroget. Quartus ille modus interveniendi plenarios effectus iuridicos gignit, ita ut collectio huius modi propriissime authentica seu publica vocetur. V. g. collectio Decretalium a S. Raymundo congesta.

9. - *Quid Codex iuris ?*

Codex *iuris,* sensu proprio, est collectio quaedam *authentica, universum ius* continens, *uno tempore* promulgata, quae proin vim unius legis et efficaciam obtinet. Ita Codex Theodosianus, Iustinianeus. — Nomen istud merebantur, sed numquam habuerunt Decretales Gregorii IX. — Recentiore tempore constitutus est Codex gallicus, italicus, germanicus ; ita nunc Codex iuris canonici.

10. - *Quid Corpus iuris ?*

Corpus *iuris* per se *collectionem* authenticam aut privatam, unam vel multiplicem, sed *completam* legum significat.

Ita Iustinianus priores collectiones iuris romani vocat (1). Glossatores saec. XII° et XIII° omnes collectiones iuris romani in scholis adhibitas eodem verbo vocabant ; sic dictum Corpus iuris romani continebat opus simul didacticum cui titulus, *Institutiones ;* dein libros *Digestorum*, collectis responsis prudentum, quibus Imperator vim legis tribuerat, constantes ; accedebant etiam *Codex Iustinianeus*, et tandem *Constitutiones authenticae* seu *Novellae* variorum Imperatorum.

Desumpta ex iure romano, appellatio ista *Corpus iuris* in iure canonico data primo fuit variis collectionibus, ut Decreto Gratiani, singulis Compilationibus antiquis, collectioni Decretalium Gregorii IX. — Deinde tres authenticae collectiones Gregorii IX, Liber sextus et Clementinae (Cf. infra n. 27) sic collective designatae sunt. — Tandem, in Const. *Cum pro munere*, 1 iul. 1580, Gregorius XIII Decretum Gratiani, Decretales Gregorii IX, Librum sextum, Clementinas, Extravagantes Ioannis XXII et communes, simul sumpta appellavit *Iuris canonici corpus*, qui titulus communis in editione romana a. 1582 nondum legitur, sed in editionibus saec. XVII[i] est potissimum usurpatus.

Art. II. - De collectionibus iuris antiqui usque ad Gratianum (a saec. I° ad 1140*)

11. - Hae collectiones triplici serie proponi solent, sc. 1° collectiones pseudo-apostolicae, seu parvi tractatus et collectiones canonum, quae Apostolis tribuebantur, quo magis eorum auctoritas valeret, re vera consuetudines Ecclesiae primaevae continent ; 2° collectiones quae a medio saec. V° ad IX in Ecclesia orientali compositae sunt : quae enim post istud tempus confectae sunt, nullum propter schisma in Ecclesia latina influxum exercuerunt ; 3° collectiones quae a saec. VI° ad medium saec. XI in Ecclesia latina editae sunt. Initium desumitur a finita aetate Patrum et finis a Decreto Gratiani, quod omnium aliarum collectionum locum brevi sumpsit.

§ 1. COLLECTIONES PSEUDO-APOSTOLICAE

Scriptores : Bardenhewer, *Geschichte der altkirchlichen Literatur*, 3 vol. 2a ed., Freiburg i. B., 1913, ss. — Funck, *Opera Patrum Apostolicorum*, Tübingen, 1901. — Tixeront. J., *Précis de patrologie*, 6a ed. Paris, 1923.

12. - Ad cognoscendam disciplinam Ecclesiae per quinque prima saecula vigentem, praeter quosdam tractatus et epistolas Patrum, tractatus et collectiones canonum pseudo-apostolica consulenda sunt, sc. :

(1) L. un., *Cod.* V, 13.

1° **Doctrina duodecim Apostolorum** (Διδαχὴ τῶν δώδεκα Ἀποστόλων), circa fin. saec. I. Tractatus moralis, canonicus, liturgicus (1).

2° Didascalia Apostolorum, secunda parte saec. III composita. Agit de episcopo, de viduis, de clero, de baptismate, de cultu, de paenitentia et de obligationibus legis Mosaicae (2).

3° Canones ecclesiastici sanctorum Apostolorum (Κανόνες ἐκκλησιαστικοὶ τῶν ἁγίων Ἀποστόλων), a. 250-300 vel paulo post. Agunt de electione episcoporum, de officiis presbyterorum, lectorum, etc. (3).

4° Constitutiones apostolicae (Διαταγαὶ vel Διατάξεις τῶν ἁγίων Ἀποστόλων).

Haec compilatio, octo libris constans elementa quaedam liturgica et disciplinaria retractatis Didascaliae et Doctrinae Apostolorum addit; octavus liber praebet, ut videtur, corruptam retractationem operis S. Hippolyti, sc. *Traditionis apostolicae*, circa a. 218 conscripti. Hae Constitutiones saec. IV° exeunte vel ineunte V° compositae, a Concilio Trullano (a. 692) sunt reiectae; quare pro ipso iure canonico minoris momenti sunt (4).

5° 85 **Canones Apostolorum**, qui de clericis agunt (saec. V° vel VI°). Quinquaginta priores canones in collectionem Dionysii Exigui, saec. VI° assumpti, in multas collectiones canonicas et tandem in Corpus iuris canonici transierunt (5).

6° Testamentum D. N. I. C., ex saec. V°, graece conscriptum, continet varia documenta de vita cleri, liturgia, etc. (6).

§ 2. COLLECTIONES ECCLESIAE ORIENTALIS

13. - In Ecclesia Orientali a saec. VI°, certo exstant collectiones quibus canones praecipuorum Conciliorum iuxta ordinem temporis referuntur. Paulo post coepta sunt colligi de variis materiis (ordo systematicus) tum canones (κανόνες) Conciliorum, tum leges civiles (νόμοι), unde *Nomocanones* istae collectiones dictae sunt. Citanda est duplex collectio a Ioa. Scholastico circa medium saec. VI confecta (*Collectio 50 titulorum* et *Collectio 87 capitulorum*) et *Nomocanon*, ortus saec. VII°, exeunte saec. IX° retractatus, qui a° 920 ut fons iuris in universa Ecclesia orientali receptus est. Addendae sunt collectiones eiusdem generis in variis ecclesiis orientalibus (syriaca, armena, etc.) editae (7).

(1) D. Arch. Lit., v° Didaché. Textus in FUNCK, *Patres Apostolici*², I, p. 2 ss. — (2) FUNCK, *Didascalia et Constitutiones Apostolorum*, Paderborn, 1905, — D. Arch. Lit. v° Didascalie. — (3) ibid. v° Canons apostoliques. — (4) D. Arch. Lit., v° Canons Apostoliques. — (5) Ibid. v° Canons Apostoliques. — (6) Exstat tantum in versione syriaca. — (7) Cf. VAN HOVE, *Prolegomena*, p. 102 ss.

§ 3. COLLECTIONES ECCLESIAE OCCIDENTALIS A MED. SAEC. V° AD A. 1140*

Scriptores : J. DE GHELLINCK, S. I., *Le mouvement théologique au XIe et au XIIe S.* Paris 1914. Chap. I. V.

14. - A medio saec. V° ad 1140, quinquaginta circiter collectiones canonicae scriptae sunt, quarum quaedam in evolvendam Ecclesiae disciplinam maximum momentum habuerunt. Ad intelligendam istarum collectionum compositionem, haec in memoriam revocanda sunt :

1. **Origo.** A medio saec. VI° scriptores non ipsi iam nova excogitant et scribunt, sed excerpendis et compendio retractandis scriptoribus et documentis prioribus contenti sunt. Talia iam sunt opera Cassiodori († 570), Boëtii († 524-526), Isidori Hispalensis († 636), etc. — Opus erat quoque documenta iuris anterioris paucis libris servare nam non facile transcribebantur et emebantur.

2. **Finis** quoque collectionum compositionem explicat, sc. : 1° colligere canones Conciliorum, qui in sequentibus Conciliis recitari et consuli possent ; 2° libris non longioribus cognitionem doctrinae et iuris vigentis magis expeditam facere ad haereses quasdam debellandas, ad ministerium sacrum in paroeciis exercendum, ad definiendam potestatem et iura Superiorum ecclesiasticorum et laicorum.

Collectiones parvis capitibus constant, quae sive partim sive omnes referunt sequentes textus, sc. versiculos S. Scripturae ; textus fere semper satis breves e SS. Patribus excerptos ; canones Conciliorum generalium vel particularium ; excerpta e litteris RR. Pontificum ; statuta quorumdam episcoporum ; leges romanas ; capitularia et leges principum civilium ; dicta scriptorum ecclesiasticorum.

Plerique textus disciplinam referunt, quidam praecepta moralia; nonnulli quoque dogmata praebent.

3. In primis quae scriptae sunt collectionibus, **ordo** *temporis* documentorum servatur ; dein collectionibus chronologicis addita sunt summaria iuxta ordinem rerum facta ; mox sub variis titulis et rubricis omnia capitula *ordine systematico* prolata sunt. A med. saec. IX°, post Pseudo-Isidoriana scripta, ordo rerum fere solus est.

4. Etsi fere omnes collectiones inter se argumentis et forma externa satis similes sunt, magna tamen diversitate exsistunt 1° *delectu textuum.* V. g. quaedam sat multos textus e iure civili, aliae nullum depromunt ; aliae auctoritati Veteris Testamenti multum tribuunt, aliae fere nihil, etc. ; 2° *delectu inscriptionum.* Quidam scriptores multis textibus falsam inscriptionem praeponunt, non ex errore tantum, sed ut legi cuidam maiorem auctoritatem vindicent. V. g. tribuunt Concilio generali canonem Concilii particularis, R. Pontifici sententiam cuiusdam Patris vel scriptoris minoris notae, etc. ; 3° *sententiis et doctrina scriptorum.* Alii enim primatui S. Sedis plurimum, alii minus

favent ; alii caelibatum clericorum vehementius, alii remissius propugnant ; alii disciplinam paenitentialem severissimam, alii mitiorem proponunt, etc.

5. *De* momento *collectionum.* — Collectiones canonicae a saec. V° ad XII tum iuridicum, tum historicum valorem habent ; etenim :

1° disciplinam et liturgiam sive universalem sive localem nobis referunt ;

2° evolutionem doctrinarum, morum et institutorum, notam faciunt ;

3° documenta magni momenti ad historiam dogmatis continent, v. g. de novissimis, de angelis, de primatu S. Sedis, de sacramentis, praesertim de S. Eucharistia, de paenitentia, de matrimonio, etc. ;

4° theologiae dogmaticae illius et sequentis temporis plurimos textus, immo, saltem partim, ipsam disputandi methodum praebuerunt ;

5° multum conferunt ut nonnullas sententias Moralistarum et plura principia vel praescripta canonica temporis etiam recentis melius intelligamus.

6. Divisio temporis. Tria tempora distingui possunt, ob momentum quod scripta spuria saeculi IX[i] obtinent ; sed tertiam periodum, sc. a saec. X° ad Gratianum in tres sectiones dividere licet, quae sive tempore, sive regione quibus collectiones ortae sunt apte distinguuntur.

I. COLLECTIONES USQUE AD SAEC. IX

15. - Post collectiones quae versionem canonum Conciliorum, praesertim Nicaeni et Sardicensis, continebant a med. saec. V° secutae sunt collectiones quibus tum canones Conciliorum orientalium et occidentalium, tum textus quorundam Patrum et excerpta e Decretalibus RR. PP. praebebantur. Mentionem merentur :

1° Collectio Isidoriana seu *Hispana*, sic dicta quia transiit in collectionem Pseudo-Isidori (Hispalensis) et collectio Prisca seu *Itala* ; sunt duae versiones canonum graecorum, in Italia saec. V° ortae.

2° Duae collectiones a monacho Romano Dionysio Exiguo († circa 555) exeunte saec. V° et ineunte saec. VI° scriptae, altera canonum, altera Decretalium (1).

In unum redactae et sub forma auctiori a Papa Hadriano I ad Carolum Magnum missae sunt (a. 774). Quae collectio ideo **Dionysio-Hadriana** dicta est. Maximam nacta est auctoritatem : etenim multi ex eius textibus in Capitularia Francorum et in Concilia provincialia transierunt et procurandae reformationi ecclesiarum Galliae et Germaniae occidentalis inservierunt. Immo eius canones a Gallicanis postea dicti sunt « les anciens canons de l'Eglise de France », quibus potestas R. Pontificis limitaretur.

3° Avellana collectio, scripta in Italia saec. VI°, quae plurimas epistolas RR. PP. et imperatorum romanorum continebat (2).

---

(1) MIGNE, P. L., t. 67, col. 141-316. — (2) *Corpus script. eccl. lat.* (Vindob.), t. 35.

4° Ex collectionibus *Africanis* citandae sunt : **Breviarium canonum** Concilii Hipponensis (a. 393) ; **Codex canonum** Ecclesiae Africanae (a. 393), ortae e consuetudine recitandi in conciliis provincialibus canones Conciliorum anteriorum. — Addendae sunt Breviatio canonum Fulgentii Ferrandi († ante a. 546), diaconi Carthaginiensis et **Concordia canonum**, auctore episcopo Cresconio, circa finem saec. VII (1).

5° *In Hispania* : Capitula Martini, arch. Bracarensis (post a. 563) (2 et **Codex canonum**, citatus in Conc. Toletano IV° (a. 653). Hic Codex, exeunte saec. VII° iuxta ordinem rerum redactus et additionibus auctus, saec. IX° ascriptus fuit Isidoro Hispalensi : unde *Isidoriana* vel *systematica Hispana* dictus est (3).

6° *In Hibernia* : Collectio Hibernensis circa a. 800 scripta, in subsequentes collectiones influxum habuit.

16. - Praeter collectiones canonicas stricte dictas, a saec. VI° ad IX scripti sunt nonnulli libri ad administrationem sacramentorum, ad praxim liturgiae aut fori iudicialis spectantes.

1. *Libri paenitentiales.* Celebriores sunt illi qui in Hibernia et Britannia iam saec. VI° et VII° confecti, in Galliam a monachis immigrantibus allati sunt. Inter eos citandum est Paenitentiale Theodori, quod praeter vera decreta S. Theodori Cantuariensis († 690), alia multa spuria continet. — Isti libri praeter ordinem paenitentiae dant seriem poenarum, quae pro singulis quaeque peccatis imponendae sunt.

His notis distinguuntur : 1° frequenti V. Testamenti usu ; 2° magno numero textuum spuriae auctoritatis ; 3° maxima sua severitate (4).

2. *Collectiones liturgicae.* Imprimis citanda sunt Sacramentaria, ad usum ipsius celebrantis concinnata, quae orationes praefationesque proprias missae et canonem (praeter aliquot caerimonias cum sacro plus minusve conexas) continebant. Praeterea ad liturgiam Sacri pertinebant *Epistolarium, Evangeliarium* et Ordines (libri rubricarum) (5).

3. **Libri Formularum,** qui rationem scribendi et negotia expediendi proponebant. Inter hos Liber diurnus, seu liber formularum cancellariae Ecclesiae romanae inter annos 685 et 752 videtur compositus nec paucas formulas saec. V[i] et VI[i] continet (6).

---

(1) MIGNE, P. L., t, 67, c. 949, ss. — t. 88, col. 829 ss. — (2) MIGNE, P. L., t, 84, col. 574, ss. — (3) MIGNE. P. L., t. 84. — (4) Cf. SCHMITZ, *Die Bussbücher und die Bussdisciplin der Kirche*, 1883. — Hic liber, optimus textuum fons, falsam sententiam de origine Paenitentialium ex pseudo-paenitentiali romano proponit. — P. FOURNIER, *Etudes sur les pénitentiels* (*Rev. hitt. litt. relig.*, 1901-1904). — MIGNE. P. L., t. 89, col, 443. ss. t. 99, col. 927, ss. (5) CE, v° *Liturgical Books.* — DUCHESNE, *Origines du culte chrétien*, p. 124, ss. — KL, v° *Liturgien. Ordines Romani.* — (6) MIGNE, P. L., t. 105, col. 11, ss.

II. COLLECTIONES SAECULI IX

Saeculo IX° distinguenda est duplex series collectionum, quarum aliae authenticae, aliae spuriae sunt.

17. - A. Collectiones *authenticae* principales sunt Libri paenitentiales *gallo-germanici*, confecti ut sufficerentur Paenitentialibus celticis et britannicis, quae a nonnullis Conciliis provincialibus imperii damnata erant ob eorum « certos errores, auctores incertos ». Citanda sunt : *Collectio Dacheriana ; iudicia canonica*, in quibus series peccatorum et paenitentiarum, ut in Paenitentialibus celticis, reperiebantur ; ex illis factum Paenitentiale *Halitgari*, episc. Cameracensis († 831) (1) et duo libri Rabani Mauri († 856) (2). Addenda sunt Paenitentialia tripartita, composita ex iudiciis canonicis romano-francis, Paenitentiali celtico Cudmeani et Paenitentiali Theodori.

Contra atque in libris celticis fiebat, citantur canones Conciliorum et capitula Patrum vel RR. Pontificum, ex collectione Dionysio-Hadriana deprompta, omissis textibus V. Testamenti. — Paenitentialia tamen celtica ex Gallia et Italia non sunt omnino expulsa (3).

18. - B. *Collectiones spuriae* (4).

Eodem saec. IX°, plures prodiere collectiones *spuriae*, ut collectio Capitularia *Benedicti Levitae ; Capitula Angilramni* ; et maxime nota Collectio Pseudo-Isidoriana, quae diu pro authentica habita est atque etiam in Urbe auctoritative allegata (5).

Per plura saecula nulli dubio obnoxia fuit. STEPHANUS TORNACENSIS († 1203) videtur primus eius falsitatem suspectasse, quae saec. XVI° demonstrata est.

1. Compositio. Scriptor, qui venerabile nomen S. Isidori usurpaverat, in prima parte inseruit, post canones Apostolorum, spuria decreta SS. Pontificum a S. Clemente ad Melchiadem. In altera parte usus est collectione Hispana, non genuina sed variis incrementis adaucta. Inter monumenta huius partis reperitur *Donatio Constantini*, quae saltem dimidio ante saeculo iam confecta erat. In tertia parte, praeter alia documenta quae ab Hispana collectione mutuatus est, ad 40 documenta ipse primum supposuit. Plurima ex *Libro Pontificali* deprompsit.

Satis conveniunt docti, opus non in Germania (Moguntiae) sed in Gallia, et quidem non in provincia Rhemensi, sed in provincia Turo-

(1) MIGNE, P. L., t. 105, col, 651, ss. — (2) Ibid., t. 112, col. 1397, ss.

(3) Collectio **Anselmo dedicata**, in Italia superiore sub fine saec. IX scripta, usu et influxu ad periodum temporis sequentem pertinet.

(4) HINSCHIUS, P., *Decretales pseudo-Isidorianae et Capitula Angelramni*, Lipsiae, 1863. FOURNIER, P., *Etudes sur les fausses Décrétales. Rev. Hist. ecclés.*, tt. VII (1906) et VIII (1907).

(5) Textus in MIGNE, PL., t. 130. — Cf. D. Th. v° *Décrétales*. D. A., v° *Décrétales (fausses)*.

nensi ac forte in civitate Cenomanensi, confectum fuisse, inter annos 847 et 852. Disciplinam quidem novam falsarius non introduxit, sed exstantem roboravit, et auctoritate S. Pontificis uti potius voluit quam de illa extendenda cogitavit.

2. Finis. Quia in sua collectione iura Romani Pontificis exaltat, inde Romana Sedes accusata est quod ipsa collectionem confecisset, et tantam quantam cernimus S. Pontificis auctoritatem eius ope fundasset.

Utraque calumnia est hodie explosa et ab ipsis Protestantibus, v. g. Hinschius, confutata.

En quomodo Hinschius, p. ccxvii, scriptoris propositum narrat : « Voluit non solum collectionem fontium ecclesiasticorum edere in quibus contineretur ecclesiastica disciplina sicut singulis in conciliis et in decretalibus genuinis exhibebatur, sed etiam decreta quaedam addere quae ad statum ecclesiasticum, bellis civilibus sub Ludovico Pio filiisque eius gestis corruptum et paene eversum, restaurandum opus esse iudicavit. Itaque parte falsa suae collectionis id perficere voluit quod synodi tunc habitae perficere non potuerunt... Finxit statuta quibus ea quae usque ad id temporis Ecclesiam perturbarant in perpetuum removerentur. »

Propositum scriptoris re vera fuit liberandi Ecclesiam ab usurpationibus laicorum, augendi potestatem episcoporum et praesertim R. Pontificis, imminuta potestate Primatum et Metropolitanum, perficiendi vel denuo instituendi bonum Ecclesiae regimen spirituale et temporale.

Quia RR. Pontifices et Concilia reformationem perficere non poterant vel nolebant, Pseudo-Isidorus usus est mendacio quod illo tempore prorsus aliter atque nunc habebatur, tribuendi sc. variis viris illustribus ea quae potuissent dicere.

3. Influxus iste non est negandus quod iuri consuetudinario vel disciplinae a reformatoribus propositae magnam auctoritatem conciliavit et potestatem R. Pontificis, etsi non multum auxit, saltem multum roboravit.

III. COLLECTIONES A FINE SAEC. IX AD MEDIUM SAEC. XII

19. - In hac periodo tres principales collectionum series distinguere possumus : 1° collectiones *rhenanas*, quarum Decretum Burchardi Wormatiensis principalis est ; 2° collectiones *italicas* saec. X et XI, quarum pleraeque reformationem Gregorii VII praeparant vel promovent ; 3° collectiones *gallicas* seu Yvonis Carnutensis.

1a SERIES. — DECRETUM BURCHARDI ET EIUS FONTES SEU SERIES RHENANA

20. - 1. Collectio Anselmo dedicata, orta ex Italia superiore, sub fine saec. IX[1]. Id habet singulare quod praeter fontes collectiones Dionysio-Hadrianae, item a Pseudo-Isidoro pendet et multos textus iuris Iustinianei ex *Lege romana canonice compta* profert. Ad hanc sectionem pertinet quia Burchardo exemplar fuit ordinis eligendi.

2. Libri duo de synodalibus causis et disciplinis ecclesiasticis,

Auctor eorum est REGINO, abbas Prumensis († 915). Momentum : mores, usus, instituta illius temporis optime refert (1).

3. *Collectarium canonum* seu Decretum, a. 1008-1012 conscriptum cuius auctor est BURCHARDUS ep. Wormatiensis, adiutus a Waltero ep. Spirensi et Olberto, monacho Lobbensi, postea Abbate Gemblacensi (2).

Haec collectio inter alias eminet, quia :

1° exponit universam fere disciplinam ecclesiasticam, in plurimis textibus, sc. 1785 capitibus ;

2° eius ordinatio quam partim ab *Anselmo dedicata* et a Reginone mutuatam perfecit, clarissima est ;

3° sententiae scriptoris propriae sunt moderatae, neutri potestati ecclesiasticae sc. aut civili nimis concedentes ;

4° omissis doctrinis et antiquo iure, disciplinam sui temporis modo practico proponit.

Eius *influxus* maximus fuit usque ad finem saec. XI, ita ut liber XIX huius collectionis seu Corrector, seiunctim transcriptus fuerit ut confessariis manualis esset. A fine saec. XI inclinat fortuna libri, quia Burchardus potestati R. Pontificis non satis favebat, quam hae collectiones maxime tuentur.

2ª SERIES. — COLLECTIONES ITALICAE SAEC. X ET XI

21. - Saec. X° et prima parte saeculi XI^i collectiones, adhuc manuscriptae, praesertim tres, notandae sunt, sc. ms. Vallicellanum, Tit. XVIII ; collectio IX librorum, collectio V librorum.

Notae speciales : Non pendent a Pseudo-Isidoro ; in primam inserta est forma maior collectionis Hibernicae, ita ut Paenitentiale celticum in Italiam spargeretur ; etsi reformationem cleri promovent, nondum primatum S. Sedis extollunt et laicalem investituram oppugnant. Mox collectionibus quae Hildebrando hortante scribentur, locum cedent.

22. - 1. A med. saec. XI° ad initium saeculi XII^i scriptae sunt in Italia variae collectiones quae maximum momentum habent propter delectum suorum textuum. — Hildebrandus nempe, ut reformationem promoveret, adversariis demonstrare debebat disciplinam consuetudine corruptam esse et a veteri Ecclesiae disciplina amotam. Quare clericos quosdam et monachos hortatus est ut hanc demonstrationem pararent inquirendis textibus ex Patribus, veteribus Conciliis, scriptoribus

(1) MIGNE, PL, t. 132, col. 175, 185 ss.

(2) Cf. P. FOURNIER, *Le Décret de Burchard de Worms.* Ses caractères, son influence. *Rev. hist. ecclés.*, *XII* (1911), 451, ss. 670, ss. — MIGNE, PL, t. 140, col. 537, ss.

rerum gestarum, regestis RR. Pontificum et archivis ecclesiarum per totam Italiam, immo ex ipso iure romano. Quo factum est ut, amotis multis dubiae auctoritatis textibus, adducerentur iam novi et ii, saltem plerique, certae et optimae auctoritatis. Ita collectae sunt series textuum, ordine, ut verisimile est, chronologico, qui in collectionibus italicis post med. saec. XI reperiuntur. His inquisitionibus inventio nova textus *Digestorum* deberi videtur, quae a saec. VI° iam non allegabantur.

2. Collectiones huius seriei principales sunt :

1° Collectio in 74 titulis, circa a. 1050 (ms). Multum pendet a falsis Decretalibus, quibus addit praesertim textus RR. Pontificum. Vetera Concilia omittit et Decretum Burchardi omnino neglegit.

2° Collectio Anselmi Lucensis, circa a. 1081-1086, in XIII libros divisa, quae 1281 capitula continet. Reicit plurimos textus celticos, gallicos, germanicos, quibus alios magis authenticos suffecit, ex Patribus, Decretalibus, etc. desumptos. — Ordine universam fere disciplinam refert, praesertim agens de iis quae reformationis indigent. Cum plures quoque textus magni momenti dederit de exemptione monachorum, de Ordinationibus, de potestate coactiva Ecclesiae, in ipsam iuris ecclesiastici evolutionem magnum influxum exercuit (1).

3° Collectio Cardinalis Deusdedit, circa 1083-1087. Etsi minoris momenti ob defectum ordinis fuerit, iura Ecclesiae romanae multum promovit (2).

4° Collectio Bonizonis, ep. Sutrini, scripta post a. 1089, partim adhuc ms.

Eidem seriei addi possunt : **Polycarpus** seu collectio a Cardinali Gregorio (circa a. 1104-1110) confecta, aliaeque adhuc manuscriptae, v. g. Collectio trium librorum, novem librorum, etc.

In Gallia quoque nonnullae collectiones ortae sunt, quae sicut priores manuscriptis documentis continentur ; in Hispania, collectiones **Caesaraugustana** et **Tarraconensis**, quae iam ab Yvone pendent. Ex ista videmus ius a Burchardo relatum cum iure reformationis, quale collectione 74 titulorum exstat, in Gallia meridionali fuisse commixtum.

3a SERIES. — COLLECTIONES YVONIS CARNUTENSIS SEU SERIES GALLICA

23. - 1. Collectiones Yvonis Carnutensis episcopi sunt tres. sc. Tripartita, adhuc manuscripta ; Decretum (3), quod in 17 libris 3760

---

(1) P. Fournier, Les collections canoniques romaines de l'époque de Grégoire VII (*Mém. Acad. inscript. et B. L.*, 1918), p. 271, ss. — Thaner, Fr., *Anselmi ep. Lucencis collectio canonum*, Oeniponte. 1906-1915. Textus incompletus, sc. lib. I-XI.

(2) Wolf von Glanvel, *Die Kanonensammlung des Kard. Deusdedit.*, Paderborn, 1905 — Tom. I, textum continens, solus editus est.

(3) Migne, PL, t. 161, col. 9, ss.

fragmenta canonica refert, quorum saltem 1600 ex Burchardo deprompta sunt et 250 e iure romano ; **Panormia** (1), collectio systematica, octo libris constans, cuius finis fuit librum practicum e priore eiusdem auctoris opere ad usum cleri excerpere (a. 1095).

Influxus Decreti et Panormiae maximus fuit et animadvertitur in collectione Caesaraugustana, in collectione 15 librorum, etc. in collectione Algerii Leodiensis, dein in Summa Sententiarum, quam Hugoni Victorino tribuebant.

Notae quibus scripta Yvonis distinguuntur sunt : 1° textus undique deprompti sunt, sc. e Burchardo, e iure romano, e iure civili coaetaneo, etc., quia scriptor pacificae indolis erat et concordiam inter sententiam ecclesiasticam et civilem in lucta de investituris parabat ; 2° conatus ad concordiam inter canones inducendam qui varia et contraria praescribebant. Yvo Carnutensis stravit viam Gratiano et methodo dialectico theologorum saec. XII ; 3° reperiuntur haud pauci textus dogmatici, quibus Yvo multum contulit ad fovendam unionem iam vigentem inter scientiam dogmaticam et iuridicam.

2. Circa hoc tempus cessant scriptio et influxus textuum spuriorum ; inutiles enim fiunt, tum quia Superiores ecclesiastici ad condendas leges auctoritate innovata pollent, tum quia ope magnarum collectionum crevit scientia iuris, quae difficultates disciplina solvere potest.

24. - In Belgio, **Algerus**, scholasticus Leodiensis, scripsit a. 1131 librum *de Misericordia et iustitia,* a quo Gratianus methodum partim mutuabitur (2).

Art. III. - De collectionibus iuris novi seu a Gratiano (1140*) ad Concilium Tridentinum (1545-1563)

1. DECRETUM GRATIANI

25. - In medio saec. XII°, post ambo priora Concilia Lateranensia (intra annos 1139 et 1142), monachus quidam italus, Camaldulensis, GRATIANUS nomine, qui Bononiae theologiam docebat, contrarietate legum ecclesiasticarum quae circumferebantur permotus, ex S. Scriptura, canonibus Apostolorum et synodorum, ex Decretalibus et scriptis SS. Pontificum, operibus SS. Patrum et scriptorum ecclesiasticorum, et diversis libris « officialibus », novam composuit collectionem. Textus tamen, non ex ipsis fontibus, sed ex collectionibus suo tempore usitatis deprompsit, quarum auctoritati multo nimiam fidem adhibuit. — Collectionem ipse *Concordiam discordantium canonum* appellavit, alii *Decreta* vocabant, sed potius ex imitatione Decreti

(1) MIGNE, t. 161, col. 1037. — (2) *Ibid.*, t. 180, col. 857, ss.

Burchardi et Yvonis Carnutensis, nomine *Decreti Gratiani* designari consuevit. Opus istud, longe prioribus praestans, tamquam manuale iuris in foro adhiberi et in scholis explicari coeptum est.

Decretum mansit opus privatum. Quare dictis et summariis inest auctoritas viri docti ; canones authentici vim suam legis universalis vel particularis retinent ; canones quidam spurii ex consuetudine vim legis obtinuerunt.

Gratianus autem hoc modo procedit. Post amplam introductionem, primo loco exponit sua privata asserta (*Dicta vel paragraphi Gratiani*). Haec deinde probat auctoritatibus, quibus plerumque summaria vel rubricas et inscriptiones praeponit. Opus ipsum in tres partes divisit.

I. Prima pars continet 101 *Distinctiones*, quae, praeter introductionem generalem de fontibus, agunt de personis et muneribus ecclesiasticis. Distinctiones sunt divisae in canones.

II. Altera pars 36 *Causas* complectitur, divisas in quaestiones, quibus Gratianus respondet suis dictis, quae canonibus comprobat. Tertia tamen quaestio Causae 33 agit de Paenitentia, et fuit, post Gratianum, divisa in 7 distinctiones, quas rursus distinguunt canones (olim dicti capita), cum respectivis dictis Gratiani, summariis et inscriptionibus.

III. Tertia pars destinatur liturgiae. Vocatur *De Consecratione* ; interdum appellatur Liber de sacramentis. Celeber discipulus Gratiani Paucapalea, cui tribuuntur non nulli canones qui *Palea* inscripti sunt, partem istam in septem distinctiones divisit ; hasque in canones subdivisit, cum summariis et inscriptionibus consuetis.

Hac autem ratione allegatur. Locus primae partis designatur numero Distinctionis et numero vel primo verbo canonis. V. g. Can. Lex, vel can. 3, D. I. Locus tertiae partis eodem modo affertur, nisi quod additur, *De Cons.* tamquam nota propria istius partis. V. g. can. Ecclesia, vel can. 45, D. IV, De consecr. Secundae partis Causa et quaestio numero, canon numero vel voce initiali indicatur. Sic : c. 1. seu Gratia, Caus. I, q. 1. — Si tamen locus pertineat ad Caus. XXXIII, quae est tractatus De paenitentia, mentio causae omittitur, et mere indicatur can. (numero vel primo verbo) et Dist., addendo De Paenitent V. g. c. Caritas seu 2 Dist. II, De Paenitent.

N. B. Numerus distinctionis potius more romano indicatur. Decreto adiunguntur indices quibus numerus invenitur canonum qui sola prima voce citantur. Non raro quoque utraque notatio et numeri et vocis initialis hodie adhibetur.

II. DE ANTIQUIS DECRETALIUM COLLECTIONIBUS

26. - 1. Ab edito Decreto Gratiani ad primos saec. XIII annos multae novae leges factae sunt, cum duo Pontifices magni nominis, praesertim duobus Conciliis oecumenicis, reformationem prosecuti sint, sc. Alexander III (a. 1159-1181. — Conc. Later. III, a. 1179) et Innocentius III (a. 1198-1216. — Conc. Later. IV, a. 1215). Collectiones Decretalium extra Decretum vagantium citantur : **collectio in 92 titulis ; Appendix Concilii Lateranensis in 44,** dein 50 **partibus** ; collectiones **Bambergensis, Lipsiensis, Casselana,** etc.

2. Quo meliore ordine Decretales extravagantes redigerentur, compositae sunt quinque collectiones maioris momenti, quae **Quinque compilationes antiquae** vocantur (1) et S. Raymundo in adornanda sua compilatione utilissimae fuerunt. Prima, collectio privata, est *Breviarium Extravagantium* BERNARDI PAPIENSIS, quae semper deinde substantialiter servatam divisionem introduxit operis in quinque libros, singulorum librorum in titulos, cum suis rubricis, et titulorum in varia capita, ordine chronologico disposita. — Privata quoque est compilatio, quae secunda dicitur, quamvis historice tertia sit. Auctorem habuit IOANNEM GALENSEM. — Paulo antea, INNOCENTIUS III edidit compilationem quae tertia dicitur, etsi ordine chronologico est secunda. Hanc publica auctoritate munivit, ita ut primum exemplum sit authenticae collectionis canonicae. Tres istae collectiones sunt concilio Lateranensi IV° (a. 1215) anteriores. — Post celebratum conc. Lateranense IV, idem Innocentius videtur quartam fecisse compilationem, quae authentica esse perhibetur sicut et quinta, iussu Honorii III (1216-1227) confecta.

III - DECRETALES GREGORII IX

27. - GREGORIUS IX (1227-1241) commisit S. Raymundo de Pennaforte, O. P., curam adornandi collectionem legalem. S. RAYMUNDUS materiam principaliter desumpsit ex decretalibus quae post Gratiani decretum sunt editae, non ita tamen ut anteriora documenta, vel S. Scripturam, Patres, canones conciliorum penitus negligeret. Immo quaedam e iure civili romano et germanico desumpsit. Ad dubia solvenda, ad lacunas supplendas patebat ipsi aditus ad S. Pontificem. — Collectio ista, Const. *Rex Pacificus*, 5 sept. 1234, valorem nacta est collectionis authenticae, universalis, et exclusivae omnis iuris anterioris *generalis*, novo iuri *contrarii*. Abrogatae praeterea sunt omnes *collectiones Decretalium* post Gratianum factae.

Collectio constat quinque libris qui, propter fontem principalem quo S. Raymundus usus est, dicti sunt **Libri Decretalium**. Eorum materia hoc versiculo exhibetur : *Iudex, iudicium, clerus, conubia, crimen*. Ordine enim agunt : De praelatis sive de iudicibus ecclesiasticis ; — De iudiciis, praesertim civiliter intentatis ; — De clericis rebusque ecclesiasticis ; — De nuptiis et sponsalibus ; — De delictis et processu criminali (Cf. REIFFENSTUEL L. 1, Praefatio, n. 2. - DEVOTI, *Ius canonicum*, t. 2, Praefatio).

(1) E. FRIEDBERG, *Quinque compilationes antiquae*, Lipsiae, 1882, praebet textum cum notis criticis.

S. Raymundus partes Decretalium quas minus utiles iudicabat in sua collectione omisit. Partes istae, quae **decisae** dictae sunt, subinde, privata opera, in variis editionibus sunt restitutae.

IV. LIBER VI BONIFATII VIII

28. - Rogatus ab Universitate Bononiensi, BONIFATIUS VIII, proprio labore et cum subsidio peritissimorum virorum, adornavit et per C. *Sacrosanctae*, 3 mart. 1298, promulgavit **Librum Sextum** *Decretalium*, cuius decretales Bonifatii VIII sunt pars principalis, et qui tum intrinseco valore, tum extrinseca forma, reliquas partes Corporis Iuris superat. Authentica ista collectio generali abrogatione leges post Decretales Gregorii IX editas revocat ; Decretalibus Gregorii IX et Decreto Gratiani suam vim manere sinit, nisi corrigantur. Divisionem in quinque libros servat.

V. CLEMENTINAE

29. - CLEMENS V proprias suas constitutiones, cum duabus constitutionibus praedecessorum in unum volumen collegit, quod IOANNES XXII, C. *Quoniam nulla*, 25 oct. 1317, authentice promulgavit, ita tamen ut iura anteriora non abrogaret. Eandem divisionem ac Decretales Gregorii IX Clementinae adoptant.

VI. EXTRAVAGANTES IOANNIS XXII ET COMMUNES

30. - His collectionibus, ad complendum Corpus Iuris, accedunt, non iam in libros divisae, viginti constitutiones *Ioannis XXII*, quae **Extravagantes** vocantur, quia extra authenticas collectiones erant ; et quinque libri *Extravagantium communium*, quae sc. in plerisque collectionibus inveniebantur. Hae sunt numero 70. Extravagantes sunt genuinae, sed non omnes habebant valorem universalem, cum utraque earum collectio, opera IOANNIS CHAPPUIS adornata (a. 1500), non esset authentica.

31. - 1. Libri collectionum authenticarum sunt authentice in **titulos** et in **capita** divisi ; capita ipsa pluribus saepe constant paragraphis et habent partem historicam et partem dispositivam : haec sola vim legis habet.

2. Nec authentica sunt **summaria** quae capitibus praeponuntur. Contra, authenticae sunt inscriptiones titulorum seu **rubricae**, sic dictae a colore quo scribi consueverunt. Quare, vim legis universalis habebant rubricae quae sensum perfectum reddebant, velut ista : « Ne sede vacante aliquid innovetur ».

Si vero sensus perfectus desiderabatur, saltem dabant subsidium interpretationis, unde vulgatum istud : *A rubro ad nigrum valet argumentatio.* Sic,

ex titulo : *De officio et potestate iudicis delegati* (I, 29) argui potest delegatam esse potestatem de qua ibi fit sermo. *Historicae* capitum *inscriptiones* sunt quoque a legislatore, sed non ideo sunt errore immunes.

3. Decretales, Liber sextus et Clementinae **citantur**, indicato numero capitis, et inscriptione tituli, additis numeris libri et tituli. Cum agitur de Decretalibus Gregorii IX, additur X, ad monendum ibi agi de capite *extra* Decretum Gratiani. Locus libri sexti allegatur, addendo ; in VI°. Locus vero Clementinarum constitutionum demonstratur verbis : *in Clem.* Verbis Extrav. comm. vel Extrav. Ioann. XXII indicantur Extravagantes.

Ex. g. : c. 9, X, *de vita et honestate clericorum*, III, 1. — c. un. *de vita et honestate clericorum*, III, 1 in VI°. — c. 1, *de vita et honestate clericorum*, III, 1 in Clem. — c. 3, *de privilegiis*, V, 7 in Extravag. comm.

Apud canonistas et plures veteres theologos, quibus Corpus iuris notissimum erat, illae collectiones citabantur indicato initiali verbo capitis, cui raro addebatur numerus, et dato titulo. Decretales Gregorii IX verbo *extra* designabantur. — Sint haec exempla : c. Novit, extra *de iudiciis ;* c. Frequens, *de restitutione spoliatorum* in V° ; etc. — Ceterum, collectionibus praeponuntur indices quibus, cognita initiali voce canonis vel capitis, aut indicata tituli inscriptione, liber, titulus vel numerus quibus opus habeas reperiuntur.

VII. DE EDITIONIBUS CORPORIS IURIS CANONICI

32. - Pius V novam editionem Decreti Gratiani et Decretalium collectionum comparandam speciali Cardinalium coetui a. 1566 commisit. *Correctores romani* textum quo poterant meliore modo restituere et paucis notis (glossis) adornare conati sunt. GREGORIUS XIII, C. *Cum pro munere*, 1 iul. 1580 primus illas sex collectiones, Decretum sc. Gratiani, Decretales Gregorii IX, Librum Sextum, Clementinas, Extravagantes Ioannis XXII et communes, simul sumptas, appellavit Iuris canonici corpus. Iste tamen titulus in editione romana a. 1582 nondum usurpatur. Haec editio eo sensu est authentica, quod textum *legalem* subministrat, qui vim obligandi habet, etiamsi textum primigenium non refert.

Corporis iuris canonici exstant quoque editiones cum glossa, tum interlineari, tum marginali a variis Magistris facta et editiones quae textum e manuscriptis restitutum et partes decisas praebent. Harum notissimam curavit E. FRIEDBERG, Lipsiae, 1879 et 1881 ; qui textum Gratiani restituit primigenium, adiecto in notis textu Correctorum romanorum, dum pro ceteris partibus Corporis iuris textum servat legalem, additis notis criticis.

VIII DE REGULIS CANCELLARIAE

33. - Regulae Cancellariae sunt regulae in expediendis litteris pontificiis servandae, quae diu, sola traditione conservatae, sub IOANNE XXII (1316-1334) primum scriptae sunt. Auctae dein a successoribus, praesertim a NICOLAO V (1447-1455), et in formam stabilem redactae, summam efficiunt 72 regularum (1).

(1) Sub forma quam eis dedit Clemens XIV reperiuntur in sic dicta Continuatione Bullarii romani a Barberi, etc. edita, t. IV, Romae, 1841, p. 2, ss.

Cancellaria Apostolica (ante reformationem Romanae Curiae a Pio X peractam, quae minus amplam provinciam eidem assignavit) Officium designabat Curiae Romanae, institutum ad expediendas pontificias litteras, sive gratiae sive iustitiae.

Aliae regulae, quae *directivae* vocantur, normas continent pro Officialium instructione ; aliae, dictae *reservatoriae,* de beneficiis conferendis agunt et varias reservationes statuunt (i. e. definiunt beneficia quorum collatio est S. Pontifici reservata) ; aliae demum proceduram in iudicio, potissimum *appellationes* ordinabant et nominantur *iudiciales.*

Regulae istae erant ius commune, cui per concordata satis erat derogatum. Hoc erat iisdem peculiare, ut morte Pontificis vim amitterent et a successore, postridie electionis, renovarentur. Pars iuridica regularum nunc Codice est suppleta, ac proin a iurisperitis historiae tantum attendenda.

Hic agendum quoque fuit de *Regestis RR. Pontificum*, quorum pleraque ante Conc. Trid. confecta sunt. Quia tamen satis recens edi coepta sunt, in art. IV, n. 37 de iis sermo erit.

Art. IV. - De fontibus iuris novissimi a Conc. Trid (1545-1563) ad Cod. i. c. (1917) et de recentioribus collectionibus.

34. - Fontes iuris novissimi triplici classe documentorum constant : canonibus sc. Conciliorum oecumenicorum et particularium ; Constitutionibus RR. Pontificum et decisionibus SS. Congregationum.

I. DE CANONIBUS ET DECRETIS CONCILIORUM

35. - 1. Potissimus fons iuris novissimi, est ipsum Concilium Tridentinum (1545-1563), cuius sessiones plerumque duabus partibus constant : altera dogmatica, disciplinari altera, quae inscribitur *De Reformatione* et verum Codicem iuris ecclesiastici constituit.

S. XXIV duas partes de reformatione habet, quarum prior est *De Ref. matrimonii.* Sessio XXV, post decretum de purgatorio et doctrinam de invocatione, veneratione et reliquiis Sanctorum et sacris imaginibus, habet decretum *De Regularibus et Monialibus*, ubi Regularibus consulit ante decretum quod De Reformatione inscribitur. Eadem sessio habet appendicem quae inscribitur « Continuatio sess. XXV » et non nulla decreta continet quae propriis tantum titulis, sine subdivisione distinguuntur. Ipsa pars dogmatica a sess. VI dividitur in capita, in quibus doctrina fidei exponitur, et in canones, quibus errores contrarii anathematizantur.

Allegantur capita, sessiones et titulus partis. V. g. Trid., S. XXIV, c. 10 De Ref. Matr.

Decreta disciplinaria confirmata et promulgata sunt a Pio IV°, C. *Benedictus Deus,* 26 ian. 1564. A prima die maii eiusdem anni viguerunt, excepto celebri decreto *Tametsi* de forma celebrationis matrimonii, quod speciali promulgationi subiectum est. Cf. *Epitome,* II, n. 384.

Eadem constitutione prohibitum est ne sine auctoritate S. Sedis ederentur (ex professo) commentarii de his decretis, et instituta est permanens Congregatio Cardinalium ad decreta disciplinaria exsequenda et interpretanda. Haec est dicta *S. Congr. Cardinalium S. C. Tridentini interpretum* aut simpliciter *S. C. Concilii.* Hodie, vetitum istud interpretandi decreta Tridentina novo Codice

sublatum est. Concilio autem Tridentino ius praecedens non est abrogatum, nisi in partibus quae novis sanctionibus contradicebant.

Editio praecipua est Aem. Richter, *Canones et decreta Conc. Tridentini* Lipsiae, 1853. — A societate Goerresiana in lucem editur amplissimum opus, cui titulus est : *Concilium Tridentinum. — Diariorum, actorum, epistolarum, tractatuum nova collectio*, Friburgi, Herder, a. 1901, ss.

2. Concilium **Vaticanum** (a. 1869. 1870) disciplinaria decreta nulla edidit. Eorum tamen *schemata* Codici iuris canonici parando paululum inservire potuerunt. E definitionibus dogmaticis, Const. *Pastor aeternus* de Primatu R. Pontificis, quae pro iure canonico maximi est momenti, magnam partem in Codicem, c. 218, inserta est (1).

3. Concilia particularia quae post Conc. Tridentinum ad nostrum usque tempus celebrata sunt, ad cognoscendam etiam universalis Ecclesiae disciplinam satis utilia sunt. Inter recentiora eminent Conc. Baltimorense III, a. 1884 et Conc. plenarium Americae latinae, Romae a. 1899 habitum.

4. Decreta permultorum Conciliorum particularium continentur in variis collectionibus, quarum aliae simul decreta et canones Conciliorum generalium referunt, aliae concilia provincialia et dioecesana unius provinciae ecclesiasticae aut regionis politicae praebent.

Labbe, S. I. — Cossart, S. I., *Sacrosancta concilia ad regiam editionem exacta*, etc., Parisiis, 1571. 1572. — Huic collectioni Baluzius supplementum addidit, sc. «*Nova collectio conciliorum*», Parisiis, 1583. Ab Hardouin, S. I., edita est *Conciliorum collectio regia maxima*, etc. Parisiis, 1715, quae editionem eius decessorum satis emendavit. Addenda est *Sacrorum conciliorum nova et amplissima collectio*, etc. quam confecit Mansi, Florentiae, 1759-1798. Quod opus incompletum et mendis plenum refert, corrigit et continuat *Conciliorum amplissima collectio* a Martin, quae a. 1900 incoepta, anno 1913 ad tomum 47 pervenit. — Collectio Lacensis seu *Acta et decreta Conciliorum recentiorum* a Patribus S. I. domus Lacensis (Maria-Laach) edita, Friburgi in B., 1870-1890 (2). — *Concilii plenarii Baltimorensis III decreta*, Baltimorae, 1886. — *Acta et decreta Conc. plenarii Americae latinae*, 2 vol., Romae, 1900.

II. COLLECTIONES CONSTITUTIONUM ET ACTORUM RR. PONTIFICUM

36. - Post concilium Tridentinum, usque ad recentem Codicem, solus fons iuris scripti universalis sunt constitutiones SS. Pontificum, quarum nulla exstat collectio authentica, excepto *Bullario* Benedicti XIV, cuius primum saltem volumen est authentice editum.

1. Continuatio quaedam Corporis iuris canonici, quam post Grego-

(1) Martin, *Omnium Conc. Vaticani quae ad doctrinam et disciplinam pertinent momentorum collectio.* Paderborn, 1873. — *Collectio lacensis.* t. VII.

(2) De his collectionibus et de collectionibus particularibus, cf. Hefele-Leclercq, *Histoire des conciles*, I, Introduction, p. 109, ss.

rium XIII (1572-1585) et Sixtum V (1585-1590) Clemens VIII (1592-1605) a Card. Pinelli a. 1598 typis impressam, authentice edere proposuerat, revera non fuit approbata. Eius exstat editio privata (1). Plerumque vocatur « Liber septimus Decretalium Clementis VIII ».

Ab illo libro septimo omnino distinguendus est *Liber VII Decretalium* ab advocato P. Matthaeo († 1621) privata auctoritate, exeunte saec. XVI° editus et in multas Corporis iuris canonici editiones insertus. Iste continet praesertim Decretales a Sixto IV (1471-1485) ad Sixtum V (2).

2. Bullaria sunt collectiones privatae (excepto primo volumine Bullarii Benedicti XIV) quae Constitutiones et pauca quaedam alia acta RR. Pontificum referunt. Citanda sunt :

1° Bullarium romanum, *Magnum* quoque nuncupatum, Romae a. 1586 prima vice a LAERTO CHERUBINI editum, ab eius filio ANGELO O. S. B. postea ac pluries iterum ab aliis quoque auctum.

2° Magnum Bullarium romanum, Luxemburgi ab a. 1727 prima vice editum, constitutiones complectens a tempore S. Leonis I (440-461) ad Benedictum XIII (1724-1730).

3° Editio HIERONYMI MAINARDI qui, opera adiutus CAROLI COCQUELINES, opus Laertii et Angeli Cherubini retractavit atque ad sua tempora perduxit. Prodiit Romae 1733-1762. Saepe vocatur quoque Bullarium romanum qui est titulus nonnullorum tomorum. Accedente dein Bullario Benedicti XIV, collectio ad a. 1758 se extendit.

4° Editio *Taurinensis,* partim Taurini, partim Neapoli excusa a. 1875 ss.

5° Bullarii romani continuatio quae vocari solet, altera Romae a BARBERI edita, ad Gregorium XVI pertingens, altera Prati impressa.

Bullaria ista nec authentice sunt promulgata, nec completa sunt, nec critice edita.

6° Habetur quoque *Bullarium Basilicae Vaticanae,* Romae anno 1747-1752 editum, quod tribus voluminibus constat ; et Bullarium S. C. de Propaganda Fide, quod magna cura adornavit DE MARTINIS, sub titulo : *Ius Pontificium de Propaganda Fide* (Romae, 1888, ss.). In duas partes dividitur : altera, septem voluminibus constans, refert Constitutiones pontificias de hac S. Congregatione ; altera, unico volumine, selecta quaedam ipsius Congregationis decreta complectitur.

Addenda sunt varia Bullaria Ordinum religiosorum, quae ipsa non paucas continent RR. Pontificum Constitutiones.

3. Acta RR. Pontificum. Romae selecta prodierunt *Acta Grego-*

---

(1) Fr. SENTIS, *Clementis PP. VIII decretales*, Friburgi, 1870.

(2) Hoc opus, olim inter libros prohibitos relatum, in editione 1917 iam non refertur.

rii XVI (4 vol. Romae, 1901-1904) et *Pii IX* (9 vol., Romae 1846-1878). A Leone XIII coepit Typographia Vaticana, quasi ex officio, acta Pontificum plenius edere. Inde habemus 24 volumina *Actorum Leonis XIII* (1), et quinque volumina Actorum Pii X (5 vol. Romae, 1907-1916). Ab anno 1909, prodiit Commentarium Officiale cui titulus *Acta Apostolicae Sedis*, quod actis Pontificis referendis destinatur.

37. - *De Regestis RR. Pontificum.*

Etymologice dictum a regerendo seu ab iterum gerendo i. e. ferendo, portando, Regestum significat scripturam denuo exaratam et in libros gestam, ingestam, illatam.

Regesta RR. PP. (antiquitus vocata *regestra* seu *registra*) sunt collectiones epistolarum pontificiarum indolis iuridicae, plerumque auctoritate illius Pontificis confectae qui litteras scripserat. A medio saec. IV° usque ad XIX litterae pontificiae in archivum S. Sedis transsumptae sunt, sed quae ad a. 1216 facta sunt regesta fere omnia deperdita sunt. Exstant tamen voluminum plura millia (*Vaticana* 2019 v. ; *Avenionensia* 394 v. ; *Lateranensia* 2000, etc.).

Illa Regesta RR. Pontificum in lucem nunc eduntur a doctis viris, quibus diversae respublicae in « scholas » vel « Instituta » Romae coadunatis victum tectumque praebent.

Illa Regesta vel Registra bene secernantur a libris eodem titulo editis, qui « summam » seu compendium fere omnium documentorum pontificiorum referunt usque ad a. 1305 et a doctis viris Iaffé, Kaltenbrunner, Ewald, Loewenfeld et Potthast confecti sunt.

III. COLLECTIONES SS. CONGREGATIONUM

38. - Decreta, responsa et instructiones SS. Congregationum et sententia Tribunalis S. Rotae, praesertim a fine saec. XVI[i] fontem iuris generalis et particularis uberrimum constituunt, sive speciali S. Pontificis approbatione leges facta sint sive ius consuetudinarium introduxerint. Inter fontes interpretationis novi Codicis locum minime spernendum occupant.

1. Nulla est collectio completa documentorum plurium SS. Congregationum, v. g. S. Officii, cuius pleraque acta artissimo secreto teguntur : S. C. de Sacramentis, S. C. Episc. et Regularium, S. C. de religiosis. *Index librorum prohibitorum*, quem olim S. C. *Indicis* moderabatur, nunc auctoritate S. Officii editur (2).

Omnia documenta SS. CC. (aut saltem eorum partes) quae Codici i. c. conficiendo fontes fuerunt, in collectione « *Codicis i. c. fontes* », auctore Card. P. GASPARRI edita publici iuris fiunt.

Decreta multa *S. Officii* inveniuntur in t. IV° (1926) illius collectionis.

2. Decreta et responsa quae a *S. C. Concilii* ab a. 1718 data sunt,

(1) Cf. *Leonis XIII allocutiones, epistolae*, etc. Brugis, 8 vol., 1887-1910 (cum versione gallica).

(2) Editio novissima, auctoritate Ssmi D. N. Pii PP. XI facta, a. 1924 prodiit.

in folio (in extenso) et ordine chronologico redacta, continentur in collectione quae ab a. 1739 a Secretario S. C. C. ex officio conficitur nomenque habet « *Thesaurus resolutionum S. C. C.* ». Eo sensu est authentica quod textus fidem facit, sed vim legis maiorem quam ex se habet inde non obtinet.

Adiri possunt praeterea : LINGEN et REUSS, *Causae selectae in S. C. C.* propositae per summaria precum ab a. 1823 ad a. 1869, Ratisbonnae, 1871. — PALLOTTINI, *Collectio omnium conclusionum et resolutionum S. C. C.* ab a. 1564 ad a. 1864, Romae, 1868-1893 (ordine alphabetico). — Multa responsa S. C. C. inserta sunt in editionem textus Conc. Tridentini a R. RICHTER paratam.

3. Certus numerus documentorum quae a *S. C. Episc. et Regularium* data sunt in privata collectione continentur, sc. BIZZARRI, *Collectanea in usum Secretariae S. C. Ep. et Reg.*, Romae, altera edit., 1886. — Quae inter fontes Codicis i. c. allegantur cf. P. GASPARRI. *Codicis i. c. fontes*, t. IV, (1926), p. 567 ss.

4. Decreta authentica *S. C. Indulgentiarum* pluribus collectionibus continentur. *Decreta authentica Congr. Indulg. et Reliquiarum*, ab a. 1668-1861, Bruxellis, 1861. — *Raccolta di orazioni et pie opere*, Romae, 1886 (Versio authentica gallica apud Desclée-Lefèvre, Romae, 1901). — *Decreta authentica S. C. Indulgentiis sacrisque Reliquiis praepositae* (1668-1882), iussu et auctoritate Leonis XIII edita, Ratisbonnae, 1883 (1).

5. *S. C. de Propaganda Fide*, cuius Bullarium a De Martinis confectum (supra, n. 36, 2, 4°) exstat, ipsa edidit « *Collectanea S. C. de Propaganda Fide* », ed. alt., Romae, 1907. Documenta ordine chronologico proponuntur et numeris continuis distinguuntur (*Coll. P. F.*).

6. Decreta *S. Rituum C.* hoc sensu authentice edita sunt quod textus in editione Gardelliana propositus in tribunalibus fidem facit nec sine S. Sedis venia mutari potest. Dein editio stricte authentica curis S. Congregationis prodiit.

Al. GARDELLINI, *Decreta authentica Congr. sacrorum Rituum*, Romae, ed. 3, 1856. — Collectio curis S. Congregationis edita eundem titulum habet. Romae, a. 1898-1901. Sextum ipsi volumen seu Appendix, a. 1912 est additum.

7. *S. Rota Romana* a medio saec. XIII° ad finem circiter saeculi XVI magnam auctoritatem habuit ; eam denuo post reformationem Curiae a Pio X° nacta est. Decisionum R. Rotae plures collectiones *privatae* editae sunt, inter quas eminet collectio a Pr. FARINACCI edita (Venetiis, a. 1716). Decisiones quae post reformatam Curiam datae sunt ab ipso S. Tribunali publici iuris fiunt. (2)

---

(1) Collectio a SCHNEIDER, Ratisbonnae a 1885 edita parem auctoritatem non habet

(2) *S. R. Rotae decisiones seu sententiae quae iuxta legem propriam et C. Sapienti consilio Pii P. X prodierunt cura eiusdem Tribunalis editae.* Romae, 1911 ss. Adde sententias coram Card. LEGA a. 1909-1914 datas et ab ipso editas Romae a. 1927.

Art. V. - De Codice Iuris canonici

Scriptores : N. Hilling, *Die Reformen des Papstes Pius X auf dem Gebiete der Kirchenrechtlichen Gesetzgebung. Archiv f. kath. KR.*, t. 95 (1915), 78, ss. * et in t. ss. — A. Villien, *Le nouveau Code de droit canonique*, *Can. cont.*, sept. 1917, ss. — U. Stutz, *Der Geist des Codex I. C.*, Stuttgart, 1918. — M. Falco, *Introduzione allo studio del « Codex iuris canonici »* Torrino, 1925. — F. Cimetier, *Pour étudier le Code de droit canonique*, Paris, 1927.

30. - Iam dudum confusa multitudo legum ecclesiasticarum votum paene universale induxerat ut Ecclesiae latinae verus suus Codex esset similis rationis atque Codices illi tam facilis usus quibus, post Codicem Napoleonis, pleraeque gentes cultae donatae sunt. Id in Concilio Vaticano expresserunt episcopi plurium regionum et postulatum de re factum est, quod 33 Patres e variis gentibus subscripserunt. Felicia veluti tentamina quibus Pius IX et Leo XIII partes quasdam iuris sic expeditae cognitioni fidelium proposuerunt, desiderium istud non potuere non augere. Etenim Pius IX, celebri C. *Apostolicae Sedis* (12 oct. 1869), verum Codicem censurarum latae sententiae ; Leo XIII, C. *Officiorum et Munerum* (25 ian. 1897), verum Codicem de prohibitione et censura librorum confici curaverant. Ad Codicis genus refertur quoque *Instructio S. C. Episcoporum et Regularium*, 11 iun. 1880, « de modo quo oeconomice procedere debent curiae ecclesiasticae in causis disciplinaribus et criminalibus clericorum ». Nihilominus, opus tam arduum esse videbatur, ut firma Codicis obtinendi spes paucos teneret ; nec deerant qui putarent negotium istud extra Concilium universale feliciter perfici non posse. Sancta tamen Pii X audacia difficultates omnes superavit. Postquam Cardinales pluries audisset, Encyclicis litteris *Arduum sane munus*, in festo sui Patroni S. Ioseph, i. e. 19 martii anni 1904, editis, se velle nuntiavit « ut universae Ecclesiae leges, ad haec usque tempora editae, lucido ordine digestae, in unum colligerentur, amotis inde quae abrogatae essent aut obsoletae, aliis, ubi opus fuisset, ad nostrorum temporum condicionem propius aptatis ». Ratio qua Codex praeparatus est fuse in praeclara praefatione Em. Card. Gasparri exponitur.

Ut rem brevissime complectamur :

1. *Commissio pontificia* constituta est, composita Cardinalibus, cum allectis peritis consultoribus, quae, praeside S. Pontifice, totius negotii moderationem suscepit.

2. Ut *universus episcopatus* in gravissimum hoc opus conspiraret atque concurreret, litteris ad omnes archiepiscopos, die 25 martii (festo Annuntiationis B. M. V.) 1904 datis, mandatum est ut, auditis Ordinariis qui synodo provinciali interesse deberent, intra quattuor menses S. Sedi paucis referrent quaenam in vigente iure canonico, sua eorumque sententia immutatione vel emendatione aliqua prae caeteris indigerent.

Omnibus singularum nationum episcopis facultas quoque facta est mittendi Romam vel eligendi in Urbe unum vel alterum virum praestantem qui consultorum coetui ascriberetur.

3. Praeter *consultores*, extra Urbem selecti sunt *collaboratores*, qui schema de parte canonica pararent et de confecto schemate sententiam dicerent, facta iisdem facultate interveniendi in coetibus commissionis quae, praeside Secretario Pontificii consilii, tunc archiepiscopo Caesariensi, nunc Card. Gasparri, de nova canonum scriptione et dispositione primo deliberabat. Duplex huiusmodi commissio constituta est. Altera, die dominica, altera, feria quinta conveniebat. Peculiares coetus die 13 nov. 1904 opus aggressi sunt. Atque ea cura singuli canones librati sunt, ut nihil in novo Codice legatur quod non quater vel quinquies disceptatum sit, immo etiam decies et duodecies, si quid occurrisset difficultatibus implicitum. Schemata sic redacta ipsi Em. Patres e peculiari consilio bis saltem ad trutinam revocabant.

4. De *schemate* confecto consultores sententiam suam rogabantur. Praeterea, de confecto opere exquisitum est iudicium omnium episcoporum et Praelatorum regularium Ordinum qui legitime ad Concilium universale convocari consueverunt. Allata ista vota prius ab Em. Card. Gasparri expensa sunt et in unum collecta. De his dein in peculiari coetu Cardinalium deliberatum est.

Interea, sancta morte e vivis discessit S. Pontifex Pius X, et immensum bellum funestissimo incendio Europam vastare coepit. Nemo dubitabat quin feliciter et tanto studio incoeptum et paene absolutum opus ad restitutam pacem differretur. In qua re iterum eventus exspectationem superavit. Novus enim electus Pontifex, non minore quam eius decessor zelo, res Codicis ab inito suo Pontificatu promovere statuit, ita ut, ineunte anno 1917, finis redigendo novo Codici impositus sit. De qua re istud notandum est, Codicem non complete eundem mansisse sicut multorum opera praeparatus erat. Etenim, dum typis scribebatur, quaedam addenda vel mutanda visa sunt.

In consistorio 4 dec. 1916, S. Pontifex gratissimum sibi esse declaravit quod liceret ipsi rem « afferre tam magnam tamque Ecclesiae opportunam, ut eius gratia haec aetas apud posteros nobilis futura videatur, Codicem dicimus iuris canonici feliciter absolutum ». Magna dein humilitate, laudem tam insignis in Ecclesiam promeriti omnem tribuit Pio X ; hunc ut unicum auctorem salutavit Codicis, qui proin ab eodem appellaretur, satis sibi existimans ut quod ille effecerat ipse sua vice promulgaret. Grati quoque animi sui significationem omnibus obtulit qui in adornando opere aliquam partem habuerunt, specialiter autem commemoravit et extulit partes principalissimas quas Em. Card. Gasparri tam praeclare assumpserat et gesserat. Ac, re vera, quod S. Raymundus Gregorio IX, id Emus vir fuit Pio X et Benedicto XV, vocatione, ingenio et eruditione.

Subinde, in sollemnissimo coetu, C. *Providentissima Mater*, die festo Pentecostes (27 maii) 1917 Pontifex Codicem promulgavit, simul iubens ut a Pentecoste anni proxime sequentis (19 maii 1918) vim habere inciperet.

Die tamen 20 augusti 1917, instantibus compluribus Ordinariis, S. Pontifex permisit ut, nulla interposita mora, vigere inciperent praescripta c. 859 § 2 ;

1108, § 3 ; 1247, § 1 ; 1250-1254 ; ac simul immediatum usum Cardinalibus permisit privilegiorum quae describuntur cc. 239. § 1 ; 240. 609, n. 3 ; 1189. 1401.

40. - *Materialis Codicis descriptio.* Superiores collectiones authenticae iuris canonici, in hac re collectiones Corporis iuris Romani imitantes, de specie facti seu casu varias considerationes seu rationes ipsi legi praemittebant ; dum praesens Codex concinna brevitate hodiernos Codices imitatur.

Ipsi authenticae collectioni Constitutio *Providentissima*, qua promulgatur, *Motu proprio* quo Commissio instituitur ad Codicis canones authentice interpretandos (15 sept. 1917) et formula professionis fidei praeponuntur.

Codex dein in quinque *libros* distribuitur, qui, excepto primo, paucis componuntur *partibus*. Plures praeterea partes *sectionibus* distinguuntur. Omnes autem libri vel partes aut sectiones in plures *titulos* partiuntur, qui, prout res postulat, plura *capita* et *articulos* continent. Opus denique totum, instar aliorum Codicum nostrae aetatis, continua et numerata serie *canonum* (seu regularum aut legum) exhibetur. Qui canones sunt numero 2414.

Haud raro, ante librorum partes, sectiones aut titulos, ponuntur, nulla praemissa inscriptione, non nulli canones quibus argumentum praeparatur aut inducitur.

Itaque libri et partes sic synoptice proponi possunt :

Liber I. Normae generales	
Liber II. De Personis	Pars I. De clericis.
	Pars II. De religiosis.
	Pars III. De laicis.
Liber III. De Rebus	Pars I. De sacramentis.
	Pars II. De locis et temporibus sacris.
	Pars III. De cultu divino.
	Pars IV. De magisterio ecclesiastico.
	Pars V. De beneficiis aliisque institutis ecclesiasticis non collegialibus.
	Pars VI. De bonis Ecclesiae temporalibus.
Liber IV. De Processibus	Pars I. De iudiciis.
	Pars II. De causis beatificationis servorum Dei et canonizationis Beatorum.
	Pars III. De modo procedendi in non nullis expediendis negotiis vel sanctionibus poenalibus applicandis.
Liber V. De Delictis et Poenis	Pars I. De delictis.
	Pars II. De poenis.
	Pars III. De poenis in singula delicta.

Demum, ad calcem Codicis, octo documenta ponuntur quae ad electionem S. Pontificis et administrationem Ecclesiae vacante Sede, ad provisionem parochiarum, ad abusum sacramenti paenitentiae

per sollicitationem, atque ad usum privilegii fidei a neoconversis attinent (1).

41. - **Finis novi Codicis.** Tum ex Motu proprio 19 martii 1904, tum ex allocutione consistoriali 4 dec. 1916, tum ex Constitutione *Providentissima*, is finis fuit condendi novi Codicis, ut *difficultati cognoscendi* multas leges disiunctas et dispersas, *et exsequendi leges* iam minus cum tempore praesenti congruentes *occurreretur*.

Quare, in Codice habemus, sicut, decreto 7 aug. 1917, ipsa declaravit S. C. *de Seminariis et de Studiorum Universitatibus* « authenticum et unicum iuris canonici fontem », quo uno, tum in disciplina ecclesiastica moderanda, tum in iudiciis et scholis utendum est.

Motu proprio autem *Cum iuris canonici*, 15 sept. 1917, perpetuitati istius utilitatis sapienter hoc modo est prospectum. Si quando novum decretum generale condatur, *Concilium ad novos canones interpretandos*, eodem Motu proprio constitutum, legem istam ad formam canonis vel canonum rediget, indicabitque, pro casu, quibusnam canonibus novi canones vel sufficiendi sint vel subiungi debeant, numero canonis qui proxime antecedit, *bis*, *ter*, repetito, « ne canon sede sua moveatur ullus, aut numerorum series quoquo pacto perturbetur ». (AAS, IX, 1917, 484).

42. - De insigni monumento quod sollicitudo supremi Pastoris Ecclesiae dedit, iudicium ferre proprie nostrum non est ; nec locus sinit ut completum feratur. Licet tamen nobis momentum indicare rei quae non fidelium tantum sed etiam acatholicorum oculos percellit.

Quanto plausu exceptum, quam diuturna utilitate fori et scholarum comprobatum olim fuit opus quo Gratianus (saec. XII) infinite multos canones ad systematicam unitatem et concordiam revocare aggressus est ! *Decretum* tamen *Gratiani* (sic vocari consuevit) non fuit nisi collectio privata, dum nunc, in simili confusione et multitudine legum, succedit Codex plane authenticus, qui, ipsa forma et figura, varios Codices civiles fere omnium gentium excultarum imitatur.

Nec iam, ut leges Tridentinae, partem tantum disciplinae ecclesiasticae exhibet ; sed universale regimen ecclesiasticum personarum et rerum complectitur, ita ut disciplina moraliter omnis e Codice eruenda sit.

---

(1) Memorandae quoque sunt litterae 17 oct. 1917, Secretariae Status, qua, ex auctoritate SS. Domini, mendae quaedam quae in officialem editionem irrepserant, correctae sunt.

Ab ipso itaque Codice nova iuris ecclesiastici aetas initium ducit ; nec erraverunt qui dixerunt nihil a pluribus saeculis in historia iuris evenisse praestantius, utilius, fecundius.

Licebit etiam gratum animum reddere quo monumentum istud, Ecclesiae gloriosum, tamquam beneficium e munifica Pontificis manu excipere debemus.

Pro iure enim confuso, obtinemus ordinatum ; pro dubio atque obscuro, perspicuum et certum ; pro antiquato, modernae aetati consentaneum ; immo, id addere etiam fas sit, pro impedito et interdum valde minuto seu circa res tenues moranti, nobis obtingit iam expeditum et magis ad universalis legis rationem accommodatum. Compares v. g. multa quae particulariter ubique observanda praecipiebantur in recipiendis noviciis, in administratione oeconomica religiosorum, cum paucis praescriptis quae de iisdem argumentis in Codice exstant. Perspicuitati dictorum variae Codicis definitiones non parum consulunt quibus, quod verba significent, quaenam principia in re appellanda sint, clare explicatur.

Pluribus autem controversiis is finis imponitur, ut benignior sententia iam sit canonizata. Sic, v. g. error communis etiam sine titulo iurisdictionem supplere dicitur ; certa redditur iurisdictio non tantum in probabili iuris sed etiam in probabili facti dubio.

Non sola figura exteriore et pluribus normis Codex canonicus ad hodiernas leges civiles accedit, sed etiam, quod nulla lex canonica hactenus expresse fecerat, legibus civilibus vim supplendi suum silentium in variis partibus diserte tribuit ; nec civile regimen ad res ecclesiasticas applicare dedignatur. Hoc quoque modo Ecclesia demonstrat qua prompta et benigna voluntate concordiam, omni civium ordini, omni rei publicae proficuam, ipsa cum potestatibus civilibus iniret.

Hac denique mente Codex compositus videtur, ut, multa facilitate et libertate data, usus fori interni omnibus planior atque expeditior evadat, et quidquid odiosum sapere possit ab hoc foro exsulet, foro autem externo et iudiciali ecclesiae verus splendor addatur. Quare, omnis ordo processus iudicialis accurate descriptus est ; ac primum exemplum reperimus systematicae synthesis delictorum et poenarum qualis libro V proponitur.

[41-42]

Caput III. - De scientia iuris canonici

Scriptores : Von Schulte, *Die Geschichte der Quellen und Literatur des canonischen Rechts von Gratian bis auf die Gegenwart.* — J. de Ghellinck, S. I., *Le mouvement théologique au XIIe siècle.* — Wernz, S. I., *Ius Decretalium*, I, 280, ss. — Lydsman. *Introductio in ius canonicum.* Vol. II, Tract. III. — Van Hove, *Prolegomena ad Cod. i. c.*, n. 243, ss.

43 - Scientia iuris canonici non potuit incipere et praesertim perfici antequam ipsa notionum moles ita augeretur ut sine ratiocinio et ordine memoria teneri non posset et difficultas servandi concordiam inter varia iuris elementa ad studium eorum originis, causarum et mutationum cogeret. Sive genus scriptorum, sive methodum doctrinae proponendae respicias, historia scientiae iuris canonici satis apte in tres partes dividitur, sc. a primis iuris collectionibus ad Gratianum (a saec. V° ad med. saec. XII), a Gratiano ad Concilium Tridentinum (1545-1563), a Concilio Tridentino ad promulgatum Codicem iuris canonici (a. 1917). Licet sperare hanc scientiam post editum Codicem studio historiae, principiorum et iurisprudentiae nova incrementa sumpturam esse, quorum iam indicia non desunt.

PRIMA PERIODUS. A PRIMIS IURIS COLLECTIONIBUS AD GRATIANUM

44. - 1. Nulla fuit in primis saeculis scientia canonica, cum in operibus Patrum et scriptorum ecclesiasticorum sparsae essent normae agendi, sive fidelibus in universum sive clericis propositae. Concilia dein suis canonibus scientiam praeparant, quae cum primis collectionibus ordine systematico confectis apparere incipit. Si locum attendamus a scientia occupatum, satis diu simul cum theologia dogmatica et morali est tradita, ita ut cum theologia morali efficeret theologiam practicam seu rectricem. Ante saec. XII, ceterum, ipsa scientia theologiae dogmaticae vel moralis vix ex incunabulis exierat.

Porro plerique clerici studium totum ponebant in addiscendis compendiis veritatum fidei, praecipuis partibus S. Scripturae cum glossis, decretis et canonibus ex collectione quadam plus minusve completa et glossata et Paenitentiali. Si addideris sacramentarium et librum concionum, eorum bibliothecam cognovisti.

Duobus factis scientia iuris canonici illo tempore profecit : primum *renovatione studiorum* et *reformatione ecclesiastica* a Carolo Magno promotis ; dein consideratione *oppositionis inter canones* et tentamine Yvonis Carnutensis, cui forte praeiverant Hincmarus Rhemensis († 882) et Bernaldus Constantiensis († 1100), ut distinguendo ius divinum immutabile et indispensabile a disciplina ecclesiastica, et melius definiendo vim auctoritatis eorum a quibus varia decreta et canones origi-

nem ducebant, concordiam inter discordantes canones adduceret (1). — Abaelardus, exemplum canonistarum imitatus, artem distinctionum theologiae dogmaticae applicavit ; cuius methodum in opere *Sic et Non* perfectam mox Gratianus ad solvendas non paucas iuris discrepantias adhibuit (2).

SECUNDA PERIODUS. A DECRETO GRATIANI AD CONCILIUM TRIDENTINUM

45. - 1. Prior scientiae iuris canonici aetas aurea incipit. *Causae* fuerunt : 1° edita collectio, praeclaro, etsi non perfecto ordine digesta, sc. *Decretum Gratiani* ; 2° renovatum in Universitate Bononiensi iuris romani studium, cuius methodus in studium iuris ecclesiastici felici influxu non caruit ; 3° creatio et profectus Studiorum generalium seu *Universitatum*, in quibus viri docti mutuo commercio et propriae famae studio ad perficienda opera et doctrinae propositionem in scholis excitabantur ; 4° editae collectiones iuris authenticae, maxime Decretales Gregorii IX.

A medio saec. XIV° *decrevit splendor* scientiae canonicae, *quia* : 1° fata ipsius scientiae dogmaticae secuta est ; 2° mox, orto schismate, animi nimis turbati sunt et unica fere quaestione exagitati. Post medium saec. XV *nova aetas aurea* paratur ob inventam artem typographicam et innovatum studium monumentorum antiquitatis.

2. Scientia canonica fere tota proponebatur in operibus Decretistarum et Decretalistarum, qui textum Decreti Gratiani, dein Decretales RR. Pontificum glossis et commentariis illustrarunt. Praeterea, cum magistri ob inopiam librorum ad dictitandas praelectiones cogerentur, explicationes optimorum Doctorum transcriptae vel ab ipsis redactae sunt ; sic editae sunt *Summae* seu commentarii Decreti et Decretalium (3) ; *Distinctiones*, i. e. breves et systematicae exhibitiones conclusionum canonicarum ; *Repetitiones*, quae erant magis extensae explicationes praecipuarum legum ; *quaestiones* et *casus*, seu practicae difficultatum solutiones ; *Brocarda*, i. e. principia vel regulae iuris ad disputandum ; *notabilia*, *Apostillae*, *Reportationes* seu collectiones conclusionum secundum ordinem fontium. — Addendi sunt tractatus systematici, quorum exempla in praecedenti periodo non deerant, sc. de matrimonio, de synodis, de iudiciis, etc.

3. Scholae haec erat methodus fere universalis : Magister, proposita brevi *summa* textus explicandi, litteram eius recitabat (*recitatio*

(1) Cf. Praefationem ad Decretum : *De consonantia canonum*, ML, t. 187, p. 47, ss.
(2) Cf. DE GHELLINCK, *Le mouvement théologique au XII siècle*, p. 48, ss.
(3) *Summa* erat vox generalis quae tum commentarios legum tum tractatus de singulis iuris institutis designabat (VON SCHULTE, *o. c.*, I, p. 217).

litterae) ; dein, exposita specie *facti* seu *casus*, sequebatur explicatio verborum (*glossae*) et regulae iuris in solutione casus contentae (*Brocarda*). Restabat ut textus illustraretur *locis parallelis aut contrariis.*

Cum totus textus iuxta ordinem legalem intra certum tempus esset proponendus, in schola speciali quaedam leges fusius explicabantur (*repetitiones*) et de rebus in schola propositis *disputationes,* praeside Magistro, inter scholares fiebant.

4. Nomina scriptorum illius temporis, quae postea saepius recurrent, sunt fere sequentia :

Gratianus (scr. circa 1139-1140 ; † circa 1158). Magister Bononiensis, auctor Decreti.

Paucapalea, discipulus Gratiani, Magister Bononiensis, tertiam partem Decreti partim ordinavit (scr. circa 1144).

Rolandus Bandinelli (Alexander III, † 1181), cuius *Summa* (scr. circa 1148-1150) multis usui fuit.

Rufinus († 1179*), scripsit *Summam decretorum* intra a. 1157-1159.

Ioh. Faventinus († 1190), praesertim *Glossa* Decreti cognitus.

Huguccio († 1210), glossator Decreti, *Summam* scripsit.

Bernardus Papiensis († 1213), auctor primae *Compilationis Antiquae* (cf. supra, n. 26, 2), scripsit quoque commentarium in Decretales.

Ioa. Teutonicus († 1246*), scr. aliquod tempus post a. 1215), scriptor *Glossae ordinariae* ad Decretum.

Tancredus (1165-1235), princeps Decretalistarum, Decretorum magister Bononiensis.

Innocentius IV (regnavit 1243-1254), qui saepe citatur : Papa ; ut doctor privatus a. 1245 *Apparatum in Decretales* Gregorii IX publicavit.

Goffredus de Trano († 1245), lector Bononiensis, cuius exstat *Summa* super rubricis Decretalium.

Bernardus Parmensis († 1263), auctor *Glossae ordinariae* in Decretales Gregorii IX.

S. Raymundus a Pennaforte, O. P. (1180-1275), qui collectionem Decretalium Gregorii IX iussu R. Pontificis adornavit.

Henricus De Segusia, *Hostiensis* a sua sede suburbicaria dictus († 1271), magister Bononiensis.

Abbas Antiquus, cuius proprium nomen ignoratur, Decretalista magnae auctoritatis. Vixit saec. XIII°, scr. circa a. 1270.

Guilielmus Durantis, dictus *Speculator* ob eius opus « *Speculum iudiciale* » (1237-1296).

Guido de Baysio († 1313), Bononiensis, dictus *Archidiaconus* sc. Bononiensis, apparatum publicavit ad Decretum, qui *Rosarium* dicitur.

Ioa. Andreae (1270-1348), celeberrimus ex canonistis illius aetatis, magister Bononiensis, scripsit plures « apparatus », « novella commentaria » in decretales Gregorii IX et in Sextum, additiones ad speculum Guil. Durantis, etc.

Baldus de Ubaldis (1319-1400), in sex Universitatibus magno plausu docuit.

Antonius de Butrio († 1408).

Petrus de Ancharano († 1416).

Franc. de Zabarellis (vel Zabarella), (1335-1417).

Ioannes ab Imola († 1436).

Nic. de Tudeschis (1386-1445 vel 1453), dictus *Abbas siculus*, quia fuit Abbas S. Mariae de Maniacio in dioecesi Messanensi et *Panormitanus*, ex urbe cuius archiepiscopus fuit. Allegatur quando commentatores « Abbatem » nominant.

Ioannes a Turrecremata, O. P. (1388-1468), qui theologis potius ascribi solet, varia quoque opera canonica scripsit (1).

TERTIA PERIODUS. A CONCILIO TRIDENTINO AD PROMULGATUM CODICEM

46. - 1. Cum Concilium Tridentinum materiam satis amplam scientiae canonicae praebuisset, non tamen eo ordine digestam ut commentationi iuxta ordinem legalem faveret, et continui decretorum eius commentarii fieri prohiberentur, occasio data est conscribendi potius *Institutiones canonicas* seu systematicam iuris expositionem, in quo operum genere antesignanus fuit Paulus Lancelottus (2). Non defuerunt tamen scriptores qui simul cum ordine legali ordinem systematicum coniungerent, materiam sub rubricis Decretalium apte distribuendo ; sic v. g. Pirhing, Reiffenstuel, Schmalzgrueber, etc. Incrementa quoque scientiae historicae iuri ecclesiastico profuerunt, maxime in Gallia saec. XVII° et XVIII°, in Germania saec. XIX°.

Ex alia parte nonnullae causae satis magnam studii iuris canonici imminutionem adduxerunt. Cum ambitus iurisdictionis ecclesiasticae in societate civili in dies minueretur et Universitates a potestate civili multo magis quam ab ecclesiastica penderent, numerus clericorum qui Universitates frequentarent decrevit et laici a studio iuris ecclesiastici se averterunt. Adde legem qua futuri sacerdotes ad studia saltem quaedam in seminariis ecclesiasticis facienda adigebantur ; in seminariis autem necessitatibus sacri ministerii, potius quam promovendae scientiae consulere poterant.

---

(1) Hunc elenchum retractantes usi sumus opere J. Brys, *De dispensatione in iure canonico praesertim apud Decretistas et Decretalistas.* Brugis, 1925.

(2) P. Lancelottus, *Institutiones iuris canonici*, Perusiae 1563, in multas editiones Corporis iuris canonici insertae.

2. Quod ad methodum docendi, necessitas, si non usus dictitandi arte typographica sublata est et tempus ad systematicam iuris expositionem concessum. Etsi ordo legalis, praesertim in Gallia, satis diu est servatus, paulatim ubique inductae sunt *Institutiones* et *schola textus* iuxta ordinem systematicum. In seminariis ecclesiasticis, plures tractatus canonici scholae theologiae moralis addicebantur ; qui ordo non parvam apud quosdam confusionem inter principia utriusque disciplinae peperit. In ipsis Lycaeis et Universitatibus, scientiae quae auxiliares vocantur, satis neglegebantur, ita ut in sola Universitate Lovaniensi, ni fallimur, omnes canonistae ad illas (excepto tamen iure romano) excolendas adigerentur. Quare, etsi praeterito saeculo praeclari quidam canonistae reperiantur, plurimi clerici istam scientiam vix summis labiis attigerunt.

3. Pro scopo huius compendii, opera quae maioris momenti sint, citabimus :

P. Lancelottus (1522-1590), Italus, docuit Perusii, scriptor *Institutionum iuris canonici*, a. 1553.

Did. de Covarrubias (1512-1577), Hispanus, doctor Salmanticensis varia opera systematica de iure ecclesiastico scripsit.

Aug. Barbosa (1589-1649), Lusitanus, scripsit opera quae fontium et controversiarum studio eminent.

H. Pirhing, S. I. (1606-1679), singulos libros et titulos Decretalium ordine systematico optime explicat.

Lud. Thomassinus (1619-1695), Gallus, de praecipuis Ecclesiae institutis maxima eruditione scripsit. *Vetus et nova Ecclesiae disciplina*, Parisiis, 1688 (Gallice, Lyon, 1678. 1679).

Lud. Engel, O. S. B. († 1674), *Collegium universi iuris canonici*, 3 vol., Salisburgi, 1671-1674, quindecies saltem typis recusum.

An. Reiffenstuel, O. S. F. (1641-1703), scripsit opus multoties hodiedum citatum ob perspicuitatem et plenitudinem doctrinae : *Ius canonicum universum*, 5 vol., seu commentarium Decretalium secundum ordinem legalem.

Fr. Schmalzgrueber, S. I. (1663-1735), *Ius ecclesiasticum universum*, iuxta ordinem Decretalium. Cum Reiffenstuel, e quo plura deprompsisse dicitur, saepe citatur.

Pet. Ballerini (1698-1769), eximiam operum S. Leonis I editionem dedit, cui subiunxit optimum de antiquis iuris collectionibus tractatum. Adiutus est a fratre suo Hier. Ballerini (1702-1781).

Pr. Lambertini (Benedictus XIV), (1675-1758), in variis Congregationibus romanis laboravit ; episcopus Anconitanus, dein archiepiscopus Bononiensis (1731), tandem R. Pontifex (1740) est electus. Ex eius operibus citantur praesertim : *De Servorum Dei beatificatione* (*et*

Beatorum canonizatione), Bononiae, 1734-1738. — *De Synodo dioecesana*, Romae, 1755. — *Institutiones ecclesiasticae*, Romae, 1745.

F. X. Zech, S. I. (1692-1772), *Institutiones iuris ecclesiastici.*

Fr. Zaccaria, S. I. (1714-1795), multa de historia iuris et fontium scripsit.

Ioa. Devoti (1744-1820), Romanus, professor in Universitate Romana, dein episcopus Ananiensis, archiepiscopus Carthaginiensis, edidit opus incompletum : *Ius canonicum universum publicum et privatum*, Romae, 3ª ed. 1815, et *Institutiones canonicas*, Romae, 1758.

Inter opera recentiora *de universo iure* saepius allegantur :

Santi-Leitner, *Praelectiones iuris canonici*, 5 vol., 3ª ed. Ratisbonnae, 1904, ss.

Bouix, *Institutiones iuris canonici.* — Sunt varii tractatus seiunctim in 15 vol. editi, Parisiis, 1852-1870.

von Scherer, *Handbuch des Kirchenrechts*, 2 vol. Graz-Leipzig, 1886-1898.

P. Hinschius, *Das Kirchenrecht der Katholiken und Protestanten in Deutschland.* — System des katholischen Kirchenrechts, tt. I-VI, 1. Berlin, 1869-1897 (Protest.).

Wernz, S. I., *Ius Decretalium*, 6 vol., Romae, 1905-1913.

4. Periodica in quibus documenta S. Sedis cum commentariis et dissertationibus canonicis reperiuntur sunt praesertim sequentia :

Acta Sanctae Sedis, 1865-1908. Ab anno 1904 vim periodici publici habebant (ASS). — *Analecta iuris pontificii*, 1855-1890; ab a. 1893 sub titulo : *Analecta ecclesiastica.* — *Archiv für katholisches Kirchenrecht*, Mainz, ab anno 1857 (*Arch. f. k. KR*). — *Le canoniste contemporain*, Paris, 1878-1925. (*Can. cont.*). — *Il monitore ecclesiastico*, Romae, 1888, ss. — *Nouvelle revue théologique*, Tournai, 1869, ss. — *Periodica* seu De religiosis et missionariis supplementa et monumenta periodica, Brugis, 1905, ss. edit A. Vermeersch, S. I. ; ab a. 1927 : *Periodica de re morali, canonica, liturgica* edita a D. M. Lazzarini, A. Vermeersch, F. Cappello, M. Mostaza. J. M. Hanssens, S. I.

QUARTA PERIODUS. POST PROMULGATUM CODICEM IURIS CANONICI (1917)

47. - S. Cong. de Seminariis et Universitatibus studiorum, decreto 7 aug. 1917, eum honorem dispositioni et ordini Codicis deferri iubet, ut in scholis quae textus dicebantur, ipso Codicis ordine ac titulorum capitumque serie religiosissime servata, singuli canones alumnis diligenti analysi explicentur : exegeticae vero methodo historicae introductiones sunt addendae quibus vera hodiernae disciplinae vis percipiatur. Haec tamen methodus in solis Lycaeis et Universitatibus praecipitur. At in omnibus scholis theologicis optanda videtur maior separatio inter theologiam moralem et ius canonicum. Quam-

quam enim in multis quaestionibus utraque ista scientia simul applicanda est, earum principia et methodus satis diversa sunt ut eorum permixtio, quae saepe occurrit, miseram confusionem producat (1).

Ad profectum scientiae non parum proderit quod scholae maiores iuris canonici in nonnullis universitatibus erectae sunt, v. g. in Washington, Argentorati, Lublinii.

Commentariorum totius Codicis qui hucusque absoluti sunt plerique explicationem nimis ieiunam textui Codicis addunt neque dubiis praevidendis solvendisque satis incumbunt. Coepti sunt tamen edi commentarii methodo vere scientifico comparati tum de universo Codice (Maroto, Vidal, *Commentarium Lovaniense*), tum praesertim de variis Codicis partibus, v. g. de iure religiosorum, de matrimonio, etc.

Incrementis scientiae canonicae favent nova periodica, in quibus scriptores notiones iuridicas et dubios Codicis locos apparatu historico et iuridico exponunt. (2).

1. *Commentarii maiores de universo iure.*

Augustine, Ch. O. S. B., *A Commentary on the new Code of canon Law.* 8 vol., London, 1918-1922. ed. 5ª, 1925. — Blat, O. P. *Commentarium textus iuris canonici*, Romae, 1921-1927. — *Commentarium Lovaniense.* T. I. *Prolegomena* ab A. Van Hove, Lovanii 1928. —

De Meester, A., *Iuris canonici et iuris canonico-civilis compendium*, 9ª ed., Brugis. 1921-1928. — Leitner. *Handbuch des kath. Kirchenrechtes auf Grund des neuen Codex*, Regensburg, 1919-1927. — Maroto, *Institutiones iuris canonici ad normam Cod. i. c.* T. I; T. II, 1 Matriti, 1919. — Ojetti, I. B., *Commentarium in Cod. i. c.*, T. I; T. II, 1. Romae 1927-1929.

Sägmüller, I. B., *Lehrbuch des kath. Kirchenrechts*, 4e Aufl., 1 und 2 Te. Freiburg. 1925-1926. — Wernz-Vidal, S. I. *Ius canonicum ad Codicis normam exactum.* (Hucusque : De personis (exc. de religiosis) ; de matrimonio ; de processibus). Romae, 1923-1928.

2. *Commentarii* maiores *de partibus Codicis* sub respectivis titulis citabuntur.

2. Nova periodica citanda sunt :

Apollinaris, cura professorum Athen. pont. Semin. ad S. Apollinaris. Romae, 1928. — *Commentarium pro religiosis*, cura P. Maroto, Romae, 1920. — *Ius pontificium* cura Toso, Romae, 1921. — *Ephemerides theologicae Lovanienses.* Lovanii, 1924. — *Revue des communautés religieuses*, Louvain, 1925, (praesertim religiosis laicis).

---

(1) Cf. J. Haring, *Zur Methode des akadem. KR.s-unterrichts* (*Theol. prakt. Qschr.*, 1920, 2. 2. ss.) — N. Hilling, *Studium und Wissenschaft des KR in der Gegenwart Arch. f. KKR.* 1921, 3 ss.) — (2) Cf. Creusen, *Un anniversaire canonique* (1918-1928) in *NRTh.* 1928, 601, ss.

LIBER PRIMUS

NORMAE GENERALES

(A. Vermeersch)

48. - Ordo Codicis. Liber I definit et evolvit **normas generales,** i. e. principia quaedam et praescripta quorum usus in interpretatione et applicatione singularum legum ecclesiasticarum continuus erit. In cc. 1-6 definitur relatio Codicis ad ius antea vigens seu proponuntur fontes iuris in universa Ecclesia aut in quibusdam eius partibus post promulgatum Codicem vigentes ; c. 7 est definito locutionis quae singulis fere paginis recurret ; tandem, in c. 8-86, pauca principia et pleraeque conclusiones practicae tractatus de legibus sub sex titulis exponuntur.

INTRODUCTIO

I. DE RELATIONE INTER IUS CODICIS ET DISCIPLINAM ECCLESIAE ORIENTALIS

49. - Codex unam respicit Latinam Ecclesiam, neque Orientalem *per se* obligat (c. 1).

1. *Ecclesia latina* est complexus ecclesiarum quae a Patriarchatu Romano dependent, *Ecclesia Orientalis* vero ecclesiarum quae iurisdictioni patriarcharum Orientalium subsunt (1).

Prima inter utramque partem unius Ecclesiae Christi distinctio ex divisione Imperii romani in Occidentale et Orientale orta est. Ecclesia occidentalis seu latina omnes ecclesias designavit quae a Romana directe pendebant ; Orientalis, quae influxum et potestatem patriarchae Constantinopolitani admittebant, sc. patriarchatum Alexandrinum, Antiochenum et Hierosolymitanum. Omnes ecclesiae orientales aliquando schismate a vera Christi Ecclesia defecerunt ; quae ad unitatem redierunt et primatum R. Pontificis agnoscunt *unitae* dicuntur, aliae se Ecclesiam *orthodoxam* vocant.

2. Nulla aut fere nulla sunt capita disciplinae ecclesiasticae, in quibus plena uniformitas reperiatur inter Ecclesiam latinam et *universam* Ecclesiam orientalem. In nonnullis, paucis sane, disciplina *unius alteriusve* Ecclesiae orientalis (praesertim Maronitarum et Armenorum) congruit omnino cum disciplina Ecclesiae latinae.

Circa quaedam, v. g. ritus et preces, ieiunium et abstinentiam, obligationes clericorum, iura et officia parochorum, Ecclesia latina et orientalis partim *conveniunt* et partim *discrepant* (2).

---

(1) Cf. Janin, R. *Les Églises orientales et les rites orientaux*, Paris, 1923. — Arndt, S. I., *Die gegenseitigen Rechtsverhältinisse der Riten in der katholischen Kirche. Arch. f. KKR*, t. 71 (1894), 193, ss. — (2) Cf. Cappello, S. I. *Ius Eccl. latinae cum iure Ecclesiae orientalis comparatum* (*Gregorianum*, VII, 1926, 489 ss.).

Cum unitas fidei et hierarchiae quae sola Christi fideles inter se coniungit, diversis disciplinae vel cultus formis, si paucas excipias, non tollatur, neque, si Superiores vigiles fuerint, grave divisionis periculum creent, RR. Pontifices fidelibus Ecclesiae Orientalis disciplinam Ecclesiae latinae numquam imponere conati sunt, immo incautum quorumdam missionariorum zelum severe compescuerunt. Id e Constitutionibus Benedicti XIV (1), Pii IX (2) et Leonis XIII (3) clare apparet.

3. Ex ipso can. 1 accurate distinguere debemus materialem legum convenientiam, quae habetur cum Codex eadem statuit quae in disciplina Orientali vigent, et formalem legum communitatem, quae tunc tantum habetur cum ipse Codex vel leges latinae Orientales obligant.

Prior disciplina ex solis eorum propriis legibus Orientales obligat. Quod verum est etiam si quaedam partes legum latinarum ab Orientalibus assumantur.

Leges vero latinae quae Orientales obligant esse possunt Codici anteriores vel in ipso Codice contentae.

A *Ante Codicem* enim obligabant Orientales, eosque adhuc obligant :

a) Decretum *Tametsi*, Conc. Trid., de clandestinis matrimoniis, in locis tamen ubi peculiaris promulgatio, ipso decreto imperata, facta fuit : in plerisque autem Orientalibus partibus promulgatio omissa est (4).

b) Constitutiones contra sollicitantes, ex BENEDICTI XIV C. *Etsi pastoralis*, 26 maii 1742 (cf. *Coll. P. F.*, I, p. 128, n. V) ; Decr. *S. Officii*, 13 iun. 1710 (*Coll. P. F.*, I, 279).

c) *Censurae* ab Apostolica Sede latae « *in materia dogmatum*, et *in Constitutionibus in quibus implicite de iis disponitur*, nempe ubi materia ipsa demonstrat eos comprehendi, quatenus non de lege mere ecclesiastica agitur, sed ius naturale et divinum declaratur ». (Litt. enc *S. C. de P. F.*, 6 aug. 1885 ; *Coll. P. F.*, II, n. 1640).

Quae poenae pro ipsis non sunt Codice revocatae. Cfr CAPPELLO, *De cens.* n. 22.

B *Obligatio ex Codice.* Iam ex veteri iure, etsi res controversa erat, satis constabat, quod nunc expresse Codice statuitur, Orientales legibus disciplinaribus Ecclesiae latinae non subici « nisi de iis agatur quae ex ipsa rei natura, etiam Orientales afficiunt » (c. 1).

Ex ipsa autem rei natura, Orientales afficiunt canones :

a) qui dogma credendum proponunt, v. g. c. 218 de primatu S. Pontificis ;

b) qui declarant ius divinum, v. g. c. 228, § 2 negans appellationem

---

(1) C. *Etsi pastoralis*, 26 maii 1742. — Ep. encycl. *Allatae sunt*, 26 iul. 1755.

(2) Litt. encycl. *In suprema*, 6 ian. 1848. — *Amantissimus*, 8 apr. 1862.

(3) Ep. encycl. *Paterna caritas*, 25 iul. 1888. — Litt. Apost. *Orientalium dignitas*, 30 nov. 1894.

(4) Cf. VERMEERSCH, *De forma sponsalium ac matrimonii post decretum « Ne temere »* ed. 5, n. 88. Ibi notavimus Ruthenos Gallicianae provinciae fuisse astrictos servando decreto *Ne temere*, ex decreto *S. C. de Prop. Fide pro negotiis ritus Orientalis*, 5 maii 1911.

a Papa ad Concilium; c. 542, 2° prohibens ingressum in religionem filiis qui parentibus opitulari debent; c. 1255, etc.

c) qui favores spirituales concedunt ritui Orientali non contrarios. Ita indulgentias participant, e decl. S. Paenit. 7 iul. 1919 (*AAS*., IX, 1917, 399; *Per.* IX, 67); sed non facultatem trium missarum in Comm. omnium fidelium defunctorum (cfr resp. *S. C. de P. F.* pro negotiis ritus Orientalis, *AAS*, VIII, 1916, 104. - *Per.* VIII, 223);

d) qui Orientales explicite comprehendunt, v. g. c. 542, 2° qui cooptationem Orientalium in religionem latinam directe vetat sine scripta venia S. C. Orientalis; c. 622, § 4, de quaestuatione c. 1099, § 1, 3°; de forma Codicis servanda quando Orientales matrimonium contrahunt cum latinis hac forma astrictis; — vel qui intellegi nequeunt nisi ut universales: v. g. c. 98, quo modus cooptationis in ritum definitur.

Etsi c. 866, § 1 omnibus fidelibus facultatem facit suscipiendi s. communionem quolibet ritu confectam, et § 2 mere suadet ut communionem paschalem suo quisque ritu suscipiat, assessor *S. C. pro Neg. Ritus Orientalis* scripserat in plenario coetu 14 apr. 1924 responsum esse Orientales semper teneri C. *Tradita*, Pii X, quae fideles sub peccato mortali obligat ad recipiendam communionem paschalem proprio ritu. Sed in plenario coetu, 16 ian. 1926, de quo melius constat, declaratum est etiam Orientales frui posse § 2 c. 866. Quare responsio ista assessoris normam d) minime infirmat.

C. *Post Codicem*, S. C. pro Eccl. Orientali, 26 maii 1928 declaravit Orientales sicut ceteros teneri decretis quibus S. C. S. Officii damnat libros et diaria. (Cf. *AAS*, XX, 195. — *Period.* XVII, 130.)

II. DE FONTIBUS IURIS VIGENTIS (c. 2-6)

50. - Praeter expressa Codicis praescripta, fontes iuris nunc in Ecclesia vigentis sunt: (Cfr Van Hove, *Prolegomena*, n. 40 ss.)

1° Ius divinum, sive naturale sive positivum, seu quaecumque iuxta voluntatem *Dei*, auctoris naturae et gratiae, et *Christi*, revelatoris et conditoris Ecclesiae catholicae, agenda vel omittenda sunt.

2° Omnia decreta fidei et morum doctrinaliter edita, ut expresse dicitur in cc. 1323 et 1324.

3° Libri liturgici ab Ecclesia latina probati, nisi in Codice expresse corrigantur (c. 2).

4° Conventiones ab Apostolica Sede cum variis nationibus initae (c. 3).

5° Privilegia a S. Sede concessa, quae tempore promulgationis Codicis legitime vigebant neque in eo expresse revocantur (c. 4).

6° Consuetudines Codici non contrariae; immo et ei contrariae, si sint centenariae vel immemorabiles, neque expresse reprobentur et ab Ordinariis conservandae iudicentur (c. 5).

7° Leges anteriores quae implicite in Codice continentur (c. 6).

8° Leges Codice anteriores *neque* ullo modo in eo *contentae*, quas S. Sedes, post promulgatum Codicem, adhuc vigere decrevit vel decernet. Cf. infra n. 57.

9° Leges particulares non contrariae Codici, vel quae, quamvis contrariae sint, nihilominus servari permittuntur. Sic leges particulares quibus festa legitime abolita sunt mutari nequeunt, nisi consulta S. Sede (c. 1247, § 3).

10° Normae tribunalis S. Officii, quae in causis S. Officii etiam a tribunalibus inferioribus servandae sunt (c. 1555, cf. *Epitome*, III, 8).

11° Ius civile singularum nationum, in partibus ad quas Codex remittit; non autem in aliis. Cf. infra n. 100. *Epitome*, II, 850.

Scholion. Si non quaeras quaenam leges vigeant sed quaenam leges Codice **suppressae** sint, sic breviter quaesito satisfieri potest.

Codex abrogat : Leges sive *universales* sive *particulares* praescriptis Codicis contrarias, nisi de particularibus legibus aliud expresse caveatur (c. 6, 1) ; *consuetudines contrarias*, tam universales quam particulares, quae novis canonibus *expresse* reprobantur, vel non sunt *centenariae* et *immemorabiles* (c. 5) ; *poenas* quaslibet quarum nulla mentio in Codice fiat (c. 6, 5) ; *disciplinares leges* quae nec explicite nec implicite in Codice continentur (c. 6, 6) : leges intellege universales.

In dubio autem, concordiam cum veteri iure praesumendam esse statuit c. 6, 2°, 3°, 4°.

De his nunc paulo fusius disserendum est.

51. - *De iure liturgico.*

« Omnes liturgicae leges vim suam retinent, nisi earum aliqua in Codice expresse corrigatur » (c. 2).

Leges liturgicae continentur libris liturgicis ab Ecclesia probatis et decretis S. Congr. Rituum. Cum autem in libris liturgicis contineantur etiam leges disciplinares et poenales, cave ne traducas ad omnia quae in his libris habentur id quod de solis partibus liturgicis statutum est.

Libri liturgici sunt *Missale* et *Breviarium Romanum*, quibuscum arte conectuntur *Martyrologium* et *Calendarium Romanum* ; — *Pontificale Romanum* ; — *Caerimoniale episcoporum* ; — *Caerimoniale Romanum* ; — *Rituale Romanum* ; — *Memoriale Rituum*. His libris, ex decr. *S. R. C.*, 17 maii 1911 (*Decr. auth.*, n. 4266), accensenda sunt *propria* tum officiorum, tum Missarum alicuius dioecesis, Ordinis seu Congregationis religiosae ; *instructio Clementina*, pro expositione SS. Sacramenti. (*Inst. Clementina* complenda est decr. S. C. R., 27 apr. 1927. *AAS.*, XIX, 1927, 192. - *NRTh.*, 1927, 698. - *Per.*, XVI, 46), et *Collectio decretorum S. R. C.* (De editionibus librorum de s. liturgia, cfr *Per.* VI, p. 54).

De his libris, cf. *Epitome*, II, 575.

Codex, plerumque, nihil decernit de ritibus et caerimoniis servandis in celebratione Missae, in administratione sacramentorum et sacramentalium ; attamen in paucis libros liturgicos correxit, temperavit vel complevit, v. g. c. 748 de baptizandis monstris ; c. 755. 776 de

caeremoniis et de loco baptismi ; c. 947 de unctionibus in administranda Extrema-Unctione ; c. 1265 de custodia SS. Eucharistiae. Ad haec iam nova Ritualis editio aptata est.

52. - *De Concordatis* (1).

1. Conventiones ab Apostolica Sede cum variis nationibus initae nullatenus Codice abrogantur neque iis obrogatur, etiam cum praescriptis Codicis contrariae sunt (c. 3). De natura et vi istarum conventionum pro rei momento fusius disseremus.

S. Sedes plurimas conventiones cum variis nationibus iniit (2), praesertim quo iura Ecclesiae circa res mere spirituales et utriusque potestatis circa res mixtas melius definirentur et cum pace servarentur.

Illae conventiones plerumque *nomen* Concordatum habent, ex primis huiusmodi pactis desumptum, quae « *concordia* » vel « capitula concordata » vocabantur, quia ad pacem inter utramque potestatem instaurandam inita sunt. Codex vocem « conventiones » adhibet, quae in plurimis concordatis invenitur.

2 *Definitio.* Concordata sunt *per se* conventiones seu pacta inter R. Pontificem et illos qui supremum populorum regimen detinent. quibus utraque pars se ad quaedam privilegia alteri concedenda vel iura servanda ex iustitia obligat.

De hac definitione neque omnes catholici inter se conveniunt, ut mox patebit. Dicimus Concordata esse *per se* conventiones, ut innuamus quaedam posse, partim vel tota, esse meram legem promulgantem privilegia pontificia potestati civili concessa. Sed e voce « conventio » in plerisque adhibita, et ex eorum forma, conventiones praesumendae sunt, ita ut alia cuiusdam Concordati natura probanda sit.

Subiectum concordatorum sunt ex una parte R. Pontifex, tamquam supremus Ecclesiae princeps, ex altera ille Superior civilis qui de conventione internationali pacisci potest.

A faciendo concordato episcopi fere excluduntur ; etenim : solus S. Pontifex ius commune mutare potest ; in concordatis saepius de causis maioribus agitur : plerumque pro territorio totius regionis politicae valent. — S. Pontifex conventionem non init, nisi certa fuerit ratihabitio comitiorum, sicubi ad valorem pactorum necessaria sit. — Etsi tertia persona, eaque privata, in conventione nominetur, tamquam obligationes assumens et iura obtinens, non est subiectum con-

---

(1) Commentarii *de Concordatis* a P. CREUSEN scripti sunt. — Cf. WERNZ, I, n. 264, ss. — *Textus Concordatorum* quaerendi sunt in : NUSSI, V. L., *Conventiones de rebus ecclesiasticis*, etc. Romae 1869, aut MERCATI, *Raccolta di Concordati su materie ecclesiastiche*, etc., Roma, 1919, in qua ad a. 1914 numerantur 133. — De vi antiquarum conventionum relate ad novas e bello ortas respublicas, cf. allocutionem Benedicti XV, 21 nov. 1921. AAS, XIII, 1920, 521. — Conventiones cum republica Lettoniae (AAS, XIV, 1922, 577). Bavariae (AAS, XVII, 1925, 41), Poloniae (AAS, XVII, 1925, 273), cum Lituania (AAS, XIX, 1927, 427), cum republica Cecoslovacha (AAS, XX, 1928, 735), Lusitania (AAS, XX, 1928, 129).

ventionis sed a supremo legislatore ipsi onera imponuntur et privilegia conceduntur. Sic nominantur Superiores missionariorum in conventione (26 maii 1906) cum gubernio Congi belgici (MERCATI, *Raccolta*, p. 1096).

Subditi *indirecte*, vi obligationis a legitimo Superiore impositae, S. Sedes et principes saeculares *directe* vi promissionis suae tenentur.

Forma exterior concordatorum diversa reperitur, sc. aut *Constitutionis pontificiae* et *legis civilis* quae separatim eduntur (Conc. Wormatiense, a. 1119. *Raccolta*, p. 18, ss.), aut solius constitutionis pontificiae (Concordata Constantiensia, a. 1418. *Raccolta*, p. 144, ss.), aut conventionis bilateralis ad normam pactorum internationalium (Concord. Austriacum, a. 1855. *Raccolta*, p. 821 ss.), aut seriei *notarum*, de quibus inter utramque partem convenit (Concord. Russiacum, a. 1847. *Raccolta*, p. 751 ss.).

In secundo casu, conventio firmata a R. Pontifice primum in Consistorio dein in forma Bullae promulgatur, a potestate autem civili in forma legis ; in quarta forma, quae cum potestate haeretica vel schismatica obtinet, separatim publici iuris fiunt constitutio R. Pontificis et principis edictum.

Materia conventionis possunt esse res *temporales*, v. g. solutio vectigalium pro bonis ecclesiasticis ; res *mixtae*, sive stricto sive lato sensu, ut contractus matrimonialis aut nominatio Superioris ecclesiastici qui simul potestatem civilem habeat ; res *spiritualis*, v. g. ius nominandi episcopos et parochos.

53. - Obligatio quae utrique parti oritur alia ab aliis scriptoribus asseritur. Duplex est, si principia consideres, sententia catholicorum ; fundamentum enim tertiae sententiae seu *theoriae legalis* a catholico consequenter teneri nequit. Cfr CAPPELLO, S. I, *Summa iuris publ.* n. 307-308.

1. **Theoria legalis** asserit concordata esse *tantum* leges a civili potestate latas. Rationes sunt : 1° quia Ecclesia est societas privata societati politicae subordinata ; 2° suprema potestas civilis partem supremi regiminis alienare nequit ; 3° Ecclesia nullum ius contra Statum urgere potest.

E theologia dogmatica et doctrina ethica naturali scimus : 1° Ecclesiam non esse societatem territorialem, singulis principibus subordinatam ; 2° etiam principem supremum exercitio eorum iurium renuntiare posse quae ad bonum regimen societatis non sunt necessaria ; 3° Ecclesiam, quippe quae societas in genere suo perfecta sit, vera iura erga quamlibet aliam societatem sibi vindicare posse. Ceterum inter liberales et Protestantes non desunt qui, etsi principi civili cum Ecclesia, utpote societate privata, concordata facienda non esse sentiant, iis tamen, si admittantur, ligari principem asserant (1).

(1) FRIEDBERG, Em., *Lehrbuch des kath. und evang. Kirchenrechts*, 5e ed., p. 146.

2. Prima sententia catholicorum vocatur theoria contractualis. Concordata sunt contractus bilaterales, qui tum a R. Pontifice tum a principe civili ex iustitia commutativa servandi sunt.

Admittitur : 1° ab iis qui inter potestatem ecclesiasticam et statum coordinationem, ut aiunt, exsistere censent, v. g. von Schulte (1), Vering (2), von Scherer (3), Sägmüller (4) ; 2° a pluribus fautoribus doctrinae quae Ecclesiae potestatem indirectam in Statum vindicat, v. g. de Angelis (5), Cavagnis (6), Fink (7), Palmieri (8), Billot (9), Turinaz (10), M. a Coronata (11), etc. Non tamen omnes isti « pactum bilaterale » eodem sensu intellegunt, ita ut alii ab aliis forte satis discrepent.

Contractus bilateralis vocatur in quo ultro citroque seu utrinque obligatio oritur. *Aequalis* aut *inaequalis* dicitur, prout « directe duae obligationes et actiones aequales, veramque commutationem continentes gignuntur », aut « per accidens et minus principaliter etiam ex post facto uni obligationi accedat altera, et actio contraria » (12). Quidam dicunt contractum bilateralem sensu stricto et sensu lato accipi posse, etsi non omnes de requisitis ad sensum strictum elementis consentiant. Haec saltem ab omnibus ad contractum bilateralem sensu stricto efficiendum requiruntur : 1° obligatio *ex utraque parte* ; 2° obligatio *ex iustitia commutativa* ; 3° *conexio* inter utramque obligationem ita ut una ad alteram ordinetur. Perperam quidam aequalitatem inter utramque personam exigunt.

Si vero quodpiam elementum desit, contractus bilateralis *sensu lato* erit, v. g. si deest nexus strictus inter duas obligationes assumptas (13).

Dum Schulte, Turinaz et Soglia contractum sensu stricto accipiunt, M. a Coronata concordata dicit « pacta bilateralia lato sensu seu etiam pacta bilateralia inaequalia ». Cui sententiae patrocinatur D. Van Hove in *Ephem. theol. Lovanien.*, 1924, 613. Cf. quoque M. Bierbaum, *Das Konkordat in Kultur, Politik und Recht.* Freiburg i. B., 1928.

Argumenta. 1° *Verba RR. Pontificum.* Textus qui maiorem habere vim nobis videntur sunt : *a*) Iulius III, C. *Romanum Pontificem*, 14 sept. 1554 : « nos attendentes concordata praedicta *vim pacti* inter partes habere... » ; *b*) Leo X, C. *Primitiva Ecclesia*, 1516 : « ... et quia supradictam concordiam cum praefato Rege... consentimus, illamque inviolabiliter observari desideramus, illam *veri contractus et obligationis* inter nos et Sedem Apostolicam praedictam ex una parte... legitime initi... vim obtinere » (14), et infra : « necnon irritum et inane

(1) *Lehrbuch des kath. Kirchenrechts*, 2ª ed., p. 148, ss. — (2) *Lehrbuch des kath., und protest. Kirchenrechts*, Freiburg, 1876, § 50. — (3) *Handbuch des Kirchenrechts*, I, p. 152, ss. — (4) *Lehrbuch des kath. KR.*, I⁴, p. 54, praefert « coordinationem imperfectam » explicationi « potestatis indirectae ». — (5) *Praelectiones iuris canonici*, l. I, tit. 4, Appendix. — (6) *Institutiones iuris publici eccles.*, 4ª ed., t. I, p. 415, ss. — (7) *De concordatis*, Lovanii, 1879. — (8) *De Romano Pontifice*, 2ª ed., p. 557, ss. — (9) *Tractatus de Ecclesia Christi*, II, 1910, p. 128, ss. — (10) *Les Concordats*, Paris, 1888. — (11) *Ius publicum ecclesiasticum*, n. 125, ss. — (12) Wernz, *Ius Decretalium*, III, n. 228. « *Actio contraria* » est Actio (iudicialis) quam habet creditor per accidens ad ius suum persequendum. — (13) M. a Coronata, *Ius publicum ecclesiasticum*, n. 119. — (14) *Raccolta*, p. 245. — Mercati aliam lectionem pro *veri contractus* nullam allegat, etsi in paucioribus fontibus *vero* habeatur.

quidquid secus super iis, vel eorum aliquo a quoquam, quavis auctoritate, etiam per Nos et successores nostros praefatos, scienter vel ignoranter contigerit attentari, decernimus » (1) ; *c*) Benedictus XIV in Concordato cum Ferdinando VI (a. 1753) *irritum* declarat quidquid ab alterutra parte contra articulos factum fuerit (2) ; *d*) Pius X, Encycl. *Vehementer*, 11 febr. 1906 : « Le concordat passé entre le Souverain Pontife et le Gouvernement français, comme du reste tous les traités du même genre que les Etats concluent entre eux, était un *contrat bilatéral*, qui obligeait des deux côtés » (3).

2° *Nomen* et *forma* plerorumque Concordatorum (4).

3° *Incommoda sententiae adversae*. Cum sententia nostra sit omnino menti principum saecularium conformis, pleraque recentiora concordata nullam, ut videtur, vim haberent, si vel habenda essent « potius tamquam mera S. Sedis privilegia ».

4° *Debilitas obiectionum*. R. Pontifici enim, etsi supremae potestati, vel partim, renuntiare non potest, certis formis exercitii eius ob bonum commune non uti licet ; quare istud etiam ex iustitia promittere potest. — Neque simonia in tali pacto habetur, cum privilegia spiritualia bonis temporalibus non permutentur.

3. Secunda sententia catholicorum est *theoria de privilegiis*. Concordata, « licet habeant aliquam vim pacti, magis sunt privilegium papale » (SCHMALZGRUEBER, in L. III, t. 5, n. 270, ss.). — Quam sententiam tenent praeter auctorem citatum, Card. TARQUINI (5), BALDI (6), etc.

Argumenta. 1° Res spirituales materia contractus stricte dicti esse nequeunt.

2° In Concordatis, R. Pontifex potius iure cedit quam ius acquirit.

3° R. Pontifex, cum sit omni principe saeculari superior, pactum bilaterale stricte dictum seu synallagmaticum cum eis inire non potest.

4. WERNZ ita distinguit : 1° Concordata in compluribus articulis S. Sedi obligationem iustitiae commutativae imponunt ; 2° in compluribus articulis mera privilegia pontificia continent, quae ius quaesitum erga tertias personas, non stricte erga S. Sedem Statui concedunt ; 3° non sunt contractus synallagmatici seu stricte bilaterales, quia hi supponunt veram inter paciscentes, qua tales, aequalitatem, res in commercio positas, idem vinculum in utraque parte (*Ius Decretalium*, I, n. 173). Sed theoriae pacti bilateralis simoniae labem non obicit.

N. B. Inter catholicos non videtur esse tantum lis de verbo, neque alterutri sententiae necessario adhaerent prout thesim coordinationis vel indirectae subordinationis inter Ecclesiam et Statum admittunt (7).

---

(1) Ibid. et LABBE, *Concilia*, XIV, p. 375. — (2) *Raccolta*, p. 436. — (3) Cf. Questions actuelles, t. 85, 11. — (4) SÄGMÜLLER *Lehrbuch des k. KR.*, I, p. 59, urget praesertim hoc argumentum. — (5) *Institutiones iuris eccles. publici*, p. 71, ss. — (6) *De nativa et peculiari indole concordatorum*, Romae, 1883. — (7) Contra DUDON, D.A. v° *Concordats*.

54. - *De privilegiis, indultis.*

Inter ea quae Codex abrogatione sua eximit, reperiuntur iura aliis *quaesita*, itemque *privilegia* atque *indulta* quae, ab Apostolica Sede personis sive physicis sive moralibus hactenus concessa, in usu adhuc sunt nec revocata (c. 4).

Ius *quaesitum* idem est quod ius acquisitum et opponitur iuri acquirendo. Iura igitur alias quaesita ea sunt quae, iam facta applicatione anteriorum legum, alicui competunt. Sic ecclesiae etiam non parochiali ius quaesitum esse potest fontis baptismalis ; parocho ius quaesitum faciendi exclusive functionem quandam non parochialem ; confraternitati ius quaesitum praecedentiae (Cf. cc. 774. 415. 106, 5). De isto argumento redibit sermo ubi de vi non retroactiva legum agetur. *Privilegia* sub genere indultorum computantur ; sed *privilegia* sunt magis iuris specialis constitutiva, dum *indulta* quandam largitionem designant. Cf. infra n. 75.

Iura quaesita, privilegia, indulta, quamvis conumerentur, non sunt tamen consideranda ut parallela et eiusdem rationis. Pleraque enim iura quaesita ex privilegiis et indultis oriuntur ; et indulta sunt etiam fons uberrimus privilegiorum. Praeterea, indulta actum quo quidpiam conceditur designant, dum iura quaesita et privilegia sumuntur potius obiective, idest sunt obiecta seu bona quibus quis fruitur.

Integra tamen manent non sola privilegia quae per indulta sunt acquisita, sed ea etiam quae praescriptione comparata sunt : praescriptio enim originem dat iuri quaesito.

Privilegia autem quae orta sint ex lege vel ex consuetudine vices legis vel consuetudinis necessario sequuntur. Quare abrogabuntur, suppressa lege generali vel particulari Codici contraria, ad normam c. 6, 1°, et abrogata consuetudine, sive quia non erat centenaria aut immemorabilis, sive quia Codice reprobata erat aut non admissa ab Ordinariis.

Quaenam autem privilegia sint orta ex consuetudine, quaenam ex praescriptione, id discernere saepe non est facile negotium. In primis observes subiectum privilegii : si nempe proprium sit unius vel paucorum, e sola praescriptione vel formali concessione originem trahere poterit. Consuetudo enim supponit populum eiusque mores.

Quaeres utrum verba « *ab Apostolica Sede concessa* » ad sola indulta, an etiam ad privilegia referri debeant. Atque etiam ad privilegia referri debere dicendum est. Secus enim videretur confirmare etiam ea privilegia quae ab Ordinario concessa essent vel quae lege aut consuetudine etiam ordinaria niterentur. Sic etiam Claeys-Boúúaert-Simenon, *Manuale*, n. 146.

Quaenam sint *personae morales*, infra dicetur ad can. 99.

Ut vero maneant privilegia et indulta Codici anteriora, haec duo praeterea requiruntur, saltem si verbis canonis insistas : « *quae sunt in usu et non revocata* ». Generatim quidem privilegia aliis haud onerosa non cessant per non usum. Verum hic agitur de privilegiis Codici contrariis, et *positive* requiritur ut *sint in usu*, i. e. ut exerceantur (1). Dein postulatur ut non sint *revocata*, ac proin ut usus iste sit legitimus.

Est tamen qui condicionem praefatam ita intellegat quasi scriptum

(1) Sic etiam Cicognani, *Ius canonicum*, II, p. 27, b.

sit : « quae hoc sensu sunt in usu, quatenus non sint revocata ad normam c. 76 ».

Quia quidpiam supra privilegium addunt, iura quaesita non tolluntur per clausulam quae privilegia aufert, ut cum dicitur : « revocato quolibet privilegio ». Sic etiam CLAEYS BOÙÙAERT-SIMENON, *Manuale*, n. 147.

55. - *De consuetudinibus.*

Servantur consuetudines Codici *non contrariae.* Immo *contrariae*, quae *non* sunt expresse Codice *reprobatae*, si « centenariae sint et immemorabiles, *tolerari poterunt* si Ordinarii pro locorum ac personarum adiunctis existiment eas prudenter submoveri non posse » (c. 5).

Ordinarii de quibus hic agitur erunt plerumque Ordinarii locorum. Si tamen agatur de consuetudine Ordinis vel provinciae religiosae, erit quoque Superior maior religionis clericalis exemptae. Invitantur Ordinarii ut consuetudines contrarias removeant, nisi prudentiae causa impediantur.

Attento textu, revocatas dixeris consuetudines quas Ordinarii non *positive* declararint prudenter removeri non posse. Ipso tamen silentio quo consuetudines permanere sinunt, huiusmodi iudicium tacite tulisse videntur. Ita etiam CICOGNANI, *op. c.*, II, p. 34. Sed ne iura maneant in incerto, valde optandum est ut mentem suam expresse aperiant, nec sine vera necessitate servent consuetudines contrarias Codici.

Quid autem *si* non statim, sed *solum post aliquot annos* consuetudo Codici contraria prudenter removeri queat ? Etiam post plures annos Ordinarii uti poterunt potestate sua, quae potius est officium sibi sine temporis limitatione commissum.

Quid *si consuetudo* Codici contraria *fuerit generalis ?* Casus huiusmodi consuetudinis generalis quae non expresse revocetur raro tantum evenire poterit. Quia tamen ex ipso c. 30 lex non revocat per se consuetudines centenarias vel immemorabiles etiam si eandem extensionem habeant quam ipsa lex, casus non est chimaericus. Si igitur id acciderit, licere arbitramur singulis Ordinariis ut de prudenti universalis consuetudinis abrogatione statuant quid oporteat. Quare iudicia facile variabunt pro variis locorum et personarum adiunctis. In locis ubi censebitur abrogari non posse, consuetudo manebit formaliter ut particularis.

Codice autem *expresse revocantur consuetudines :* conferendi eodem die minores ordines cum subdiaconatu aut duos maiores ordines (c. 1006, § 5) ; ingressus non gratuiti in ecclesias (c. 1181) ; ferendi extra dioecesim vestem choralem aut specialia insignia capitularia (c. 409, § 2) ; pro canonicis vel beneficiariis choro astrictis, feriandi ultra tres menses (c. 418, § 1), etc.

Etsi c. 5 postulare videatur ut consuetudines quae tolerari possunt sint simul centenariae *et* immemorabiles, in aliis tamen Codicis cano-

nibus, v. g. in can. 27 et 30, ambae ita iuridice aequiperantur, ut satis esse dicamus ut consuetudo sit immemorabilis aut saltem centenaria. Quid sit consuetudo immemorabilis, cf. infra n. 111, 3.

56. - *De disciplina Codice anteriori.* « Codex vigentem huc usque disciplinam plerumque retinet, licet opportunas immutationes afferat » (c. 6). (1)

Hoc principio generali relatio inter leges Codice anteriores et canones Codicis proponitur. Disciplina vetus, i. e. complexus obligationum et iurium quibus mores fidelium vi legum ecclesiasticarum informabantur, generatim non mutatur ; at, quod notatum velimus, eadem iura et obligationes nunc vi Codicis, non vi legis anterioris, vigent ita ut « nunc fons directus et proprius legum disciplinarium retinendus (sit) novus Codex, minime vero antiqua legislatio ». (2)

Vigens autem *disciplina* ea intellegenda est quae non nomine tantum, sed etiam *re* observabatur et urgebatur.

Ipse Codex subiungit illico explicationem et consectaria generalis principii traditi.

« 1° Leges quaelibet, *sive universales sive particulares*, praescriptis huius Codicis *oppositae*, abrogantur, nisi de particularibus legibus aliud *expresse* caveatur ; » (c. 6).

Leges *particulares* sunt quae pro communitate vel territorio speciali feruntur, v. g. statuta dioecesana, constitutiones Ordinis religiosi, etc. ; non sunt leges particulares quae omnes certi ordinis vel generis personas regunt, v. g. leges de clericis, de canonicis, etc.

Haud raro ordinationes particulares v. g. constitutiones religionis, statuta capitularia, etc., Codici contrariae ab abrogatione expresse eximuntur. Cf. c. 162. 172. 397. 505, etc.

Quid sentiendum sit de legibus quae non nulla praeter *Codicem* statuunt, dicetur hic infra, sub n. 6°.

« 2° Canones qui ius vetus ex integro referunt, ex veteris iuris auctoritate, atque ideo ex receptis apud probatos auctores interpretationibus, sunt aestimandi ; »

Hoc in casu *obligatio* non mutatur, sed veteri constitutioni aut decreto *canon* sufficitur. Exemplum habes, v. g. in c. 866, § 1, qui verba Pii X, in C. *Tradita ab antiquis*, 14 sept. 1912, III, refert.

Probati auctores sunt sive antiquiores sive recentiores qui passim noti sunt ut catholici et prudentes, maxime si in ipsa Curia Romana in causarum disceptatione allegantur.

---

(1) Cf. M. Falco, *Introduzione allo studio del C. I. C.*, p. 49 ss. *N. R. Th.*, 1923, 196, ss.
(2) Maroto, *Inst. iuris can.*, I, n. 169.

« *Atque ideo* » Canon, per haec verba nos memores efficit ius vetus viguisse qualiter a probatis auctoribus intellegebatur. — Horum enim sententiae plurimum valent in consuetudinem ; consuetudo autem « est optima legum interpres » (c. 29). Dein, ultra receptas apud probatos auctores interpretationes lex est obscura et dubia, nec proin obligat (c. 17, § 2).

« 3° Canones qui ex parte tantum cum veteri iure congruunt, qua congruunt, ex iure antiquo aestimandi sunt ; qua discrepant, sunt ex sua ipsorum sententia diiudicandi ; »

Exempla praebent v. g. c. 2341 de privilegio fori (*Epitome*, III, 540) et c. 2346, de usurpatione bonorum ecclesiasticorum (*Epitome*, III, 546. *N. R. Th.*, 1922, 204, ss.).

« 4° In dubio num aliquod canonum praescriptum cum veteri iure discrepet, a veteri iure non est recedendum ; »

Ius novum a veteri dupliciter discrepare potest, positive sc. et negative. Discrepat *positive* si canon aliud atque ius vetus praescribit aut prohibet ; *negative*, si praescriptum vel prohibitio iuris veteris in Codice neque explicite neque implicite continetur. Iamvero c. 6, 4° de dubio circa *positivam* discrepantiam agit ; ait enim : « num *aliquod* canonum *praescriptum*... discrepet... » ; de suppresso per silentium praescripto iuris agitur sub n. 6°. Proinde, ubi dubia est *omissio* alicuius praescripti anterioris, seu eius insertio implicita, non est asserenda eius permanentia ex hoc c. 6, 4°.

Ita c. 589, § 1 vult ut religiosi « in inferioribus disciplinis rite instructi » ad philosophiam admittantur ; de methodo et tempore illarum disciplinarum nihil decernit. Quidam dubitarunt num decreta anteriora de disciplinis inferioribus implicite in verbo *rite* continerentur. Cum *praescriptum* c. 589 a veteri iure negative tantum discrepet, negamus vi c. 6, 4° constare de permanentia illorum decretorum ; et quia c. 589, § 1 optime potest explicari et applicari quin illa decreta observes, negamus illa in Codice implicite contineri. Cf. infra, commentarium in c. 589.

« 5° Poenae quaelibet, quarum in Codice nulla fit mentio, tamquam abrogatae habeantur. »

Silentio Codicis abrogantur poenae contra Regulares extremam-unctionem illegitime administrantes, contra missionarios negotiantes, etc.

Poenae quaelibet. Quia dictum istud est generale, abrogatio afficit non solas poenas quae disciplinaribus legibus continebantur, verum etiam eas quae in libris liturgicis habebantur. V. g. in *Rit. Rom.*, tit. VI, c. 2, de neganda sepultura ecclesiastica, qui in novissima editione 1926 reformatus est.

« 6° Si qua ex ceteris disciplinaribus legibus, quae usque adhuc viguerunt, nec explicite nec implicite in Codice contineatur, ea vim omnem amisisse dicenda est, nisi in probatis liturgicis libris reperiatur, aut lex sit iuris divini sive positivi sive naturalis. »

1. *Ius divinum* mutatione legis humanae numquam afficitur; de iure *liturgico*, c. 2 explicite agit; *de lege poenali*, c. 6, 5°.

Explicite in lege vel in sententia continetur saltem id quod in ea *actu formaliter* exsistit seu quod distincte et in se exprimitur: *implicite* quod in aliquo est sicut conclusio in principiis. (Cf. S. THOM. *Ver.* q. 14, art. 11.)

Explicite igitur in Codice continentur eae saltem leges anteriores quae simul *allegantur* et *ad verbum* in documentis *referuntur*.

Quod ad leges quarum praescripta iisdem vel aequipollentibus verbis in canonibus assumpta sunt, scite observat MARIUS FALCO (1) leges istas non contineri in Codice, cum nunc sola Codicis vi valeant. Igitur non formaliter, ut leges, sed mere materialiter sunt in Codice. Quare (contra atque in duabus prioribus editionibus scripseramus), leges istas non iam dicimus explicite in Codice contentas.

Implicite in Codice continentur eae leges anteriores quarum praescripta ex textu canonum via *necessariae consecutionis* permanere constat, tamquam applicationem certam principii in Codice contenti; et praeterea leges sine quibus canon vel series canonum nullo modo intellegi vel applicari posset.

Exemplo sit c. 142, quo prohibentur clerici « per se vel per alios negotiationem aut mercaturam exercere » : qui canon intellegi nequit sine pluribus decretis et resolutionibus authenticis antea datis : haec igitur implicite in Codice continentur. Pari ratione implicite in Codice continetur decr. S. C. *de Sacramentis*, 7 mart. 1910, quo S. Sedi reservatur concessio dispensationum matrimonialium per omne stirpis regiae. Ex ipsis enim decreti verbis constat dispensationes istas esse causas *maiores*. Maiores autem causae S. Pontifici reservantur canone 220 Codicis, qui causas istas nusquam taxative enumerat.

Quid dicemus *de legibus* anterioribus quae *explicite allegantur*, sed quarum praescripta *expressis verbis* in Codice *non proponuntur*, v. g. instructiones de stipe a religiosis quaeritanda (c. 621)?

Plerique, latius intellegentes verbum *contineri* (sc. in Codice), eas pro explicite contentis habent; nos easdem explicite quidem allegatas sed implicite contentas dicebamus (2). Sed, sive explicite sive implicite tantum eas dicas contentas, leges istae vim suam servant. Quare licet non immorari huic quaestioni quae absque usu est.

At prorsus falso asseritur omnes leges Codice anteriores, quae tempore eius promulgationis vigebant neque in eo explicite abrogantur, implicite in eo contineri (3). Tale assertum frustra ex c. 6 eruere conaberis et, si verum esset, maximam post Codicem confusionem pareret (4). Contradicit quoque c. 22, quo lex prior obrogari dicitur lege posteriori quae eius materiam totam de integro ordinat,

(1) *Introduzione allo studio del Codex I. C.*, p. 53, nota 1.

(2) CICOGNANI, *Ius canonicum*, II, p. 46 pro implicite contentis habet instructiones de stipe quaeritanda, dum CLAEYS-BOÚÚAERT-SIMENON easdem explicite contentas dicit.

(3) MOTHON, O. P., *Institutions canoniques*. a. 52, 3°.

(4) Cf. *N. R. Th.*, 1923, 200, ss.

et unanimi commentatorum sententiae de quibusdam praescriptis quae solo Codicis silentio sublata sunt, v. g. de quibusdam impedimentis ingressus in religionem, etc.

3. **Quaeres** annon vigere pergant non pauca decreta, satis recentia, quae a SS. Congregationibus, potissimum de religiosis, sunt edita, et implicite contineri videntur in canonibus qui materias istas modo satis simili ordinant? Verum ex c. 22 ad contrariam conclusionem adducimur. Etenim, ut subditi quasi duas leges parallelas de eodem argumento observandas habeant, canon iste sapienter disponit priori legi per posteriorem derogari, si haec « totam, de integro, ordinet legis prioris materiam ». Caveamus igitur ne praepropere, nimia restitutione legum anteriorum, beneficium Codicis completi, unde ius vigens commode colligamus, paulatim amittamus, et redeat confusa multitudo decretorum et instructionum, quae ecclesiasticam administrationem non parum impediunt, et dubia creant et anxietates quibus Codicis auctores mederi proposuerunt (Cf. *Per.* IX, 3).

57. - 4. Ex canone 6 colliges :

a) *Abrogari* leges *disciplinares generales* quae neque explicite neque implicite in Codice continentur, reservato tamen iure contento in libris liturgicis vel iure divino positivo vel naturali (si tamen in eo sint puncta disciplinaria).

b) *Manere* tamen leges *dogmaticas*, cum de iis Codex non agat, et proscriptiones propositionum, quatenus sunt doctrinales.

Manere quoque *Indicem librorum prohibitorum*, quia ad res dogmaticas refertur. Per indicem enim periculo fidei et morum praecavetur.

c) *Non abrogari leges* disciplinares vel poenales *particulares*, nisi sint Codici oppositae.

Itaque perseverat obligatio praestandi iuramentum de ritibus Sinensibus et Malabaricis, quod missionariis quarundam regionum imponitur, cum obligatio ista ad leges particulares ascribenda sit.

d) *Abrogari* omnes *leges poenales generales.*

e) *Non abrogari consuetudines* Codici *non contrarias.* Contrariae abrogantur si declarantur corruptelae, vel non sint immemorabiles aut centenariae. Prudenti Ordinariorum iudicio committitur perseverantia consuetudinum centenariarum vel immemorabilium.

Quaeres utrum necne maneant *leges generales* quidem sed *natura sua temporariae et transitoriae?*

Bis quidem S. Sedes hanc rationem allegavit ut declararet vigere praescripta de Modernismo (1), et decretum S. C. de Religiosis *Inter reliquas*, 1 ian. 1911, de clericis militiae ascriptis (2).

Verum, e positivis istis decretis, quae praeterea allegarunt praesentis temporis necessitatem, huiusmodi regula generalis colligi nequit. Praevalet enim generalis norma qua, sine exceptione, abrogantur omnes leges generales disciplinares quae nullatenus in Codice continentur ; praevalet ratio e fine Codicis deprompta. Estne lex vere

---

(1) *S. Off.* 22 mart. 1918. - AAS, X, 1918, 136. — (2) S. C. *de Religiosis*, 15 iul. 1919, AAS, XI, 1919, 329.

temporaria ; perseverantne adiuncta propter quae lata est ? Haec puncta facillime in controversiam venient. Tunc actum esset de Codice completo quo ius vigens commode cognosci possit, ac paulatim rediret multitudo decretorum et instructionum unde S. Pontifex forum canonicum liberare voluit.

Ceterum leges temporarias non prorsus e Codice exsulare demonstratur canone 459, § 4, ubi forma concursus pro paroeciis retinenda dicitur donec « Sedes Apostolica aliud decreverit ». Quid, quod ipse c. 141 de militari clericorum servitio formaliter agit ?

Optime igitur de declarationibus *S. Officii* circa abiurationem modernismi et S. C. *de Religiosis* circa servitium militare ex decreto *Inter reliquas* Claeys-Bouúaert-Simenon haec monet : « Ista responsa constituunt declarationes authenticas *restrictivas* iuris vigentis in c. 6, n. 6 contenti. Quare speciali sua indigent promulgatione et vim retroactivam non habent. Nec ad privatum interpretem pertinet easdem declarationes ad casus apparenter similes extendere, saltem cum effectu veram et universalem obligationem producendi. »

III. DE VI VERBORUM « SEDES APOSTOLICA » « SANCTA SEDES »

58. - « Nomine Sedis Apostolicae vel Sanctae Sedis in hoc Codice veniunt non solum Romanus Pontifex, sed etiam, nisi ex rei natura vel sermonis contextu aliud appareat, Congregationes, Tribunalia, Officia, per quae idem Romanus Pontifex negotia Ecclesiae universae expedire solet » (c. 7).

Ita intellegentur verba in locutionibus : recursus ad S. Sedem, dispensatio a S. Sede, etc., immo ubi agitur de opinionibus a S. Sede damnatis.

Ex rei natura S. Sedes solum R. Pontificem designat v. g. ubi de veritate fidei definienda agitur, et ubi sermo fit de vacante Sede Apostolica. Per solum enim Romani Pontificis obitum vel abdicationem Sedes Apostolica vacare potest.

TITULUS I

DE LEGIBUS ECCLESIASTICIS

(cc. 8-24)

Scriptores : Suarez, *De legibus*, L. 4-6 — d'Annibale, *Summula theol. mor.* I, 160-216. — Wernz, *Ius Decr.*, t. I, n. 89-147. — J. Cicognani. *Commentarium ad L. I Codicis*, ad can. 8-23. — A. De Meester, *Ius can.*, *compend.* L, I. tit. I. — Maroto, *Institutiones Iur. can.*, n. 177-268. — Ojetti, S. I. *Commentarium in Codicem*, cc. 8-24. — Toso, *ad Cod. Commentaria minora*, ad can. 8-24.

59. - Ordo Codicis. — Nulla motus intentione scribendi tractatum de Legibus auctor Codicis suum de Legibus redegit Titulum ; sed potissimas quasdam iuridicas de Legibus normas memorare et confirmare voluit. Quid autem complexus sit his paucis exhiberi potest. Canone 8 ipsam essentiam et proprietates legis ;

c. 9 legum promulgationem et vacationem ; c. 10 et 11, legum efficaciam ; c. 12-14, subiectum legum ; c. 15 et 16 excusationes a legibus ; c. 17-19 legum interpretationem ; c. 20 legum supplementa ; c. 21-23 legum cessationem attingit. In c. 24 agit de praeceptis quae singulis dentur.

Huic Codicis ordini, in nostra magis completa et methodica expositione, assentiemur et obsecundabimus.

Caput I. - De Legibus proprie dictis

Art. I. - Legis notio et essentia.

60. - Legis notio. Quia genus humanum, immo universus mundus, unitatem habet a Deo et sub Deo, quia tamquam totum cum partibus suis propter finem exsistit, sapiens ordinatio requiritur qua unitas illa servetur, firmetur, qua omnia ad finem prudenter dirigantur. Efficacia autem istius ordinationis naturae creaturarum quibus praestituitur attemperanda est : physica necessitate trahentur irrationalia ; rationalia vero morali necessitate seu obligatione, sufficienter sancita. Et quia obligatio necessitatem dicit obiectivam, seu perceptam intellectu, cui proin notificanda est, authenticam seu auctoritativam propositionem postulat, i. e. intimationem seu promulgationem.

Talis vero ordinatio est lex, quae proin recte definitur : *Ordinatio rationis ad bonum commune, et ab eo qui curam communitatis habet promulgata* (S. Th. 1, 2, q. 90, art. 4). Communitati generis humani praeest ipse Deus, legislator *primus*, ante quem nemo legem condit ; *supremus*, contra quem nemo, sive legislator sive privatus, quidpiam potest ; *universalis*, extra cuius imperium nullus exsistit.

Sub se autem Ipse voluit exsistere et sancire duplicem specie societatem perfectam seu sibi in suo ordine sufficientem : societatem religiosam, universalem et proin numero unicam ; et multiplicem societatem civilem. Inde duplex quoque specie lex est agnoscenda sub divina : lex *ecclesiastica*, qua societas spiritualis ad suum bonum commune seu finem, et lex *civilis*, qua societas temporalis ad suum bonum commune dirigitur. Supra, in Introductione, n. 4, fines utriusque societatis inter se comparavimus.

Lex autem vocatur *ius scriptum*, quia plerumque scripto ferri et promulgari consuevit. Id tamen non est essentiale. Integrum est v. g. S. Pontifici legem ferre in allocutione consistoriali. In Ecclesia autem, contra atque in societate civili, formalis lex consuetudinem praecessit.

61. - Legis condiciones essentiales. Ex ipsa legis notione sequitur, ad omnis legis valorem requiri : *a*) *Negative*, ut *honesta* sit, seu non inducens ad aliquid contra ordinem sive naturae sive legis

divinae positivae ; ut sit *iusta*, i. e. ut, quantum bonum commune permittat, iustitia distributiva in bonis et oneribus communibus partiendis per eam servetur. Deficientibus his condicionibus, lex non foret *ordinatio rationis*.

b) *Positive*, ut ad bonum commune conducat, ac proin non solum physice sed etiam moraliter sit observatu *possibilis*, seu non nimis difficilis ; — ut sit necessaria vel saltem *utilis*.

Quaenam difficultas nimia sit, ex personarum condicione et ex communibus necessitatibus aestimandum est. Sic religiosis, officialibus publicis, attento eorum statu, heroica interdum imponuntur. Sic, tempore belli, heroica a multis civibus exiguntur. Lex talia exigens fit utilis ad bonum commune, ita ut ratio cur non valeret deficere dicenda sit. — Utilitas autem ad bonum commune sufficit *indirecta* et *mediata*. De ea ipse Legislator indicium fert. Quare manifesta postulatur inutilitas, et quidem generalis, ut ob huiusmodi rationem oboedientia detrectari possit. Si in solo casu particulari cesset utilitas, saepe tamen lex observanda manebit, sive propter vitandum scandalum, sive quia lex ad praecavendum periculum generale lata erit. Tales sunt leges de prohibitione librorum. De huiusmodi lege habetur c. 21 : « Leges latae ad praecavendum periculum generale, urgent, etiamsi in casu peculiari periculum non adsit ». — Facilis praeterea est in hac re deceptio. Sic in homine valde mortificato ratio praecepti de ieiunio cessasse videri possit, dum etiam in ipso manet ratio observantiae communis. Itaque in casu extraordinario multa perpendenda erunt ut legem tamquam inutilem omittere possis.

Lex quae inhonesta praecipiat omni valore destituitur. Sed « leges canonicae obligantes totam Ecclesiam proficisci debent a potestate quae in rebus ad mores pertinentibus errare non possit (1) ». Sic Doctor Eximius. Cf. tamen Bouquillon, *Theol. fundam.*, n. 110. Id saltem affirmare licet, a Deo numquam permissum iri ut in Ecclesia vigeat lex universalis quae quidpiam inhonestum praecipiat. Quare cum de lege vere universali Ecclesiae agitur, securi sumus nihil in ea honestati repugnare ; in ea, id est in eius praeceptis vel prohibitionibus vel consiliis quae ad dispositiones pertinent.

62. - Legum ecclesiasticarum obiectum. Leges ecclesiasticae fidem et mores infallibili magisterio etiam definiunt. — Quare sunt canones *fidei*, canones *morum* et canones *disciplinares*.

1. Canones *fidei* continent veritatem revelatam quam Ecclesia assensui fidelium obligatorie proponit. — Canones *morum* de honestate actionum auctoritative decernunt. — Canones *disciplinares* ea omnia statuunt quibus homo christianus, in societate ecclesiastica bene ordinata, in fide tenenda externe adjuvetur, et agere doceatur quae christianum decent et ad finem suum perducunt.

Definitiones fidei et morum a suprema auctoritate datae, immutabiles sunt et infallibiles ; disciplina ecclesiastica, illa quoque quam supremus pastor decrevit, ad varia tempora et adiuncta prudenter attemperatur. Alii canones disciplinares praecepta divina naturalia et positiva magis determinant : cogita praecepta missae audiendae, impedimenta matrimonii ; alii fidem et mores per cautiones et poenas

(1) Suarez, *De legibus*, l. 4, c. 6, n. 22.

tutantur : cogita leges de censura et prohibitione librorum ; alii demum ipsam societatem ecclesiasticam veluti perficiunt : canones de electionibus, de regimine religiosorum, etc.

2. Leges tamen ecclesiasticae fidem et mores necnon disciplinam respiciunt in externa sociali manifestatione (SANGUINETI, *Institutiones*, n. 59). Et cum non communicemus cum aliis per actus interiores, ne ipsa quidem Ecclesia actus internos per se et directe praecipere potest. Ceterum, ut ait S. THOMAS (1, 2, q. 91, art. 4 ; q. 96, art. 3), homo de alienis internis actibus nec iudicium ferre nec poenas efficaciter exigere potest. Potestas autem legislativa, iudiciaria et coactiva partes sunt unius integrae potestatis iurisdictionalis, quae proin iisdem terminis per se continentur, saltem cum de iis agitur quae directe attingit. Nec obici potest quod doctrinalibus definitionibus internus assensus praestandus sit ; assensus iste minus Ecclesiae debetur quam Deo, cuius revelatio per authenticum interpretem constat. — Verum :

a) *Actus occulti* a iurisdictione humana non excluduntur : per accidens latent.

b) *Actus mixti*, qui actu exteriore et interiore componuntur, imperari possunt.

Etenim *indirecte et concomitanter imperari possunt actus interni ita coniuncti cum actu externo ut ad rationabilem voluntatem legislatoris exsequendam sint necessarii.* Id colligitur ex ipsa necessitate efficacis procurationis finis. Actus isti vocantur *mixti*, et, cum agitur de societate ecclesiastica, attento eius fine, multo latius admittendi sunt quam quando agitur de lege civili.

Ita imperari potest intentio necessaria ut actus sit humanus vel iuridice validus ; — intentio necessaria ut actus speciem praeceptam habeat : v. g. ut recitatio breviarii, assistentia missae, sit actus religiosus ; — dispositio necessaria ut actus sit honestus et Deo acceptus : praecepto ecclesiastico non satisfit per confessionem et communionem sacrilegam ; post sumptum Christi corpus, praecipitur brevis oratio mentalis, quae e rerum natura est ad honestatem requisita ; — intentio necessaria ut actus habeat specialem honestatem quae ad finem Ecclesiae conducat : ita praecipi potest intentio necessaria ut exterior oratio vel ieiunium ad specialem finem dirigatur ; ut missa tali intentioni applicetur (Ecclesia tamen valde caute in hac re procedere solet. Cf. nostrum Theol. mor. opus, I, n. 184).

Potest quoque Ecclesia quendam favorem, puta indulgentiam, condicioni actus interioris annectere. Solet tamen exigere aliquem actum exteriorem.

Quod Ecclesia praecipere non potest, nequit censura latae sententiae munire, vel, si forte innotescat, sententia iudiciali sancire. Immo cum agitur de iis actibus qui tantum indirecte et concomitanter praecipiuntur, vis punitiva potest arctioribus limitibus quam vis directiva contineri (1). Sic numquam censura latae sententiae defectum mere interiorem punit. Sed actum externum iam malum, potest Ecclesia punire speciali poena propter condiciones internas quae culpam graviorem reddant,

---

(1) Cf. Card. BILLOT, *De Ecclesia*, p. 457, et quae fusius de re scripsimus in *Theol. mor.* I, n. 184.

saltem si ex adiunctis coniciuntur. Ita excommunicatio specialissime reservata eum plectit qui *ad malum finem* species consecratas abduxerit aut retinuerit.

Sed si actus internus ratione exterioris interdum punitur, non possit actus externus bonus puniri ratione affectus interioris : puta iustam sententiam iudicialem ex odio pronuntiatam.

Monemus tamen a probatis quibusdam scriptoribus defendi sententiam minus communem quae, attento spirituali fine Ecclesiae, huic etiam tribuit potestatem directe praecipiendi actus internos.

Art. II - Legum ecclesiasticarum nomina et formae

63. - 1. Pro *auctore* et *sollemnitate*, leges quae a Romano Pontifice emanant proprium nomen habent **Constitutionum apostolicarum** ; cui nomini opponitur nomen **statutorum**, quod leges inferiorum auctoritatum magis designat.

2. Pro *materia*, **dogma** dicitur lex ad doctrinam fidei pertinens, et opponitur **mandato**, quod de disciplina aut moribus quaedam ordinat. Voces istae haud multum usurpantur.

3. Pro *modo quo eduntur*, habetur **decretum**, quod fit Motu proprio seu ad nullius instantiam, licet forte de consilio Cardinalium, et aliquando dicitur **Motu proprio**. Opponebatur olim **decretali epistolae**, editae ad alterius consultationem vel supplicationem. Et quia consultatio vel supplicatio plerumque fit per litteras quibus respondet decretalis epistola, haec nomen accipit **rescripti** ; quae vox tamen magis propria manet earum responsionum quibus privata negotia terminantur, dum *decretalis* epistola ius commune interpretatur vel aliquid circa ius commune occasione consultationis statuit.

Sic fere Bouix, *Principia*, pars II, sect. 2, c. 7 ; Wernz, I, n. 137, III. Observes tamen, vocem *decreti*, quae est quoque vox generalis, hodie raro exprimi, cum agitur de actu Pontificio. Subauditur autem ante verba *Motu Proprio* ; vel etiam *Ex audientia Sanctissimi*, quae praescribuntur actibus S. Congr. de quibus sive Cardinalis sive secretarius S. Congregationis Pontificem interrogavit. Interdum iuris collectio hoc nomine vocata est. Sic sermo fit de *Decreto Gratiani*, de *Decreto Burchardi*, *Yvonis*. Hodie potius quae SS. Congregationes, iubente vel approbante Pontifice, statuunt, vel quae in Conciliis generalibus decernuntur, decreta appellari consueverunt : Decreta Concilii Tridentini ; Decreta S. C. Rituum, etc. — Obsolevit quoque nomen decretalis epistolae.

4. Attenta *destinatione*, **Encyclicae** sunt epistolae vel litterae quas S. Pontifex ad plures ecclesias in persona Ordinariorum mittit. Sollemniores sunt *litterae* : mittuntur ad episcopos totius orbis vel totius cuiusdam regionis. Minus sollemnes sunt *epistolae*.

Sic epistola encyclica missa est ad episcopos Belgii 3 aug. 1881 ; ad episcopos Italiae, 15 febr. 1882. Litterae encyclicae inscribi consueverunt : Venerabilibus Fratribus Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, Episcopis et aliis locorum Ordinariis, pacem et communionem cum Apostolica Sede habentibus, Pius PP. XI,

Venerabiles Fratres Salutem et Apostolicam Benedictionem. Vel loco casus dativi ponitur nunc : Ad Venerabiles, etc.

Ad alios directae litterae quae instar encyclicarum sunt vocantur *Hortatoriae* vel *litterae hortatoriae*. Sic, 8 sept. 1914, BENEDICTUS XV hortationem ad universos orbis catholicos direxit de pace precibus et consiliis procuranda. Litterae tam encyclicae quam hortatoriae nomen Pontificis in fine subscriptum ferunt. — Litterae encyclicae post Constitutiones Apostolicas ordine veniunt (1).

64. - Pro varia *forma* quam induunt, distinguuntur *Bullae, Brevia, Chirographa, Allocutiones* et *Oracula vivae vocis.*

1. Bullae sollemniores litteras apostolicas designant ; in charta pergamena scribuntur et iam inde dignoscuntur quod in principio lineae ferunt nomen Pontificis, sine numero, additis verbis : Episcopus servus servorum Dei. V. g. Pius episcopus servus servorum Dei. In fine, annus pontificatus notatur. Exceptis bullis quae *consistoriales* dicuntur, quia censentur datae in consistorio, et a Papa et a Cardinalibus in Curia praesentibus subscribuntur (ita bullae canonizationis), ceterae bullae a Pontifice non subscribuntur, sed a Cardinali cancellario et, pro vario casu, a Cardinali secretario Status et a Cardinali praefecto S. Congregationis ad quam pertinet negotium de quo in bulla agitur. Si sollemnior est, ex ea pendet sigillum plumbeum, ferens, ex altera parte, capita SS. Apost. Petri et Pauli, cruce separata, ex altera, nomen Pontificis. In ceteris bullis, sigillum ex rubro atramento referens capita SS. Apost. Petri et Pauli, circumdata nomine Pontificis, bullae plumbeae locum tenet.

Bulla proprie ipsum sigillum designat. Inde litterae dictae sunt bullatae, litterae sub plumbo, vel brevius, Bullae. Ante Leonis XIII Motu Proprio 29 dec. 1878, scribebantur characteribus Teutonicis seu Longobardis, sine ulla interpunctione ; semper ex iis pendebat sigillum plumbeum, pro vario argumento ex chordulis sericis varii coloris, vel ex cannabo. Aliquando, pro plumbeo ponebatur sigillum aureum ex filis aureis vel argenteis pendens ; et bulla dicebatur *aurea*. Talem Benedictus XIV dedit congregationibus Marianis. Ante Pium X, data ponebatur anni Incarnationis, cuius initium est 25 martii, et dies more romano referebatur ad kalendas, nonas et idus. (Sic Constit. *Officiorum et Munerum*, Leonis XIII, de prohibitione et censura librorum, est 25 ian. 1897, sed in Bulla indicatur VIII kal. febr. 1896.) Pius X autem, in ordinatione Curiae Romanae, C. *Sapienti consilio*, 29 iun. 1908, statuit ut deinceps, in omnibus litteris Apostolicis, data poneretur modo hodie vulgato, secundum annum cuius initium est prima dies ianuarii. Mos tamen antiquus in Constitutionibus apostolicis retentus est usque ad annum 1913. Tunc coeperunt diem mensis more vulgari indicare (Cf. Bullam *In praecipuis*, 29 iun. 1913), donec bulla

(1) Encyclicae litterae SS. Congregationum, v. g. litterae quas 21 iul. 1899 S. Rituum Congregatio de amplificando SS. Cordis cultu ad omnes episcopos misit, nomine magis proprio vocantur *litterae circulares*.

Incruentum, qua, ex munificentia Benedicti XV, tria sacra permittuntur in sollemni commemoratione omnium fidelium defunctorum, data diceretur « die X mensis augusti, anno MCMXV, Pontificatus Nostri primo ». Subinde, a bulla *Inter praecipuas*, haec formula adhibita est : « Datum Romae apud S. Petrum, anno Domini millesimo nongentesimo quinto, die quarta mensis decembris, Pontificatus nostri anno secundo », quae formula adhuc servatur.

Bullae expediuntur per Cancellariam Apostolicam, exceptis constitutionibus, quae expediuntur per Secretariam Status et in Cancellariae albo (*registro*) describuntur, et bullis de beneficiis non consistorialibus, quae expediuntur per Datariam.

2. Brevia seu Litterae in forma Brevis, etiam in charta pergamena, ferunt in medio nomen Pontificis cum numero suo et dantur « sub anulo Piscatoris », qui est sigillum rubrum imaginem Petri piscantis referens. Subscribuntur non a Romano Pontifice sed a Card. secretario Status, vel, si minoris momenti, pro hoc, a cancellario Brevium.

Interdum, latiore usu, brevia dicuntur omnes litterae apostolicae quae non sunt Bullae.

3. Chirographa sunt litterae Apostolicae propria Pontificis manu scriptae ; in initio ferunt nomen Pontificis cum numero et ab ipso subscribuntur, dum aliae litterae ab ipso subscriptae hac initiali Pontificis designatione carent. Cf. v. g. chirogr. 28 iun. 1915 (AAS, VII, 1915, 325).

4. Motu Proprio data Acta inscribuntur *Motu Proprio*, et a Pontifice subscribuntur.

5. Allocutiones potissimae fiunt in consistorio, et dicuntur tunc consistoriales.

6. Oracula vivae vocis saepe in privatis audientiis conceduntur. Sed ut de iis iuridice constet, a competente auctoritate fides de iis facienda est. Competentes autem sunt Em. Cardinales, et, in rebus Congregationum ad quas pertinent, secretarii Congregationum.

Quamvis vocalis sit prima concessio gratiae contentae in non paucis Sacrarum Congregationum rescriptis quae inscribuntur *Ex audientia Sanctissimi*, proximus tamen fons unde oratores beneficium vel responsum tenent est S. Congregationis rescriptum. Quare, nec nomine nec iuridica ratione decreta quibus verba praeponuntur « *Ex audientia Sanctissimi* » inter oracula vivae vocis reponi possunt. Verum dicuntur oracula vivae vocis gratiae quas, sine S. Congregationis interventu, vel quaelibet persona sibi, vel, v. g. Cardinalis Protector, Instituto protecto, ex Pontificis ore obtinent, sive testis qualificatus, ut Cardinalis, publicam concessioni fidem addat, sive non. Supponas, v. g., postulante Cardinali Protectore, quibusdam religiosis concedi, Pontificis ore, anticipatam ordinationem. Si subinde Cardinalis Protector gratiam factam scripto testetur, erit oraculum vivae vocis de quo publice constabit.

7. Denique leges universales quoque fiunt per decreta SS. Congregationum, intercedente tunc speciali approbatione S. Pontificis. Cogites decretum *Sacra Tridentina Synodus*, 20 dec. 1905, de cotidiano ss. Eucharistiae usu (*Per.* II, 66).

[64]

Art. III. - Legum ecclesiasticarum promulgatio et vacatio

65. - 1. **Promulgatio.** Quia legislator imperare nequit nisi dictamen eius practicum, seu quae praecipere velit, cum mente subditorum communicetur, lex non concipitur obligans nisi promulgata. Inde c. 8, § 1 : « Leges instituuntur cum promulgantur ». *Instituuntur*, i. e. hic, perficiuntur. Est autem **promulgatio** : *Legis sollemnis intimatio, ita ut communitati innotescere possit.*

Estne promulgatio de essentia legis an sola condicio eius obligationis, controvertitur. Eam essentialem dicimus quia lex est essentialiter norma communis ; esse autem normam communem habet a promulgatione.

Cum lex directe *communitatem* afficiat, non requiritur ut legis notitia ad omnes pervenire possit ; nec opus est ut lex ipsi communitati iam actu innotescat.

Seclusa tamen peculiari ratione, legislator humanus obligationem suae legis prudenter differre solet donec lex ipsi communitati moraliter innotescat. Per illud temporis intervallum lex *vacare* dicitur.

Ipse promulgationis modus lege naturae non definitur ; et ubi est absoluta monarchia, modus in prudenti Principis arbitrio positus est.

2. Post C. *Promulgandi*, Pii X, 29 sept. 1908, « Leges ab Apostolica Sede latae promulgantur per editionem in *Actorum Apostolicae Sedis commentario officiali*, nisi in casibus particularibus alius promulgandi modus fuerit praescriptus » (c. 9).

Leges episcopales plerumque in synodo dioecesana promulgantur, unde statuta synodalia appellantur, vel insertione in folio dioecesano, vel publica pronuntiatione in templo.

Nec S. Pontifex, attenta sua absoluta potestate, nec episcopus vel alius legislator ecclesiasticus, attento iure communi, speciali promulgationis forma servanda adiguntur. Ante C. *Promulgandi*, sollemniores leges pontificiae promulgabantur affixione in certis Urbis locis (ad valvas Basilicae Vaticanae et Lateranensis et in acie campi Florae seu ad ingressum palatii Cancellariae) ; aliae leges ipsa divulgatione quam per ephemerides obtinebant ; et quaerebatur utrum promulgatio in Urbe facta valeret pro toto orbe, an distincta in dioecesibus promulgatio facienda esset. Quod iam communiter negabatur.

66. - **Vacatio et suspensio legis.** I. **Vacatio.** Leges S. Sedis « vim suam exserunt tantum expletis tribus mensibus a die qui *Actorum* (Ap. Sedis) numero appositus est, nisi ex natura rei illico ligent aut in ipsa lege brevior vel longior vacatio specialiter et expresse fuerit statuta » (c. 9).

Ex natura rei illico ligant definitiones fidei vel declarationes iuris divini, v. g. circa mores. — In legibus dioecesanis nulla vacatio per se postulatur.

Ante Codicem, nonnulli, ex norma iuris romani (Nov. 66, Ut factae) admittebant in provinciis seu dioecesibus, pro legibus disciplinaribus, vacationem duorum

mensium. Leges tamen *irritantes* non censebantur vacare. Quae severa disciplina applicata est ad moniales, quae decreto *Perpensis*, 3 maii 1902, simplicem professionem sollemni ad valorem praemittere debuerunt. Ab ipsa illa die vota sollemnia aliter facta declarata sunt valore carere, sine ulla regionum distinctione.

Vacatio ista etiam ad leges liturgicas quae ritus et caerimonias non stricte ordinant applicanda est. Universalis est enim dispositio c. 9 de legibus quae in Commentario officiali promulgantur. Quare c. 31 leges liturgicas explicite normis de temporis supputatione excepit.

Benigna tamen mentis legislatoris interpretatio sinere videtur ut statim utamur lege mere permissiva, quae nullam valoris condicionem supplet.

II. Suspensio legis. Quando lex magnam inducit mutationem et perturbationem, et valde dura videtur, licet inferioribus ad Superiorem recurrere et prudenter aestimare Superiorem nolle obligationem legis interea urgere. Quod potissimum evenit si ipsi Ordinarii recurrant et id declarent. De ista suspensione legis, quae cuipiam vacationi affinis est, et quae praesumpta nititur voluntate Superioris, cf. REIFFENSTUEL, L. I, t. 2, § 4, n. 144 ; S. ALPHONSUM, *Theol. mor.* I, 139 ; FERRARIS, *Bibliotheca*, v° Lex, art. 2, n. 19. 20.

Art. IV. - Legum proprietates

67. - Quatenus lex communitatem ad bonum commune ordinat, quasdam habere dicitur **proprietates**, saltem lato sensu ; nam neque omni neque soli legi competunt. Communitas enim plerumque territorio definitur, unde leges dicuntur *territoriales*. Communitas perseverat indefinite, mortuo legislatore, unde leges dicuntur *perpetuae*. Bonum commune postulat ut non urgeatur incognita, unde lex dicitur *in futurum disponere*. De singulis pauca observanda sunt.

I. LEGUM TERRITORIALITAS

68. - Leges distinguuntur **personales** et **territoriales**. Personales, subditos ubique afficiunt ; territoriales subditos non afficiunt nisi ratione territorii seu in territorio.

Ad personales referri possunt leges quae facultates concedunt nullo territorio circumscriptas ; ad territoriales, leges quae facultates concedunt in territorio exercendas vel quae definiunt obligationes quae in certo tantum territorio impleri possunt (v. g. visitationem ss. liminum, residentiam) ; vel quae ad consequendas indulgentias opera definiunt in certo territorio praestanda : v. g. visitationes basilicarum per annum sanctum.

Sub alio respectu, *plene territorialis* dici potest lex quae omnes obligat in territorio, vel quae facultatem concedit cuius exercitium erga omnes in territorio permittitur ; dum minus territorialis est lex

quae sive pro obligatione, sive pro usu facultatis, supponit domicilium vel quasi-domicilium.

Sic in iure internationali, lex territorialis omnes obligat in territorio ; personalis, solos subditos etiam extra territorium.

Ex positiva Codicis dispositione, *vagi* fiunt subditi Ordinarii loci in cuius territorio versantur. Inde nulla lex personalis pro ipsis ferri potest. Cf. c. 14, § 2.

Liquet divisionem istam esse *propriam legum particularium* nec cadere posse in leges universales.

Quaeres *quomodo legislator particularis leges personales facere queat*, cum eius potestas territorio contineatur ?

Id potest quia Codex eam potestatem ipsi tribuit canone 14, § 1, 1°, ubi haec potestas supponitur. Contra hunc canonem ipse nihil facere possit ; nec territorialem dicere legem quam Codex statuit esse personalem, aut e contrario, ferre ut personalem legem quae ex Codice deberet esse territorialis. Sic non possit ordini publico per legem consulere quin obliget peregrinos. Arg. c. 14, § 1, 2°.

Suntne personales leges propriae fidelium certi ritus ? Id controvertitur. Sed quaestio ista potius omittenda videtur, cum leges istae non sint particulares, sed pro ritu universales. Dein in singulis ritibus occurrent leges *personales* et *territoriales*. Si tamen voluerimus divisionem legum in personales et territoriales ad ipsas leges communes fidelium definiti ritus applicare, eas non ad personales sed ad *territoriales* ascribemus quia vere afficiunt communitatem ut exsistentem in loco, sed communitas ista peculiari ratione definitur.

Et sic, *alio modo* lex dici potest territorialis quatenus, quando non est universalis, subditi quibus imperat ex relatione ad territorium dignoscuntur. Omnis enim lex communitatem directe afficit, et singulos mediante communitate cuius sunt membra, attingit (Cf. SUAREZ, *de Leg.*, L. I, c. 6). Pleraeque autem communitates territorio definiuntur. Fuere tamen tribus quae incertis sedibus errabant ; ac leges religiosorum deminute tantum sunt territoriales. Provinciis territorio distinctis suae propriae leges esse poterunt ; communia autem religionis praescripta religiosos ubique obligant quia religio nullo territorio circumscribitur.

« Lex non praesumitur personalis sed territorialis, nisi aliud constet. » (c. 8, § 2)

Ratio praesumptionis est quia ad bonum commune per se sufficit ut lex vigeat et observetur in territorio ubi ipsa communitas degit, nisi agatur de lege universali. Bonum tamen commune plus postulare potest, sive sanctio legis etiam absentem a territorio afficere debet « si id quod absens extra facit vel omittit in patria noceat » (D'ANNI-

BALE, I, 205), sive expedit ut iuridica condicio civem in omnem locum sequatur. Sic parochus non residens, etiam extra dioecesim, particulari censura lata contra non residentes plectetur ; sic status personarum : aetas maioritatis, capacitas, mutato territorio, variare non debet. Leges istae aliquando dictae sunt *statuta personalia* (Cf. D'ANNIBALE, I, 119).

Plenius territoriales vocari possint leges quae omnes commorantes in territorio, etiam peregrinos, obligant. Nec legi repugnat ut sit simul territorialis et personalis. Sic, ante decretum *Ne temere*, de forma sponsalium et matrimonii, lex de servanda forma tridentina in contrahendo matrimonio intellegebatur esse personalis, quatenus fidelis cuius domicilium vel quasi-domicilium isti legi obnoxium erat, in nullo loco imperium legis vitabat ; et simul erat territorialis, quatenus omnes in territorio ei obnoxio forma ista servanda tenebantur. Sic, indultum Bullae Cruciatae, etiam quod ad abstinentiam et ieiunium, ab omnibus in Hispania et Lusitania sumi potest ; et, praeciso scandalo, usus eius extra Hispaniam et Lusitaniam permittitur, ita ut privilegium conferat simul personale et territoriale. Cf. Breve 3 dec. 1914 ; et 12 aug. 1915 (*Per.* VIII, 130 vel FERRERES, *Comp. theol. mor.* II, 1343).

II. LEGIS PERPETUITAS

69. - Omnis lex est perpetua hac ratione quod mortuo eius auctore, ipsa non cessat. Legis enim auctor qua talis, repraesentat communitatem, quae morte principis non desinit.

Generatim quoque lege providetur permanenti societatis necessitati vel utilitati. Quare pleraeque leges hac quoque ratione sunt perpetuae, quod non sint factae in certam diem, sed tenere soleant donec explicite vel implicite abrogentur. Hoc sensu interdum dicuntur « perpetuo valiturae ». Sed leges humanae non sunt positive perennes ; ac speciali legislatoris intentione ferri possunt in certum tempus, vel donec adiuncta perdurent. Tales, ex declaratione *S. Officii* 22 mart. 1918, sunt praescriptiones de modernismo debellando (AAS, X, 1918, 136).

Positivae itaque legislatoris voluntati tribuendum est si sanctiones temporariae, qua tales, alio ac legis nomine appellentur.

Quid de praeceptis dicendum sit, cf. infra, n. 105, ss.

III. EXTENSIO LEGIS AD SOLA FUTURA

70. - Cum lex non possit nisi mediante promulgatione seu notificatione suam obligationem imponere, manifestum est *obligationem* istam esse ipsa lege posteriorem. Actus facti ante legem praecipientem vel prohibentem hanc non potuere violare nec quemquam reum constituere.

Verum, praeter obligationem, lex nova *alios effectus iuridicos* parere

potest. Potest, v. g. aliter definire sollemnitates actuum, iuridicam personarum capacitatem, tempus praescriptionibus necessarium, obligationes pactionum, ordinem iudiciarium, reatus et poenas.

Effectus isti possunt esse transitorii, et possunt etiam permanere post mutatam legem. Quando sic permanent, alii, ipsa *natura sua*, vices legum sequuntur ita ut qua parte censeantur posteriores antiqua lege postulent applicationem novae legis, regantur et secundum eam aestimentur : lege nova tunc regentur et secundum eam aestimabuntur, dum alii, attenta natura sua, subtrahendi videntur imperio novae legis. In potestate tamen est legislatoris ut regimen novae legis applicet etiam ad illos effectus qui per se a lege nova pendere non deberent. Quid, v. g. impedit ipsum quin actum iuridicum antea factum, v. g. venditionem, infirmum seu invalidum statuat, quia condicionibus novae legis minime satisfecerit ?

Lex quae tale quidpiam decreverit, i. e. **quae in praeteritos actus exserat suam vim ultra conaturalem suam virtutem, dicitur ad praeterita retrotrahi, esse retroactiva.**

Sed cum ipsum bonum commune postulet ne cives in pacifica rerum et iurium suorum possessione turbentur, ubique praevalet principium de « *non retroactivitate legum* ». Quare Codex, qui, in c. 4, profitebatur ipse observationem iurium quaesitorum, nunc canone 10 generaliter sancit : « Leges respiciunt futura, non praeterita, nisi nominatim in eis de praeteritis caveatur ». Solam igitur hanc exceptionem admittit non retroactivitati quae expresse in lege declaretur.

Haec duo tamen : legem non retrotrahi, et legem esse observantem iuris quaesiti, stricte inter se non convertuntur. Sunt enim retrotractiones quae nullum ius quaesitum tollunt. Quando, v. g., lex applicat delicto anteriori sanctionem mitiorem, certo retrotrahitur, et nullum tamen ius quaesitum aufert.

Verum istud saltem stat : per legem quae non retrotrahitur iura quaesita servantur.

Praeterea, quia lex nova praesumitur melior, ac proin bono communi utilior quam praecedens, *retroactivitas demonstranda est ;* et in dubio, applicatio legis novae principio de non retrotractione derogare non censetur.

Haec duo igitur non praesumuntur sed probanda sunt : quod applicatio legis novae censenda sit retrotractio ; et quod legislator huiusmodi retrotractionem haberi velit.

Si autem lex quae non retrotrahitur intacta esse vult iura quaesita, ex iure quaesito normam haurire possumus, sane inadaequatam sed quae summopere ad usum refert, ad vim novae legis prudenter circumscribendam. Quare de natura iuris quaesiti inquirendum nobis est.

71. - De notione iuris quaesiti (1).

Etymologice, ius quaesitum *idem est quod ius acquisitum.* Ius autem respicit bonum quodpiam seu rem ad aliquam personam relatam, ei subordinatam, ei servientem, idque aliqua inviolabili ratione. Inviolabilitas tamen non est semper tanta ut non cedat utilitati communi, ac proin ut ab eo qui curam habet boni communis neglegi nequeat.

Et cum quis dicatur ius quaesitum habere ad hoc vel illud, ius quaesitum intellegitur potius *subiective*, pro ipsa relatione inviolabili qua quidpiam habetur, quam pro obiecto ad quod relatio terminatur. Origo autem iuris est *titulus praecedens* quocum nova lex confligere videtur.

Porro ius quaesitum in triplici potissimum argumento occurrit : 1) in *rescriptis*, quae non praesumuntur data contra ius alicui concessum ; 2) in *votis et iuramentis*, ubi relaxatio voti vel iuramenti, quae alius ius quaesitum laederet, S. Sedi reservatur, can. 1313 et 1320 ; 3) in *materia legislativa*, ubi valet istud : Lex non tollit ius quaesitum.

Iam vero, in materia *rescriptorum*, attenditur ad ius quaesitum quod manat ex pactione, ex consuetudine, ex statuto particulari et ex priore rescripto. Quare, nisi expressa derogatoria clausula rescripto apponatur, non sustinentur rescripta « edita contra alicuius loci legitimam consuetudinem vel statutum peculiare, vel contra ius alteri iam quaesitum » (c. 46). Si duo rescripta eiusdem obiecti et eiusdem extensionis inter se contraria impetrentur, per se prius tempore praevalet posteriori (c. 48, § 2) ; nec rescripta per se revocantur lege contraria, nisi haec lata sit a Superiore ipsius rescribentis : is enim suas gratias concedere non potuit, nisi salva ordinatione, etiam futura, superioris.

In materia autem *voti*, ius quaesitum habetur in votis in quibus intercedat quaedam ratio contractus onerosi, ut in votis religiosorum ; et in votis acceptatis a tertio et principaliter in eius utilitatem factis. Si enim honor Dei fuit principalis causa obligationis, alter non acquisivit iura nisi dependenter a Deo, cui promissio servanda est ; et quod homini debetur cessat tunc, tamquam accessorium, cum obligatione principali quae est erga Deum. Ac per se intuitus colendi Deum censetur principalis, quando promissio mere gratuita accedit ad votum, seu cum promissio homini facta non est nisi fidelitatis : fidelitatis obligatio nullum ius creat. Ut si, pro beneficio accepto, voveas aliquod donum annuum missioni quae praestationem acceptet. — In relaxatione iuramenti ius quaesitum laedi potest, si iuramentum confirmet obligationem erga alios qui eandem remittere recusent (c. 1320).

Summus Pontifex autem duplici titulo ius quaesitum posthabere potest, sive quia de iure agitur cuius supremam gerat administrationem, ut iura monasteriorum, ecclesiarum ; sive quia providentia boni communis postulat ut persona particularis iure suo privetur.

Quid autem sit ius quaesitum cui *lex nova* per se non derogat, id ab aliis scriptoribus vix attingitur ; ab aliis autem valde difficile explicatu et sub-

---

(1) Cf. Prof. D'ANGELO, *Il ius quaesitum nel diritto canonico* (*Il Diritto ecclesiastico* 1922, p. 3-75).

obscurum aestimatur, ita ut egregii iuris civilis interpretes, v. g. Planiol, de invenienda eius accurata notione desperent, immo nomen esse putent cui nihil definitum respondeat.

Variis viis quaerunt rationem invenire qua verae retrotractiones (contra rerum naturam) ab apparentibus (secundum rerum naturam) distinguantur.

Non pauci meras « *exspectativas* » seu spes habendi secernendas esse dicunt a iuribus quaesitis, quae actu habentur. Sunt tamen spes quae etiam sine iniuria frustrari nequeunt : iuste impediri nequit agricola colligenda messe ex agro quem seminavit. Nec criterium indicant quo mera exspectatio agnoscatur. Quare, sic proposita sententia incompleta est et nihil explicat.

Alii dicunt ius quaesitum oriri ex *facto absoluto* seu completo, non autem ex inchoato. Id etiam est norma inadaequata vel obscura. Haberi enim ius quaesitum potest ad praesentes effectus nova lege posteriores ; vel quodnam factum sit completum declarandum superest.

Alii (1) ius quaesitum laedi existimant quando lex se substituat voluntati subditi antea legitime manifestatae : v. g. si nullam seu irritam fecerit donationem antea in forma legali factam, Id minime repugnat explicationi qua, in superioribus editionibus, diximus ius quaesitum obtineri titulo diverso a lege, nisi quod in sola subditi voluntate titulum agnoscunt. Tunc autem est inadaequata explicatio.

Alii (2), *ex fine legis* argumentantes, volunt ut effectus legis antiquae permaneant quam late ferat finis nova lege intentus. Verum hic potius norma indicatur qua legislator uti possit ad moderandas exceptiones a non retroactivitate, potius quam criterium suppeditatur discernendi veram ab apparente retrotractione. Nec, ut obicitur in *Ius Pontificium* (3), regula ista quadrat ad canonem 10, qui solis expressis derogationibus regulam de non retrotractione circumscribit. His omnibus perpensis :

Praeferenda nobis videtur explicatio quae planior sit, intrinsecae rationi innitatur, ac proin magis adaequate rem complectatur, et contineat quae vera habentur in variis systematibus. Haec autem suppeditatur hac simplici consideratione : iura privatorum esse inter bona quibus patrimonium constituitur et quibus spoliari non possunt nisi propter causam utilitatis publicae. Ex hac naturali assimilatione habemus unde iura acquisita dignoscamus. Etenim iura acquisita ea sunt quae iam inter bona nostra reperiuntur. Bona autem ista ad duplex caput revocantur. Alia enim possidentur *in se* : sunt omnes effectus ante novam legem legitima causa producti ; inde communis norma : *consistunt sub nova lege effectus antea producti*. Alia autem bona possidentur *in virtute causae immediatae possessae et permanentis*. Ista causa immediata dicitur titulus. Videas igitur si titulus iste sit legitimus et permaneat. Estne lex ? Haec, mutata lege, virtutem omnem amisit. Quare ex lege antiqua non sunt acquisiti nisi effectus ante novam legem producti. Si vero titulus fuerit independens a lege, v. g. pactio ex promissione nata, is virtutem suam exserere perget quam diu ipse consistat.

Practice igitur inter *effectus iam productos* nulla distinctio facienda

---

(1) LASALLE, *Théorie des droits acquis*. — (2) SIMONCELLI, *Sui limiti della lege nel tempo*, allegatus et probatus a D'ANGELO, art. cit. — (3) T. 2., p. 106.

est : omnes per se manent. Inde necessario consistit quidquid factum sit potestate vel capacitate quae tunc in agente habebatur.

Quod ad *effectus nondum productos*, respice fontem immediatum : si est lex, fons iam nihil dabit ; si est causa independens et subsistens, effectus manare pergent. Inde effectus *legalis* condicionis iuridicae vel status variabunt pro lege vigente, dum status ipse manebit.

Quid, *si causa suam virtutem exserere mere coeperit*, ita ut *plenum* effectum nondum produxerit ? Per se, si inchoationes aliquo modo qua tales consistere possunt, manebunt, sed complendi erunt secundum novam causam ; si in se inutiles fuerint, nihil erit actum.

Duplex genere casus hic considerandus venit : actus iuridici compositi variis actibus separatis ; actus iuridici postulantes seriem actuum quibus ipsa series compleatur. Prioris generis exemplum est *nominatio per electionem*, quae supponit legitimam convocationem electorum, legitimam suffragationem, legitimam pronuntiationem factae electionis, legitimam acceptationem, legitimam confirmationem : singuli actus existimabuntur rite facti secundum legem vigentem quando facti sunt. Alterius generis exemplum habetur *in praescriptione* et *consuetudine*. Hic variant sententiae. Si longius tempus exigitur, novae legi standum esse tenent, cum praescriptio nondum sit acquisita. Si brevius tempus sufficit, plures cum Savigny admittunt praescribenti integrum esse vel praescriptionem secundum novam legem incipere vel secundum antiquam perficere. R. P. Cappello, S. I. (1) censet antiquam legem semper applicandam esse, quia inchoata praescriptio sit quasi causa pendens, ad quam lex nova non applicetur. Solutio ista facilitate sua commendatur, sed comparatio cum causa pendente suppletne rationem ?

Secundum principia tradita, nobis videtur dicendum cum Colin et Capitant (*Cours élémentaire de droit civil français*, I, p. 51) et cum Falco (*Introduzione*, etc., p. 97), praescriptionibus non completis novam legem applicari debere. Inchoata enim praescriptio nullum dedit ius praescribenti. Applicatio tamen legis novae possit ius quaesitum laedere partis contra quam praescribitur si lex nova tempus praescriptionis ita contraheret, ut totum requisitum iam censeretur sub lege vetere elapsum. Inde, ni fallimur, solita distinctio inter legem novam quae tempus longius exigit et legem quae breviore contenta est.

Secundum autem *aequitatem*, nos utrique legi suam pro rata parte efficaciam permitteremus. Si, v. g. per quinque annos possidebatur res quae per decem annos usucapi poterat, et nova lex viginti annos exigat, praescriptio quando nova lex lata est, erat pro dimidia parte perfecta. Superest igitur dimidia pars perficienda secun-

(1) *De Praescriptione. Ius Pontificium*, IV, 21, 22.

dum novam legem. Itaque decem praeterea anni requirentur pro usucapione in casu. Si lex ad octo annos contraxisset tempus necessarium, quattuor novi anni fuissent sufficientes.

Saepe difficultati occurritur per legem positivam, quae in hac re plus potest, cum ex inchoata praescriptione nondum ius vere sit acquisitum. Ita Codex italicus rem art. 47, Codex vero Germanicus art. 169 et 174, § 2 definierant. Codex canonicus nihil speciale statuit.

Quamvis propositum principium sit generale, ne existimes tamen *iurisprudentiae resolutiones* per principium huiusmodi explicari posse omnes. Iam diversitas sententiarum causa esse potest varietatis in resolutionibus ; ac praeterea integrum est S. Sedi, propter iustas causas, responsa dare quae sint extensiva vel restrictiva iuris constituti. Quare, dum plura refert responsa authentica, CICOGNANI prudenter alia per ipsa principia, alia per derogationes principiorum declaranda esse existimat.

72. - Applicationes quaedam subiungendae videntur : aliae ex principiis, aliae e positivis iuris dispositionibus colliguntur.

Forma valori actus requisita aestimanda est ex lege sub qua actus factus est. Inde dici potuit : tempus regit actum, non minus quam dici consuevit : locus regit actum. Plures excipiunt actus facile iterabiles. Exceptio tamen ista e principiis colligi nequit.

Iuridici effectus actus validi, quatenus sint pure legales, aestimantur ex lege vigente cum producuntur ; si autem sint contractuales, ex momento quo ipse actus effectus est.

Status et capacitas personarum ex lege vigente aestimantur. Manent actus valide sub praecedente lege facti. Manet quoque nominatio facta personae quae sub lege superiore aetatem vel alias qualitates requisitas habebat, etsi nova lex severiores condiciones postulet.

Sponsalia et matrimonium reguntur, quod ad validitatem, iure vigenti cum contracta sunt. Quod ad effectus, reguntur iure novo. Suppressio impedimentorum non convalidat reipsa matrimonia antea propter huiusmodi impedimentum nulla ; sed, ut liquet, convalidatio fiet sine petita dispensatione ab impedimento sublato. Cfr resp. *Comm. Pont.* 2-3 iun. 1918. - AAS, X, 1918, 34.

Vota perpetua simplicia emissa in religione votorum sollemnium ante Codicem reguntur, quod ad effectus, lege anteriore, quia vota ista non erant ultima, de quibus solis habetur nova lex. Concordat solutio *Comm. Pont.* 16 oct. 1919.

De saecularizato ante Codicem, *Commissio Pont.* 18 oct. 1919, declaravit ipsum obnoxium esse prohibitionibus c. 642 quibus a non paucis officiis arcetur. Fatemur difficultatem istud componendi cum regula de non retrotractione legis novae. Prohibitiones enim istae sunt quaedam capitis deminutio quae attingere incipiet (secundum istud responsum) etiam istos qui, propter causas fortasse iustissimas, e religione egressi, condicionem iuridicam quam obtinerent considerare potuerunt ante egressum, et secundum istam condicionem se regere. Propter factum suum quasi puniuntur.

Ceterum non unus casus difficilis oritur in his causis. Saecularizati ante Codicem vota servabant. Codex vota saecularizato tollit. Num saecularizati ante Codicem iam sunt re ipsa votis soluti ?

Religiosus eiectus, ante Codicem iterum recipi non poterat sine indulto Aposto-

lico. Nunc, post tres annos, emendatus eiectus per se recipi debet. Num dispositio ista eiectis ante Codicem proderit?

Per se nova lege *puniri potest actus* qui, cum ponebatur, erat malus ex iure sive positivo sive naturali. Nunc autem, e c. 2222, non potest canonice puniri nisi vel fuerit sanctione munitus, vel praecesserit comminatio poenae, vel scandalum datum aut gravitas transgressionis iustam aliquam poenam postulet.

Ex iure *positivo* c. 2226, § 2 et 3, quod *ad delicta* sub anteriore iure commissa:

a) Si lex posterior tollat legem vel solam poenam, haec cessat. A censura iam contracta absolutio petenda est.

b) Si lex est benignior, nova applicatur; vetus vero, si nova est severior.

c) Ordo *processualis* (seu iudicandi) qui nova lege statuitur, cum praesumatur esse melior antiquo et proin magis utrique parti utilis, ad causas ante novam legem natas applicatur.

Art. V. - Varia legum efficacia

Prima et communis legis *efficientia* est ut *obligationem* gignat. Praeterea quaedam leges iuridicos actus suis effectibus privant vel inhabiles constituunt personas ad actus saltem firmiter ponendos: sunt leges *irritantes* vel *inhabilitantes*. Ubi agemus de obligatione, simul, quasi incidenter, dicemus quid efficiant leges fundatae in praesumptione et in fictione.

I. DE EFFECTU OBLIGATIONIS

73. - In potestate est legislatoris etiam humani, quantum ferat legis obiectum vel finis, vim obligandi amplioribus vel angustioribus finibus circumscribere. Potest ergo humanus legislator obligare sub poena aut sub culpa, i. e. peccato, eodemque gravi vel levi prout rei praeceptae ad intentum finem *necessitas* et materiae *quantitas* et ipsius *voluntas* (1) se habent. Voluntas ista ex verbis legis, circumstantiis aut prudentum aestimatione colligi consuevit.

1. Hinc distinguuntur leges mere morales, quarum transgressio culpam theologicam inducit sed in foro externo non punitur; mere poenales, quae per se obligant tantum ad poenam vel ultro exsequendam vel saltem subeundam; mixtae, quae utraque peccati et poenae temporalis sanctione muniuntur. Quae poenae possunt esse *ferendae* vel *latae* sententiae, prout ipso facto delicti vel tantum post iudicis sententiam committuntur.

In solis humanis leges poenales reperiuntur; divinae omnes, saltem naturales, obligant et poenis sanciuntur. Legem poenalem non raro sic exponunt, quasi

(1) Inefficax tamen nobis videtur fore voluntas obligandi sub levi ad rem omnino difficilem. Quia obligatio levis proportionem ad materiam prorsus gravem non habet. Sed plures materiae sunt quae indifferenter sub gravi vel sub levi imperari possunt: puta auditionem sacri. Semper autem efficax est voluntas non obligandi, quia, suppressa causa, effectus nullatenus haberi potest. Sed fit ut succedat obligatio e lege naturali, si manifesta boni communis necessitas id postulet.

optionem det vel oboedientiae vel poenae ; quod hodie plures non immerito carpunt. Sic Maroto, n. 221 post Prümmer, *Theol.* I, n. 209. Namque intentio prima legislatoris est ut suam ordinationem efficaciter urgeat, neque ipsi perinde est ut subditus poenam potius quam legis exsecutionem seligat. Nec poena concipitur nisi propter ordinationis transgressionem. Verum practice, quod ad obligationem conscientiae, est quasi sit disiunctiva : alterutro modo, vel oboediendo vel poenam subeundo, culpam (saltem ex genere actus) effugis.

Legislator, qui obligationem legis suae extenuare potest, nequit tamen ultra materiae capacitatem, seu graviter in re levi obligare.

2. Lex affirmativa actum praecipit ; lex negativa actum prohibet : utraque obligant quam diu vigent, ac proin *semper* ; prior tamen non *pro semper*. Actus enim prohibitus, intra prohibitionis terminos, quovis momento omittendus est ; dum non quovis momento faciendus est actus praeceptus. Praeterea lex affirmativa admittit dilationes et etiam omissiones ; omissio enim non afficit intrinsece actus qui fiunt; hi in se manent quales erant, boni vel mali ; dum, vigente prohibitione, actus prohibitus est intrinsece vitiatus.

3. Quaeres quamnam obligationem pariat lex dubia.

Dubium supponimus invincibile. Nam agens qui partes minus tutas sequi voluerit, debet prius pro viribus conari ut dubium deponat.

Porro dubium circa plura versari potest.

Lex quae *dubie exsistit* obligare quempiam nequit. Talis enim lex ignoratur : solum dubium cognoscitur. Inde S. Thomas : « Nullus ligatur per praeceptum aliquod, nisi mediante scientia illius praecepti » (*De veritate*, q. 17, art. 3).

Moraliter tamen certa dicenda est lex quae argumentis vere probabilibus suadetur, quando ex parte adversa nullae probabiles rationes habentur.

Lex *dubie promulgata* dubie exsistit, cum promulgatio sit de ratione legis.

Lex *dubie suppressa* manere censetur donec saltem vere probabilibus argumentis eius cessatio demonstratur. Facta enim non praesumuntur, sed probanda sunt. « In dubio, ait c. 23, revocatio legis praeexistentis non praesumitur ».

Cave ne confundas legem dubie suppressam cum dubia exsistentia condicionis necessariae ad eius obligationem. V. g. dubium de hora noctis minime directe afficit ipsam legis exsistentiam seu perseverantiam. Et dubium tale facile evadit ex utraque parte negativum, ut si nulla habeam argumenta quibus suadear nondum vel iam transactam esse mediam noctem.

Lex *dubie utilis* ad bonum commune observari debet : tunc menti legislatoris parendum est.

Lex *dubie honesta* observanda est, dummodo honestas sit probabilis. Sententiam enim probabilem de honestate actionis subditus sequi potest ; et, in casu, debet, cum legislator id praecipiat.

Lex *dubie iusta* (secundum iustitiam commutativam et distributivam) servanda est ; in dubio enim standum est pro legislatore.

Lex *dubie acceptata* pro acceptata haberi debet : acceptatio legis praesumitur.

Lex *dubie competentis auctoris* observanda est si competentia sit probabilis. Praesumptio enim stat pro Superiore ; atque, ut manifesto postulatur bono communi, cavendum est ne nimis facile oboedientia detractetur. — Si tamen res sit valde molesta, aut nociva, S. ALPHONSUS (*Theol. mor.*, L. I, tr. 2, n. 98, allegans SANCHEZ, SALAS, etc.) et D'ANNIBALE (I, n. 161, n. 13) subditum excusant a praestanda oboedientia.

4. Pendetne lex ab acceptatione populi ?

Cum populus non sit legislator, merito ab ALEXANDRO VIII damnata est prop. 28 : « Populus non peccat, etiamsi absque ulla causa non recipiat legem a Principe promulgatam ». Nihilo minus ex rationabili vel benigna legislatoris voluntate, populus plura potest in legis firmitatem et interpretationem. In legis *firmitatem*. Supra iam vidimus quomodo, praesertim per episcopos, possit ad ipsum S. Pontificem recurrere, vel etiam ab inferiore legislatore ad supremum (non tamen a Pontifice ad Concilium, cum Concilium non sit supra Pontificem) appellare, et per epikeiam vel ex prudenter coniecta Principis mente, legem interea pro suspensa habere.

Praeterea si satis constet legem a plerisque neque actu observari neque observatum iri, Princeps non censetur velle legem urgere erga paucos melioris voluntatis. Hinc receptum istud : leges moribus populi firmantur. Legislatori tamen legem suam urgenti parendum est. Quare, neglectus legum ieiunii a multis neminem per se hactenus excusare potest.

Prudens discretio etiam suadet ut, cum non agitur de rebus intrinsece malis, mandatum Ordinarii exspectetur ad mutanda quaedam in dioecesibus recepta ut usu firmata, etsi legi universali minus consentanea.

Denique ipse Legislator admittit formalem suppressionem legis per contrariam consuetudinem seu desuetudinem.

Populus etiam plura potest in legis interpretationem, secundum istud canone 29 sancitum : « Consuetudo est optima legum interpres ».

74. - Quaedam leges in praesumptione fundantur. *Praesumptio* est « *rei incertae probabilis coniectura* » (c. 1825, § 1). Pro intento nostro, duplicem ex obiecto distinguimus praesumptionem : praesumptionem *periculi generalis* et praesumptionem *facti*.

Praesumens potest esse iudex : praesumptio *hominis* ; vel *lex* : prae-

[74]

sumptio *iuris* (c. 1825, § 1). Est praesumptio *iuris* tantum si, in foro exteriore, contraria probatio admittitur ; est *iuris et de iure*, cum iudex ad contrariam probationem, saltem directam, attendere vetatur. Praesumptio iuris dicitur violenta, quando solis manifestis argumentis vincitur.

Sic, « celebrato matrimonio, si coniuges simul cohabitaverint, praesumitur consummatio, donec contrarium probetur » (c. 1015, § 2). Infans natus ex muliere coniugata legitimus praesumitur : praesumptio ista dicitur *violenta*, quia evidentibus tantum argumentis eliditur (c. 1115). « Res iudicata praesumptione iuris et de iure habetur vera et iusta nec impugnari directe potest » (c. 1904, § 1).

Cum lex fundatur in praesumptione periculi generalis, probabilitas periculi movet legislatorem ad universalem quandam sanctionem ferendam. Sic, propter generale spiritualis detrimenti periculum, lex canonica lectionem prohibet librorum vel pravorum vel, sine prudenti cautione, definiti argumenti. Tali lege iudicium periculi subditis subtrahitur (c. 21).

Quando lex fundatur in praesumptione facti, supponit factum quod communiter fieri solet, ut inde iura et obligationes constituat.

75. - Quaedam leges in fictione fundatae dicuntur. Fictio est legis adversus veritatem in re possibili atque ex iusta causa dispositio (Alciatus, lib. VI *Parergon iuris*, cap. 1). Re tamen vera, fictio, quae nihil est, nihil fundare potest. Sed ratio quaedam boni communis, v. g. aequitas, movet legislatorem (ac proin fundat legem) ut beneficium vel effectus legis ultra meritum causae extendat. Sic quando dicitur : « pro praesente habetur canonicus infirmus », hoc unum significatur : distributiones inter praesentes etiam absenti infirmo conceduntur. Atque expressio fictionis non est utilis, nisi quatenus breviorem dispositionis enuntiationem permittit, et exceptionem legi factam quadantenus dissimulat.

Nec leges istae in casus non expressos traduci, nec effectus assimilationis ampliari possunt. Talis enim usus secum ferret legis ad casus per se non comprehensos extensionem. Extensiva autem legis interpretatio privatis non permittitur.

II. DE EFFECTU IRRITATIONIS ET INCAPACITATIS

76. - *Notiones.* Lex irritans *obstat vel primae consistentiae vel firmitati actuum qui per se essentialibus elementis non destituuntur.*

Irritatio esse potest *directa*, quae actum iuridicum clausula nullitatis ferit ; *indirecta*, cum exigit sollemnitates ut actus valeat : sive sint intrinsecae, sive sint extrinsecae.

Exempla. Directe actum irritat lex *civilis* quae pronuntiat nullam societatem leoninam (quae omne lucrum uni parti concedit) vel omnem pactionem circa here-

ditatem viventis personae ; lex *ecclesiastica*, quae carere omni vi dicit contractus simoniacos (c. 729) ; *indirecte* irritat lex quae formam scriptam exigit pro sponsalibus (c. 1017, § 1), quae ad valorem imponit celebrationem matrimonii coram parocho loci (vel delegato) et duobus testibus. Hae sollemnitates sunt intrinsecae ; extrinseca est, v. g. necessitas beneplaciti Apostolici pro pluribus alienationibus.

Lex inhabilitans *directe incapacem efficit personam naturaliter habilem* idque sive *absolute*, seu erga omnes, sive *relative*.

Exempla : novicius est absolute incapax abdicandi bona sua ; religiosus minor aetate est absolute incapax professionis perpetuae ; qui machinati sunt mortem coniugis incapaces sunt nubendi inter se ; confessarius est relative incapax absolvendi complicem a peccato turpi.

Cave *ne pro irritante habeas legem quae condiciones validitatis ponit actuum qui ex ipsa legis ordinatione exsistunt* : puta condiciones quibus quis suffragium activum vel passivum habere possit : leges istae condunt ius, nihil impediunt vel annullant.

Ut haec paulo magis declaremus : sine lege irritante (directe vel indirecte) actus valeret ; sine lege inhabilitante, persona firmiter contraheret : v. g. consensus matrimonialis mutuo sine testibus datus efficeret matrimonium ; minor natu stricte teneretur aere alieno suscepto ; — dum, sine lege quae condicionibus subordinat ius a se constitutum neque actus haberetur neque ulla persona esset capax : v. g. sine lege quae pensionem quibusdam personis concedit, nulla persona capax esset pensionis obtinendae ; neque ulla electio conciperetur valida sine lege tribuente ius eligendi, certis condicionibus. Priores leges minus permittunt quam lex naturae ; posterior lex addit ad ea quae ius naturae concesserat ; priores leges diriguntur in destructionem iuridicam, posterior in iuridicam aedificationem.

Leges autem irritantes vel inhabilitantes feruntur sive ad protegendas personas aetate vel statu infirmiores, sive ad actus iuridicos impediendos qui parum votis naturae consentanei sunt vel excessibus aut dubitationibus locum darent.

Nullitas distinguitur *plenissima* (1), quae, ipso iure, sine ulla sententia operatur ; et *minus plena*, quae sententiam exigit, ita ut antea lex actum non infirmet : sive sententiam *declarativam* nullitatis, et haec retrotrahitur in effectibus suis ad momentum quo actus factus est, eiusque anteriorem efficaciam, quantum fieri potest, tollit ; sive sententiam *definientem*, quae, propter vitium quod lex habet pro substantiali, actum destruit : haec non retrotrahitur.

In utroque casu, nullitas est ex lege ; hanc iudex mere applicat, sed effectus nullitatis eius sententiae tamquam condicioni alligatur.

Rescindibilitas signat minorem firmitatem actus qui, quamvis omnia essentialia habeat, potest tamen, ob vitium magis extrinsecum, v. g. metus vel laesionis, a iudice infirmari.

---

(1) Saec. XIX in iure civili inventum est vocabulum actus *inexsistentis*, cum ne apparentiae quidem actus haberi censentur : puta, in iure gallico, testamentum verbale.

[75-76]

Restitutio in integrum actum minus directe attingit. Per eam potius partes in statu in quo erant ante pactionem reponuntur ; unde ipse actus indirecte posthabetur seu infirmatur.

II. Canon 11, eiusque explicatio. « *Irritantes aut inhabilitantes eae tantum leges habendae sunt, quibus aut actum esse nullum aut inhabilem esse personam expresse vel aequivalenter statuitur.* »

1. Historice, lege Theodosii et Valentiniani (L. 5, C. I, 14), quaecumque fiebant contra prohibitionem pro infectis seu pro nullis habebantur. Inde, in ipso iure canonico, regula 64 in 6º : « Quae contra ius fiunt debent utique pro infectis haberi ». — Sed Innocentius III, c. 16, Decr. III, 31, aliter statuit : « Multa fieri prohibentur quae, si facta fuerint, obtinent roboris firmitatem ».

Quae distinctio inter mere prohibita et prohibita sub sanctione nullitatis adeo invaluit, ut nunc Codex regulam ponat canone 11 non esse leges irritantes vel inhabilitantes nisi quae id statuant « expresse vel aequivalenter ».

2. Explicatio litteralis. Quid sint leges irritantes vel inhabilitantes modo diximus. Canon est generalis de omni irritatione, sive plenissima sive minus plena.

Expresse statuitur irritatio vel inhabilitatio, si id conceptis verbis formaliter pronuntiatur.

Aequivalenter significat modum qui expressae pronuntiationi aequiperandus sit, seu qui idem importet.

Non pauci *aequivalenter* confundunt *cum indirecta seu implicita irritatione.* Ita Reiffenstuel, in L. I, t. 2, n. 243 ; Maroto, *Institutiones* I, n. 225, A, 2 ; Blat, *Comment. textus*, I, p. 84. Alia tamen est irritatio indirecta seu implicita, alia enuntiatio quae expressae aequipolleat. Cicognani, in h. c., meliora exempla affert sed minus accurate implicitam vocat irritationem quae per verba aequipollentia statuitur.

Legislator nullitatem aequivalenter exprimit dum dicit : impedimentum dirimens matrimonii (c. 1036, § 2) ; inter virum raptorem et mulierem intuitu matrimonii raptam nullum posse consistere matrimonium (c. 1074, § 1).

Cum in lege quis dicitur quidpiam facere *non posse*, nondum exprimitur inhabilitas : verba ista sunt, per se, mere prohibentia.

III. Legis irritantis vel inhabilitantis effectus. — *a*) In iure ecclesiastico, contra atque saepe in iure civili, lex irritans simul prohibet, et quidem per se in utroque foro.

Iudex tamen nullitatem ex officio declarare non debet, nisi id publice intersit, aut agatur de pauperibus vel de minoribus et aequiperatis personis (can. 1679 et 1682).

Actus nullus per se sanari nequit, sive a partibus sive per prae-

scriptionem. Sed partes, sublato vitio, actum iterare possunt, vel potestas competens potest dispensatione impedimentum auferre. Ac ius quod actus non dedit potest usucapione acquiri.

Valde notabile demum istud est : lex quae sollemnia extrinseca praescribit, puta beneplacitum Apostolicum, a non nullis probatis auctoribus putatur niti in facto fraudis ; ita ut si fraus defuerit existiment actum in foro conscientiae sustineri posse et possessori favendum esse. Ita D'ANNIBALE, *Summula*, I, 210 ; BUCCERONI, *Institutiones*, I, 223. SUAREZ, *de Leg.*, L. 5, c. 34, plures etiam allegat quos tamen ipse redarguit.

Art. VI. - Legum ecclesiasticarum auctores

77. - Praeter immutabiles leges divinas quas Ecclesia a Conditore suo Christo accepit, et quae eius fundamenta, fidem, sacramenta et hierarchiam respiciunt, plures ecclesiasticae leges vi iurisdictionis a Christo communicatae a competente potestate latae sunt et cotidie feruntur. Porro potestatem legislativam habent :

1. *Pro universa Ecclesia*, Romanus Pontifex sive solus sive in Concilio oecumenico. Nulla forma speciali vincitur. Interdum leges efficit per ipsas Congregationes Romanas.

2. *Intra ambitum generalis vel peculiaris mandati*, Legati Summi Pontificis, SS. Romanae Congregationes, v. g. S. Congregatio de Propaganda Fide in subiecto sibi territorio.

3. *Pro suo cuiusque territorio*, Concilium plenarium et Concilium provinciale. Verum utriusque concilii decreta promulgari nequeunt ante quam a S. Congregatione Concilii recognita fuerint.

4. *Pro sua dioecesi vel quasi-dioecesi*, episcopi et praelati similis iurisdictionis : praelati *nullius*, Vicarii et Praefecti Apostolici.

5. *Pro dioecesi* quoque, sede vacante, capitulum ecclesiae cathedralis et Vicarius capitularis : quatenus opus est, et nihil innovando.

6. *Pro religione sibi subiecta*, capitula generalia Ordinum regularium clericalium et religionum clericalium exemptarum. Congregationes seu Capitula generalia religionum laicarum vel non exemptarum, iurisdictione destituuntur. Ordinationes condunt, quae plerumque non sunt perpetuae sed usque ad proximum Capitulum vigent, vi potestatis cuiusdam domesticae seu dominativae, secundum vota facta (Cf. WERNZ, I, 94).

Quid possint Capitula particularia aut solus Praepositus generalis, ex variis constitutionibus colligendum est. In Societate Iesu, Praepositus generalis ordinationes condere potest quae, etsi eodem gradu non sint ac decreta Congregationum generalium, vim tamen legis quadantenus habent ; dum in eadem Societate et in pluribus religionibus, congregationes provinciales omni iurisdictione destituuntur.

De singulis legislatoribus sermo infra redibit.

Estne *Capitulum cathedrale*, sede plena, numerandum inter auctores legis ecclesiasticae propter statuta quae, approbante episcopo, condere potest, immo debet ? (1) Hoc controvertitur. Hodie potius praefertur sententia, quae statuta ista habet ut *conventionalia*. Cf. SUAR., *De Leg.*, L. IV, c. 6, n. 19.

Art. VII. - Legum ecclesiasticarum subiectum

73. - I. Leges ecclesiasticae per se non obligant nisi baptizatos.

Baptismo enim homo fit membrum Ecclesiae eiusque bona et onera participat. Quare, neque **infideles neque catechumeni** praeceptis Ecclesiae obligantur (c. 12).

Quid de haereticis vel schismaticis baptizatis est tenendum ?

De iis solis quaestio moveri potest qui ad sectam iamdudum constitutam ipsa quasi nativitate vel infantili educatione pertinent, ita ut longe maior bonae fidei praesumptio iis prodesse dicenda sit quam iis qui magis recens defecerunt. Qui recenti apostasia ad castra acatholica transierunt vel incredulitatem professi sunt beneficium exemptionis e sua rebellione reportare nequeunt.

De prioribus autem sic breviter dicemus : Salva positiva exemptione a forma celebrationis matrimonii quae expressa lege concessa est (c. 1099), acatholici legibus ecclesiasticis etiam mere praeceptivis adiguntur. Attamen cum acatholicis quorum matrimonium invalidum esse norint propter impedimentum iuris ecclesiastici, tamquam cum putativis coniugibus agi consuevit in regionibus ubi acatholici pari iure civili atque catholici utuntur. Et catholici facile praestare possunt quae haeretici isti cupiant contra legem positivam, ab ipsis ignoratam ; eosdem tamen ad violanda ista praecepta minime inducent.

Sine controversia, acatholici dicendi sunt subiacere legibus ecclesiasticis quae ad ordinem publicum et commune societatis christianae bonum tutandum directe constitutae sunt ; quales sunt leges de matrimonii forma et condicionibus. Sed positiva concessione (c. 1099), acatholici qui inter se contrahunt ad catholicam matrimonii formam servandam nullibi tenentur. Impedimentis autem matrimonii nullo iuris textu liberantur.

Quod ad leges quae sanctificationem singularum personarum directe intendunt, seu varia praecepta et prohibitiones de observatione festorum, de ieiunio, abstinentia, libris edendis vel legendis, etc. baptizati habent titulum subiectionis in baptismo. Estne mens Ecclesiae ut istos pro exemptis habeamus ? Quidam probati auctores id arbitrantur. Nullum tamen indicium positivum habetur. Immo, c. 87 contrariam Ecclesiae mentem indirecte manifestat. Postquam enim dixit : « Baptismate homo constituitur in Ecclesia Christi persona cum omnibus christianorum *iuribus et officiis* », statim addit : « nisi, ad *iura* quod attinet,

(1) Cf. litt. circulares *S. C. Concilii*, 25 iul. 1923 ad episcopos de statutis capitularibus conficiendis vel emendandis, AAS, XV, 1923, 457 vel *Periodica*, XII, 99.

obstet obex, ecclesiasticae communionis vinculum impediens ». Ergo, quidquam officiis obstare lex negare videtur. Nec generalis dispensatio necessaria est ad parcendum multis peccatis; ignorantia enim seu persuasione immunitatis a formali peccato excusantur non ii tantum qui bona fide sectae haereticae adhaerent, sed etiam, saltem per se, qui in dubia vel mala fide versantur. Practice igitur admittemus cum FRASSINETTI (*Compendio della Teol. mor.*, nota 7 ad n. 30), haereticos, dum ad veram ecclesiam convertuntur, non esse interrogandos de violatis praeceptis Ecclesiae circa tempora sacra.

79. - Quid de iis qui dubie baptizati sunt ?

In foro *externo*, si baptismum collatum esse saltem probabiliter constet, baptismus validus praesumitur ac proin christianorum iura dat et officia imponit. Si ipsum factum non constat, ad praesumptiones recurretur. His deficientibus, applicandum illud manebit : Factum non praesumitur sed probatur.

In foro autem *interno*, praesumptiones non sunt necessariae. Quare si baptismus tantum probabilis est, utemur isto principio, neminem incerto praecepto teneri. Sunt tamen probati auctores qui oppositas partes tenent.

Sic LEHMKUHL, II, 426 et Ill. D. MANNAJOLI, *De obligationibus christianorum propriis quibus in genere dubie baptizati obstringuntur*... Romae, 1913, qui, erudita crisi facta argumentorum, nihilo minus in severiores partes concludit.

80. - II. « Legibus mere ecclesiasticis non tenentur... baptizati qui *sufficienti* rationis usu non gaudent, nec qui, licet rationis usum assecuti, *septimum* aetatis *annum* nondum expleverunt, nisi aliud iure expresse caveatur » (c. 12). Ad eos enim quibus usus rationis deest lex humana pervenire nequit. Positiva autem voluntas Ecclesiae per se obligationibus eximit baptizatos nondum septennes. Itaque

1. Immunes sunt habitualiter amentes, quibus proin diebus abstinentiae carnes porrigere licebit.

Quid autem si lucida intervalla habeant ? Per se quidem, legibus tenentur : sed cum c. 88, § 3 expresse statuat : « Infanti assimilantur quotquot usu rationis sunt habitu destituti », eosdem ut simpliciter exemptos etiam per lucida intervalla existimare possumus.

Observandus tamen est c. 2201, qui non alios quam qui rationis usu *actu* carent delicti incapaces pronuntiat et habitualiter amentes mere *praesumit* delicti incapaces. Leges enim poenales, quamvis strictae sint interpretationis, ordinem publicum magis directe tutantur.

Praeterea legibus subiecti manent et sola ignorantia excusantur ii qui accidentali seu temporaria tantum amentia laborant.

2. Immunes sunt quotquot, ratione aetatis, expeditum usum rationis nondum sunt assecuti. Tales, ex c. 88, censentur esse impuberes qui septennium non compleverunt. Immo, positiva sanctione c. 12, licet rationis usum assecuti sint, legibus ecclesiasticis ante septennium completum non obligantur, « nisi aliud iure expresse caveatur ».

Exceptiones sunt : obligatio communionis paschalis, ex c. 859, § 1 ; annuae confessionis, ex c. 906.

3. Ex c. 2230, *impuberes* a poenis *latae sententiae* excusantur.

Recepta autem ante Codicem sententia, fundata in c. 1 et 2, X, De delictis puerorum (V, 23), aequiperabat in hac re puellas et pueros, ita ut in ordine ad delictum, communis pubertatis aetas statueretur 14 annorum. Ex c. 6, 2° et 3°, videtur haec interpretatio etiamnum sustineri posse. Hanc tamen impugnat OJETTI, *Comment.* II, p. 19-23.

4. Ex. c. 1254, § 2, lege *ieiunii* eximuntur quotquot *21*ᵐ annum nondum expleverunt et quotquot *60*ᵐ inceperunt.

81. - III. « Legibus generalibus tenentur ubique terrarum omnes pro quibus latae sunt » (**c. 13**, § 1). Verba « pro quibus latae sunt » adduntur, quia plures leges, etiam generales, respiciunt personas certae classis vel qualitatis : puta clericos, religiosos, beneficiatos.

A subditis ne ipse quidem *legislator* humanus excipiendus est. Vi quidem coactiva legis suae cogi nequit : nemo se ipse cogit. Sed cum sit pars communitatis cui praeest, ex ipsa lege *naturali*, quae hunc rectum ordinem sancit ut pars concordet cum toto et caput cum membris, ad legem suam servandam astringitur, quatenus, attenta eius universalitate vel ratione, ipsi applicabilis est, Cfr. S. TH. 1, 2, q. 96, a. 5, ad 3. Atque ex eodem motivo quo lex ceteros obligat, videtur lex illa naturalis ipsum tenere.

82. - IV. Legibus particularibus territorii incolae et advenae subiciuntur, si simul *actu* ibi commorantur. Attamen, etiam absentes, legibus proprii territorii tenentur, si earum transgressio in proprio territorio noceat, aut leges sint personales. (**c. 13**, § 2 ; **14**, § 1, 1°).

Incolae in territorio habent domicilium ; *advenae* quasi-domicilium. Cf. infra ad c. 91, ss. — In proprio territorio nocet parochus absens contra legem residentiae ; libellus famosus scriptus contra superiores territorii, etc.

83. - Peregrini : 1. Legibus *generalibus* tenentur, etiam si hae in proprio territorio non vigeant, minime vero si locus in quo versantur sit exemptus.

2. Legibus *proprii* territorii non tenentur nisi ea ratione quae modo dicta est n. **82**.

3. Legibus territorii *in quo versantur* non tenentur, « iis exceptis quae ordini publico consulunt, vel actuum sollemnia determinant » (**c. 14**, § 1).

Verba *ordo publicus* satis parum definita sunt et ex voluntate legislatoris atque usibus receptis interpretationem recipiunt. Dici fortasse possit, *ordini publico* consuli per eas leges quae ad commune damnum avertendum potius quam ad promovendum bonum commune latae sunt. Peregrini enim communi alieni territorii bono cooperari per se non debent ; damnosi tamen esse vetantur. Complectitur igitur illas leges quarum publica observatio indiscriminatim exigenda videtur : v. g. locale interdictum, cautiones de admissione cele-

brantium in ecclesia, leges quae sine scandalo violari nequeunt ; ac tales praesumendae sunt leges quae de peregrinis expresse statutae sunt. De re erudite disputat Prof. Lovan. VAN HOVE, *Ephemer. theol. Lovan.* I (1924), 153-167, Cfr etiam LE PICARD, *La notion d'ordre public en droit canonique. N. R. Th.* 1928, p. 352-372.

Quando ipsis legibus positivis locorum tenentur, tunc peregrini contrahunt annexas censuras et poenas, etiam latae sententiae, ad normam c. 2226, § 1 : « Poenae adnexae legi aut praecepto obnoxius est qui lege aut praecepto tenetur, nisi expresse eximatur ». Sedulo tamen casus praedictus distinguendus est ab alio ubi obligatio se conformandi legi non manat ex lege positiva sed ex lege naturali, quae v. g. omnem violationem scandalosam prohibet : tunc poenales leges effugiunt. Cfr d'ANNIBALE, I, 306.

Per se igitur peregrini participant exemptiones et commoda, non autem onera locorum in quibus versantur. Atque id valet etiam si lex particularis tam in proprio territorio quam in loco ubi versantur vigeat : peregrini enim utramque legem particularem effugiunt. Ante Codicem id a pluribus cum S. ALPHONSO, I, 156, reiciebatur. — Ut per se patet, casus diversus fuerit, si lex, v. g. concilii provincialis vel plenarii pluribus dioecesibus simul imposita sit. Incola istius provinciae vel civis istius regionis, legi illi quam diu in provincia vel natione versatur, astringitur. (BALLERINI-PALMIERI, *Opus theol.* I, 362).

84. - Vagi, contra ac multi de legibus particularibus sentiebant, ex perspicua **c. 14**, § 2 dispositione, « obligantur legibus tam generalibus quam particularibus quae vigent in loco in quo versantur ».

85. - Nec leges particulares obligant subditos in loco plene exempto.

Talis profecto est locus qui censetur extra territorium, quia alius ibi potestatem similem exercet. Cf. SCHMALZGRUEBER, in l. 5, t. 39, n. 49. — Suntne autem domus religiosorum exemptorum satis exemptae, ut hospites laici nullas alias leges observare debeant nisi personales vel quibus ipsi regulares tenentur, nec censuris episcopalibus ibi sint obnoxii ? Id cum SUAREZ, *De censuris* 5, 4, 6, potius negandum arbitramur. Loca enim ista non sunt secundum se exempta, sed tantum ratione religiosorum. Quare Codex nusquam directe dicit : domus religiosorum sunt loca exempta, sed subordinatam personis exemptionem sic eleganter c. 615 expressit : « Regulares... cum eorum domibus et ecclesiis... ab Ordinarii loci iurisdictione exempti sunt ». Praeterea, contra atque in alieno territorio ubi, quantum bonum commune postulat, peregrini legibus localibus astringuntur, nullum in domo religiosa Superiorem haberent qui ipsis praecipere posset. Denique, ipsi regulares non vitant in suis domibus exemptis leges dioecesanas quibus subduntur ; cur laicus ibi vitaret leges quibus ipse obnoxius est ? Atque domus istae adeo sunt in territorio, ut parochus loci ibi valide matrimoniis assistere possit.

Probabilitatem tamen non negamus opinioni oppositae quam, suo tempore, S. ALPHONSUS, 1, 157, valde probabilem existimavit ; et quam, vigente Codice, probati auctores, ut NOLDIN (I (1921), 151), etiamnum admittunt. Ceterum hodie raro casus occurrent.

Art. VIII. - Legum excusatio

Codex duplicem genere causam assignat propter quam vis legis effugiatur : alteram ex parte legis : eius obscuritatem seu dubiam significationem ; alteram ex parte subiecti : eius ignorantiam. Huic causae duas alias recitari solitas, subiungemus.

I. EX PARTE LEGIS

86. - Leges non sunt urgendae nisi qua certae sunt. Quare, « Leges, etiam irritantes et inhabilitantes, in dubio iuris non urgent ; in dubio autem facti potest Ordinarius in eis dispensare, dummodo agatur de legibus in quibus Romanus Pontifex dispensare solet » (c. 15).

Dubium iuris est, stricte, dubium *de sensu* legis ; minus stricte sed etiam proprie, de ipsa *legis exsistentia*. Sic dubium iuris habetur si controvertitur utrum talis excommunicatio sit latae an ferendae sententiae ; dubium iuris quoque (minus stricte) foret de exsistentia talis excommunicationis ; dubium *facti*, de impletis in ipsa actione condicionibus requisitis ad excommunicationem incurrendam. — Ordinarius, pro varia materia et personis, erit vel Ordinarius loci, vel etiam Superior maior religionis clericalis exemptae. Beneficium huius regulae istud est, ut, cum agitur de legibus ecclesiasticis, minus solliciti esse debeamus de amplectendis securioribus partibus, cum periculum est nullitatis.

Hinc promulganda dicitur canone 17, § 2 interpretatio authentica quae legem dubiam explicat. Et interpretatio ista non retrotrahitur.

II. EX PARTE SUBIECTI

Tres causae excusantes allegari consueverunt : *impotentia* seu nimia difficultas, *ignorantia* et *metus*. De singulis pauca.

A. DE IMPOTENTIA SEU NIMIA DIFFICULTATE

87. - Quia ipsum bonum commune postulat ut lex non feratur nisi humana, nulla lex ab hominibus lata obligat per se cum periculo vitae, vel similis incommodi. Excipe si observatio legis humanae interest ad conservandum bonum commune aut ad avertendum commune malum quod pluris sit quam vita propria : ut si periturae sint animae, nisi pastor infirmos peste laborantes adiuverit. Obligabit quoque cum periculo vitae lex, etiam humana, cuius violatio postuletur in odium fidei vel in contemptum religionis. Cf. c. 2205, § 3.

Moralis porro impotentia plerumque adesse censetur, si ad satisfaciendum legi, sustinendum foret incommodum grave quod per accidens cum eius observatione coniunctum sit.

Excusans autem incommodum debet grave apparere etiam attenta ratione boni communis quae legem fundat. Prudenter ergo in singulis legibus haec comparatio instituenda erit inter gravitatem incommodi et publicam observatae

legis utilitatem vel necessitatem. Plerumque gravior excusatio requiritur ad infringendam legem negativam quam positivam. Oportet autem ut incommodum non sit per se cum lege coniunctum : istud enim ex clara legislatoris voluntate ferendum est. — Excludendum praeterea est incommodum quod simul cum officio tacite acceptatum est. Sic (omissa nunc possibili dispensatione), sacerdos parochus vel vicarius paroecialis incommoda missae tardius celebrandae allegare nequit, ut a servanda, ante missam, lege ieiunii eucharistici excusetur.

B. DE IGNORANTIA

88. - 1. Ignorantia dicit carentiam scientiae debitae ; error, iudicium falsum. Iam vero in foro *externo, probari* debet ignorantia quae non praesumitur. Non praesumitur autem ignorantia *iuris* (legis vel poenae) ; nec *facti proprii*, sive praesentis sive praeteriti, nec facti *alieni* quod sit notorium seu publice notum (c. 16, § 2. Cf. c. 2197). Regula tamen ista non ponitur absoluta sed generalis. Sic in statu habituali amentiae ignorantia praesumetur.

Ignorantia distinguitur *invincibilis*, quae adhibita morali diligentia depelli non potuit. Haec est inculpata ; pro ipso rei momento, diligentia maior vel minor adhiberi debebit.

Vincibilis, contra, moraliter depelli potuit.

Haec dicitur *crassa* vel *supina*, si nullus moraliter conatus adhibitus est ad eam pellendam, ne is quidem qui facile usurpari poterat : ut si ne legantur quidem monita quae auctoritas ecclesiastica communicaverit, vel de hora non interrogetur horologium quod prope astat vel adiacet ; vel non aperiatur liber theologiae moralis, qui in propria bibliotheca reperitur ad solvendam quaestionem difficilem.

Ignorantia non crassa sed ab insufficienti tamen diligentia proficiscens, dicitur *simpliciter vincibilis*.

Reatus autem in foro conscientiae non habetur sine conscia neglegentia.

Affectata dicitur ignorantia, quae directe voluntaria est, sive ex contemptu legis sive ex timore ne quis cognitione legis ab eius violatione retardetur.

2. In foro *interno*, ubi ad peccatum attenditur, ignorantiam invincibilem a vincibili distinguere sufficit. Sed in foro exteriore, potest legislator legem suam ita temperare ut ipsi vincibiliter ignorantes excusentur ; potest quoque eandem ita urgere, ut propter solam culpam iuridicam, seu propter solam neglegentiam, poenas quasdam infligat, vel ut propter bonum commune quosdam legis effectus ad ignorantes extendat, v. g. effectum nullitatis.

89. - Iam vero, in foro canonico « omnes causae quae augent, minuunt, tollunt dolum aut culpam, eo ipso augent, minuunt, tollunt delicti imputabilitatem » (c. 2199). Quare « violatio legis ignoratae

nullatenus imputatur, si ignorantia fuerit inculpabilis ; secus imputabilitas minuitur plus minusve pro ignorantiae ipsius culpabilitate » (c. 2202, § 1). Immo quae excusant a gravi imputabilitate, « excusant pariter a qualibet poena tum latae tum ferendae sententiae etiam in foro externo, si pro foro externo excusatio evincatur » (c. 2218, § 2). Itaque in iure hodierno culpa *venialis* (si in foro externo qualitas ista constet) nulla poena proprie dicta afficitur.

De poenis porro *latae sententiae* haec statuuntur : *a*) Ignorantia *affectata*, sive legis sive solius poenae, a nulla poena excusat. Affectata dicitur quae est directe voluntaria. *b*) « Si lex habeat verba : *praesumpserit, ausus fuerit, scienter, studiose, temerarie, consulto egerit,* aliave similia quae plenam cognitionem ac deliberationem exigunt, quaelibet imputabilitatis imminutio, sive ex parte intellectus sive ex parte voluntatis eximit a poenis latae sententiae. » *c*) Si verba illa non habeat, ignorantia crassa vel supina sive legis sive solius poenae a nulla poena l. s. eximit ; si non fuerit crassa vel supina, excusat a medicinalibus, non autem a vindicativis l. s. (Cf. c. 2229). — Quaenam sint istae poenae, postea dicetur. Observemus tantum excommunicationem semper esse medicinalem poenam. Cfr plura, ubi de c. 2223 agetur.

90. - « Nulla ignorantia legum irritantium aut inhabilitantium ab iisdem excusat, nisi aliud expresse dicatur » (c. 16, § 1).

Ratio est quia effectus isti, ad bonum publicum tutandum introducti, ob privatas ignorantias exceptionem pati non possunt. Regula tamen ista non est absoluta, sed temperatur verbis : « nisi aliud expresse dicatur ». Sic, ob errorem communem, convalidantur actus iurisdictionis a persona inhabili facti.

Inter *inhabilitatem* et *irritationem* istud interest : inhabilitatem esse propriam personae, nec a modo quo actus factus est directe pendere, dum irritatio condiciones actus respicit, nec pendet directe a persona agente.

Propter eandem rationem, leges irritantes vel inhabilitantes epikeiam per se non admittunt. Usus enim epikeiae saepe incertum redderet statum, vel actum : quod communi bono adversatur. Oportet enim ut condiciones rerum et personarum probe cognosci possint. Excipe tamen, si legis observantia cedat in detrimentum commune. Ita, v. g. ante Codicem, existimabant impedimentum disparitatis cultus non vigere in regionibus ubi pauci tantum erant christiani.

Propter damnum privatum non potest derogari legi irritanti, nisi ipsa irritatio sit propter utilitatem privatam, v. g. minoris natu, inductam, vel damnum privatum redundet in damnum commune : sic concubinatus propter scandalum evadere potest publice nocivum. Cf. Maroto, *Institutiones*, I, 243.

C. DE METU

91. - Metus definitur : *instantis vel futuri periculi causa mentis trepidatio* (L. 1, D. IV, 2). Damnum in rebus periculo personali aequiperatur.

Metus dividitur : 1. Ex *gradu* vel *qualitate*, in *perturbantem usum*

rationis, qui voluntarium tollit, et in *non perturbantem*, qui locum dat deliberationi et consensui cuius motivum est apprehensio periculi aut damni fuga. Hic posterior rursus dividitur in *gravem*, qui *absolute* seu perspecta natura mali, aut *relative*, seu attenta aetate, sexu, indole personae, animum vehementer afficere solet ; in *levem*, qui est exigui periculi vel etiam magni sed non probabiliter impendentis formido. Absolute gravis in virum constantem cadere dicitur.

Metus *reverentialis*, seu timor displicendi patri, Superiori, vel eum offendendi, in se levis est ; sed facile, ex adiunctis minarum, precum importunarum, diuturnarum inimicitiarum quae futurae prospiciuntur, in gravem convertitur. Controversiae de natura metus reverentialis, potius quam obiectiva rei obscuritate, confusis notionibus explicandae sunt.

2. Ex *causa*, in metum ab *intrinseco* vel ab *extrinseco*, prout causam habet timenti interiorem vel exteriorem. Sed causa exterior necessaria ut incendium, naufragium, ad causam interiorem practice assimilatur. Cfr quae de hac re disputavimus *Per.* XVII, 1928, 138* ss.

Metus ab extrinseca causa libera incussus, rursus distinguitur *iustus* vel *iniustus* : iustus est si, attenta re et modo, metum incutiens iure suo usus est ; iniustus, si, saltem ratione modi, iustitiam violavit.

Sic qui, accepta offensa, minatur offensori litem et poenas legitimas, metum iustum incutit ; qui minatur gravem vindictam privatam iniuste agit ratione modi.

Interdum praeterea dispiciendum est utrum necne metus incussus fuerit ad consensum in quampiam rem extorquendum, vel malum non potuerit nisi dato consensu vitari.

92. - Omisso metu quo ratio perturbatur, quae fiunt ex metu sunt simpliciter voluntaria : deliberatio non deficit ; simul plerumque sunt involuntaria secundum quid, quia quod ex solo metu fit per se non est amabile, immo tristitiam affert. Ipsa tamen ratio metus postulare potest ut omne involuntarium excludatur ; sic dolor peccatorum ex metu divinae ultionis elicitus, omnem affectum ad peccatum virtualiter excludit.

Qui *ex metu gravi* male egerit minus peccat ; atque etiam in foro exteriore, plus minusve dignus venia censetur. Canone 2205, § 2 et 3 haec principia statuuntur : « Metus... gravis, etiam relative tantum... plerumque delictum, si agatur de legibus mere ecclesiasticis, » penitus tollit. — Si vero actus sit intrinsece malus (blasphemia), aut vergat in contemptum fidei (ut si ad fidem irridendam iubeatur quis bibere et dein missam celebrare non ieiunus), vel ecclesiasticae auctoritatis (ut si, ad evacuandam episcopi auctoritatem, sacerdos interdictum violare iubeatur), vel animarum damnum (ut puta si, in persecutione, cum animarum detrimento pastor fugerit) : delicti imputabilitas minuitur quidem, sed non tollitur. Quare, attento metu, iudex poenam temperabit (c. 2218).

Pariter a poenis latae sententiae metus gravis excusabit, nisi tamen « delictum vergat in contemptum fidei aut ecclesiasticae auctoritatis vel in publicum animarum damnum » (c. 2229, § 3, 3°). Metus autem semper excusabit a poena si lex verba habeat quibus plenum voluntarium postulatur : « Praesumpserit » etc. (c. 2229, § 2).

Iure saltem positivo, plures actus ex metu facti *invalidi* fiunt. Cf. dicenda ad c. 103.

Art. IX. - Legis interpretatio

Ordo Codicis. Codex legis interpretationi tres canones deputat : c. 17, de auctore et vi interpretationis authenticae ; c. 18 et 19, de normis interpretationis. Itaque, praestitutis notionibus agemus de authentica interpretatione eiusque vi (c. 17) ; dein de normis (c. 18), demum de legibus strictae interpretationis (c. 19).

I. Notiones

93. - **Legis interpretatio** est *sensus in lege contenti explicatio.* — Stricte sumpta supponit sensum dubium vel obscurum, ac differt a *declaratione,* quae est legis etiam clarae verbalis expositio.

1. Spectato *auctore, authentica* est quae fit a legislatore vel ab eo cui id commisit. — *Doctrinalis* est quae fit a peritis. — *Usualis,* quae fit per consuetudinem. De qua c. 29 « Consuetudo est optima legum interpres ».

2. Spectato *genere interpretationis,* alia lex *late,* alia *stricte* interpretanda est.

Numquam quidem lex ita late sumi potest ut ultra sensum tum naturalem tum iuridicum verborum extendatur ; nec strictius quam fert iustitia legis et proprietas verborum, una cum legis ratione, quae etiam conservanda est. Sed quando, salva verborum proprietate, verba duplici usu sumi possunt, amplior usus latam, restrictus usus strictam interpretationem efficit. V. g. in *favorabilibus,* ubi latae interpretationi locus est, nomine clericorum religiosos non clericos et episcopos, non autem in *odiosis* et *onerosis* (salva dispositione expressa, ut c. 592) intellegemus ; haec enim strictam interpretationem postulant.

3. Ex *causa formali,* quia mutat aut non mutat naturam (formam) legis, interpretatio dicitur *comprehensiva, extensiva, restrictiva.* Prima verum sensum legis reddit ; altera legem ad casum prius non comprehensum traducit, ut cum ad ficte absolventes complicem translatum est quod de vere absolventibus statutum erat ; tertia, casus lege eximit quos rationabilis legis intellectus comprehendebat : ut cum, c. 542, verba « qui sectae acatholicae adhaeserunt » de iis solis qui a fide

catholica recesserint et dein sectae acatholicae nomen dederint intellegenda dicuntur (*Comm. C. I.*, 16 oct. 1919, ad VII).

Interpretatio *comprehensiva* definitioni interpretationis sola plene conformis est; quare sola est quam privati facere possunt, immo et iudices, quorum non est legem facere sed applicare et exsequi. Interpretatio *extensiva* et *restrictiva* est nova lex, si omnes subditos obligat.

II. DE INTERPRETATIONE AUTHENTICA

94. - Quotuplex. 1. *Ex auctore.* « Leges authentice interpretatur legislator eiusve successor et is cui potestas interpretandi fuerit ab eisdem commissa. » (c. **17**, § 1.)

Legislator esse potest sive supremus, sive inferior, in propria lege: « Unde ius prodiit, interpretatio quoque procedat » (c. 31, X, V, 39).

Sed ab inferioris interpretatione dabitur appellatio, sicut ab ipsa lege; ergo per se in *devolutivo*, ita ut interea data interpretatione stari debeat; in *suspensivo* tamen, si obiciantur laesiones iurium personarum exemptarum. Cf. C. *Romanos Pontifices*, 8 maii 1881.

Supremus autem legislator in Ecclesia authenticam interpretationem commisit SS. Congregationibus in sua quaeque provincia. Haec per rescripta fieri consuevit.

Si tamen dubium Codicis canonem formaliter afficiat, authentica interpretatio propriae Commissioni ad hunc finem institutae reservata est. Cf. Motu Proprio *Cum iuris*, 15 sept. 1917 (AAS, IX, 1917, 483; *Per.* IX, 16). In rebus tamen maioris momenti auditur S. Congregatio cuius res propria est.

2. *Ex forma*, authentica interpretatio fieri potest per modum *legis*, per modum *sententiae* et per modum *rescripti* (c. 17, § 2 et 3). Per modum sententiae fit a iudice competente, in causis quas dirimit; per modum rescripti in re particulari, fit per legislatorem vel per eum cui legislator id commiserit, v. g. per SS. Congregationes.

Exempla per modum legis: ita v. g. can. 21-23 sunt interpretativi; per modum decreti: ita S. C. de Sacramentis de missa media nocte litanda, 22 apr. 1925, AAS, XVII, 1925, 154; *Per.* XIV, 25; per modum rescripti: ita plura responsa de iubilaeo data a S. Paenitentiaria. Cf. *Per.* XIV, 38-42.

II. Vis authenticae interpretationis. 1. Per modum legis obligat ut lex. Si est mera declaratio, seu, ut ait c. 17, si verba legis in se certa declarat, promulgatione non eget et valet retrorsum. Sed non solum quando est extensiva vel restrictiva, sed etiam quando est comprehensiva, sed legem vere dubiam explicat, *non retrotrahitur* et *promulgari* debet (c. 17, § 2).

Ex ipsa rei natura, interpretatio extensiva et restrictiva, cum legem mutet, promulganda est ut obliget. Si autem comprehensiva fuerit, sed veram obscu-

ritatem dissipet, alii, *attento solo naturae iure*, promulgationis necessitatem negant, quam alii affirmant. Priores arguunt hic non agi de nova lege sed de antiqua, quae secundum verum suum sensum, iam promulgata erat (PALMIERI, *Op. th.* t. 1, tr. 3, n. 465). Alii, contra, legem vere dubiam nullam esse, ac proin nova, cum authentice explicatur, promulgatione indigere. Ita WERNZ, *Ius Decret.* t. 1, n. 127. Quod nunc, positiva saltem dispositione, exigitur.

2. Data *per* modum *sententiae* vel *rescripti* vim exserit circumscriptam personis pro quibus data est, idque pro solis negotiis de quibus sententia aut rescriptum agebat (c. 17, §§ 2. 3).

Quid ergo dicemus de interpretationibus quae in *Acta Apostolicae Sedis* prodeunt sub hoc titulo : *Romana. Romana et aliarum. — Dubia ?*

Ipsa insertio in AAS efficit ut, in foro quoque exteriore, de responsis istis authentice constet. Rescripta tamen illa manent per se rescripta in re peculiari, in quae ergo cadit c. 17, § 3. Omnibus tamen fidelibus quorum interest, regulam securam dant agendi. Age porro, quando ipsa inscriptio nominat, ut in primo exemplo, dioecesim ; vel saltem, ut in altero, dioeceses quibus data sunt minus definito modo indicat, responsio haec per se solas istas dioeceses obligat. Si vero nulla indicatur persona vel regio pro quibus rescriptum datum sit, authentica dubii solutio omni Ecclesiae proponi videtur, ac proin omnes in illa re obligare (Cfr *Per.* IX, (1). (3)). — Non raro fit ut interpretatus etiam particulari dioecesi data ita ab auctoribus recipiatur, ut usualis fiat, et mox obliget tamquam consuetudo per coniventiam.

III. DE NORMIS INTERPRETATIONIS

95. - I. « Leges ecclesiasticae intelligendae sunt secundum propriam verborum significationem in textu et contextu consideratam » (c. 18).

Verba per se ad manifestandam Superioris mentem et in lege voluntatem inserviunt ; quare in primis consideranda sunt.

Voce *verbum* intellegitur omnis dictio significativa, quaelibet pars orationis.

Sumenda sunt secundum *propriam* significationem, quae est *usualis*, non philologica seu ex etymologia, vel *iuridica*, i. e. quae in iure aut in curia est recepta.

1° Significatio *usualis* ex sermone tunc vigente, ex coaetaneis scriptoribus, ex lexicis cognoscetur.

2° Significatio *iuridica* non paucorum verborum ab ipso legislatore in Codice expressa est, v. g. vagus (c. 91), officium (c. 145), Ordinarius (c. 198), religio (c. 488), matrimonium legitimum (c. 1015, § 3), etc.

a) Sicut omnis scientia verbis quibusdam specialem vim addit, ita et ius. V. g. *capite minuti*, in iure, sunt qui iuribus civitatis privati sunt, etc.

b) Sat multa verba in iure canonico illam significationem retinuerunt quam iurisperiti romani determinaverant. Plurima exempla invenies in Corpore iuris civilis (ff. L, 16 *de verb. signif.*), in Corpore iuris canonici (X, V, 40 de V. S. — V, 12, in 6° de V. S. — V, 11 *Clem.* — Extrav. Ioa. XXII, t. XI, de V. S.).

Exempla ex Dig. L, 16 desumpta : « Cuiusque *diei maior pars* est horarum

septem primarum diei, non supremarum » (l. 2). « *Rei* appellatione et causae et iura continentur » (l. 23). « *Nurus* appellatio etiam ad pronurum, et ultra porrigenda est » (l. 50). « *Filii* appellatione omnes liberos intelligimus » (l. 84), etc.

3° Usualis vel iuridica verborum vis *contextu* determinari potest ; immo etiam in definitionibus, Codex dicit vim definitionis non esse contra contextum urgendam, v. g. c. 145, § 2 ; 488, 7°, etc.

Ita *legitimum* matrimonium non designat matrimonium inter non baptizatos, nisi cum opponitur matrimonio rato (cf. c. 1015), ut patet ex c. 331, § 1, 1°. Ex textu seu « nigro », scimus *verbum* « potestas » in titulo seu « rubro » lib. V°, tituli XIX, *de abusu potestatis*, designare potestatem etiam domesticam.

96. - II. Si verborum significatio in textu et contextu « dubia et obscura manserit, ad locos Codicis parallelos, si qui sint, ad legis finem ac circumstantias et ad mentem legislatoris est recurrendum » (c. 18).

1. *Loci paralleli* vim verbi, v. g. ex contextu quo istud in loco parallelo adhibetur determinabunt.

Ita qui velit definire ex verbis quanam aetate pueri ad Paschalem communionem teneantur, utiliter conferet cc. 859, 906 et 854.

2. *Finis* legis ac *circumstantiae* suadent restrictionem vel ampliationem intra fines propriae significationis aut ostendunt quosnam casus legislator intenderit.

Ex *fine* et *adiunctis* legis de communione in quovis ritu catholico recipienda, P. Creusen ostendit ob c. 866, § 1 non licere sacerdoti orientali ut infanti in ritu latino baptizato sacras species porrigat (1).

Ratio legis, nisi ipse Princeps eam ut adaequatam actu satis publico manifestarit, periculosam efficit interpretationem, praesertim cum lex non ipsa ratione sed verbis quibus concepta est contineatur (Cf. d'Annibale I, 168). Et quia ratio legis non est lex, nisi rationabilis voluntas legislatoris id postulet, ab uno casu ad alium non est, propter similitudinem, transferenda. Ampliatio ista postulari potest *correlatione* casuum : quod de sponso statuitur per se valet de sponsa ; iuridica *assimilatione* : sic ius canonicum electionem et postulationem aequiperat ; *conexione* et *virtuali* comprehensione : facultas testandi facultatem legandi continet.

3. *Mens* seu anima legis est ipsa legislatoris intentio seu voluntas. Si ex fine, adiunctis, etc., alia appareat atque verba eam exprimere videntur, verba pro mente deserenda erunt.

Verum mens non tam hominis legislatoris quam legis ab eo factae exploranda est. Quare intentio quam legislator privatim vel post factam legem (non tamen actu legislativo) manifestat, et mens singulorum qui legem collegialiter condunt, et mens eorum qui legem praepararunt

(1) Cf. *N. R. Th.*, 1923, 428.

vel scripserunt, subsidia quidem ad detegendam legis mentem afferre possunt ; mentem tamen legislatoris non directe pandunt : v. g. cum de Codice canonico agitur, mens legislatoris non est commissionis vel commissionum a quibus laboriose confectus est, sed Pontificis promulgantis. Quamquam mens quam acta commissionis manifestaverint praesumi potest eadem esse ac mens Pontificis qui opus commissionis approbavit.

4. Principia ad leges interpretandas adhibenda non pauca in « *Regulis iuris* » reperiuntur. Sed de his infra, n. 99, 2, agemus, quia continent quoque principia iuris ad applicationem legis aut ad supplendum silentio iuris utilia.

97. - De Epikeia. Epikeia dicit eam legis *interpretationem* qua, *contra verba* etiam clara legis, sed *secundum mentem* legislatoris, quidam casus e legis dispositione prudenter eximitur.

Cum enim lex disponat secundum id quod plerumque fit, in casu particulari deficere immo nociva fieri potest : id noluisse legislator rationabiliter aestimatur. — Locus ergo est epikeiae, si, in casu particulari, *a*) lex aliter intellecta *iniqua* fieret aut iusto gravior ; *b*) si, attenta usuali legis interpretatione, legislator in tali casu noluisse obligare prudenter conicitur. Exemplum prioris usus est si haereticus quem ad fidem adducere conaris, tibi, ex libro proscripto legendam offerat difficultatem statim solvendam : locum legere ex epikeia licebit. Posterior usus in rebus levioribus, v. g. in observatione legis silentii apud religiosos, potissimum accidit.

IV. DE LEGIBUS STRICTAE INTERPRETATIONIS

98. - C. 19 haec habet : « Leges quae poenam statuunt aut liberum iurium exercitium coarctant, aut exceptionem a lege continent, strictae subsunt interpretationi ».

Quo magis canon iste, propter obscuritatem quorundam verborum, interpretatione dignus videtur, eo minus tamen a commentatoribus declaratur. Aliquid plus dicere conemur. Tres genere leges strictae interpretationi submittit.

1. *De legibus quae poenam statuunt*, verba sunt clara ; et nonnulli Codicis canones regulam c. 19 resumunt et evolvunt, cf. cc. 2219. 2245, § 4 ; 2246, § 2.

Dubitationem ingerit classicus auctor Reiffenstuel, qui L. I, tit. 2, n. 427-434, videtur normam istam ponere mere ut *regulariter* sequendam ; et *in Reg. Iuris in* 6°, regulam 49 fallere dicit in delictis valde atrocibus, in quibus, ut ait, severiora eligenda sunt. Merito, ut nobis videtur Wernz, VI, n. 66 et nota 45, hanc exceptionem reicit. Etsi enim recto intellectu boni communis postulari potest ut iudex, praesertim fori exterioris, in severiores partes inclinet, peccaretur contra verba c. 19, quae sunt universalia, et ad arbitrarias deveniretur conclusiones, si regulam de stricta interpretatione legum poenalium, exceptione : « nisi agatur de crimine atrociore » enervaremus. Potius, cum Wernz, l. c. id solum, post Suarez concedamus, nullam quidem extensionem, sed eam comprehensionem verbis legis poenalis dari posse quae ad iustitiam legis necessaria sit.

2. Strictae interpretationis sunt leges « *quae liberum iurium exercitium coarctant* ». *Iura* sunt res vel facultates quae a persona habentur ita ut saltem aliis privatis sint per se inviolabilia. Inter iura, ipsa libertas computanda est hoc vel illud ex propria electione faciendi, cum divinitus concessa sit libertas agendi intra limites praeceptorum (cfr *Th. mor.* I, n. 359 b et 360).

Quare, vi praesentis normae, stricte interpretandas ducimus :

a) Ipsas leges quae libertatem coarctant ;

b) Leges quae vetant ne Superiores confessiones suorum subditorum audiant, quamquam iurisdictione ordinaria muniuntur ; quae prohibent clericum ne ingrediatur religionem, vel fidelem ne contrahat matrimonium. Ratio autem cur leges istae strictae interpretationi subsint haec est, quod liberum iurium exercitium bono communi postulatur.

3. Stricte interpretandae sunt leges « *quae exceptionem a lege continent* ».

Horum verborum interpretatio non est commoda, et facilis occasio errandi praebetur. Ipsa hypothesis mira videtur. Quomodo ipsa lex exceptionem a lege continere possit ? Potestne simul dispositio dici *lex* et, sine addito, *exceptio a lege* ? Sane intellegitur, dispensationem, quae causa privata conceditur, strictius intellegendam esse quam legem quae propter bonum commune lata est ; intellegitur quoque, in dubio, ceteris paribus, secundum ius commune, potius quam secundum ius singulare respondendum esse, cum ius commune ad bonum magis universale ordinetur. Ceteris, inquam, paribus, quia si directa intentio constituentis magis fuit gratiosae concessionis quam exceptionis, applicanda erit regula : favores sunt ampliandi.

Ratio igitur data demonstrat agi non posse de una eademque lege, quae exceptione propriam dispositionem limitet. *Exceptio* enim *in lege* contenta, non est *exceptio a lege,* sed modus legis, isque eadem boni communis consideratione imperatus, ita ut eidem interpretationi sit obnoxius. Cum ergo Codex sit per modum unius legis promulgatus (cf. n. 9), cum vera lex posterior et prior in eo exsistere nequeat (cf. WERNZ, *Ius Decr.*, I, 263), regula de stricta interpretatione exceptionis nullam veram in ipso Codice applicationem reperit. Cfr !OJETTI, *op. c.* in h. c.

Itaque errant qui canonem 522 stricte intellegere velint, quia exceptionem contineat a generali necessitate iurisdictionis specialis ad audiendas religiosarum confessiones. Sed si dispositio Codici posterior generalem canonem limitet, exceptio ista, vi praesentis canonis, erit stricte intellegenda. Si, v. g. pro Urbe moniales beneficio c. 522 priventur, haec nova sanctio erit stricte intellegenda.

Generalius autem dicemus stricte interpretandas esse leges quae immediate onus imponunt, late vero quae facultatem seu potestatem faciunt.

Fieri quoque potest ut lex ex parte sit favorabilis, ex parte autem odiosa. Tunc, si favor et odium separari possunt, utrique interpretationi simul locus erit. Ita lex, quae ante Codicem vocabatur privilegium canonis, qua personae ecclesiasticae ab iniuriis realibus sanctione poenali proteguntur, favorabilis esse dicitur quatenus personas protegit, odiosa quatenus poenas infligit. Late ergo

[97-98]

intellegemus personas protectas, stricte vero inflictas poenas. Si pars odiosa a favorabili separari nequeat, directa legislatoris intentio observanda est : puta concessionem pensionis qua alieni reditus graventur. Cf. PALMIERI, *Op. th.* I, 463.

Amplissimae vero interpretationi locum dant quae Princeps, *praeter legem*, ex *liberalitate* concesserit. Decet enim et ad bonum commune confert ut Princeps ad benignam liberalitatem propensus aestimetur. « In contractibus plena, in testamentis plenior, in beneficiis plenissima est interpretatio adhibenda » (c. 6, X, III, 24).

Art. X. - De legum supplementis

99. - Codex normas supplendi inevitabiles legis lacunas in canone 20 suppeditat, non tantum pro *generali*, verum etiam pro *particulari* lege.

Codex italicus (Disp. prael., a. 3) in hac re Codici gallico praestat, quod tales normas iudici suppeditat, dum gallicus iudicibus quos prohibet ne praetextu legis silentis dicere ius renuant, nullas positivas decidendi normas addit.

« Si certa de re desit expressum praescriptum legis sive generalis sive particularis, norma sumenda est, nisi agatur de poenis applicandis, a legibus latis in similibus ; a generalibus iuris principiis cum aequitate canonica servatis ; a stylo et praxi Curiae Romanae ; a communi constantique sententia doctorum » (c. 20). Itaque :

Si de certa re desit expressum praescriptum legis, sive generalis sive particularis, normam suppeditabunt :

1. *Leges latae in similibus.* — Vox legis in Codice canonico adhibita, de lege canonica intellegenda est. Leges igitur istae sunt canonicae.

In re tamen poenarum, argumentum a simili fieri nequit; sed valet istud : Nulla poena sine lege. Quare c. 20 excipit : nisi agatur de poenis applicandis.

2. *Generalia iuris principia.* Ius intellege naturale, seu principia universaliora quae omnis iuris sunt communia, canonicum, et etiam, propter auctoritatem, civile, maxime romanum.

Servanda dicuntur *cum aequitate canonica.* Aequitas canonica signat istam humanitatem legislatoris canonici qua non vult esse ἀκριβοδίκαιος, sed benigne conatur temperare nimium rigorem et ad casus concretos prudenter aptare legalis textus severitatem. Cfr DI ANGELO, *Per.*, XVI, 220*. Iam vero quia principia brevissime enuntiari consueverunt, soluta sunt isto respectu adiunctorum quae attemperationem postulant.

Generalia iuris principia in regulis iuris potissimum continentur.

Regulae iuris sunt sententiae quaedam iuridicae complectentes et proponentes breviter et compendiose sive normas interpretandi vel applicandi leges, sive principia quaedam iuris naturalis, silentio legis positivae supplendo aptissima.

Aliae regulae iuris sunt *authenticae*, v. g. c. 29, quia a Legislatore in collectionem iuris insertae (non autem regulae Digestorum. sc. ff. L., t. 17 *de regulis iuris*), aliae *doctrinales*, quia a solis *iuris* peritis ratione et consequentia ex iure depromptae.

Regulas iuris authenticas reperies in « Corpus iuris civilis » (ff. L., tit. 17) et in « Corpus iuris canonici », V, 13 in VI°.

Brocarda vocabantur regulae iuris quas e textu iuridico professores iuris post explicatam litteram legis (cfr supra, n. 45, 2) depromebant. Nomen desumitur a Burchardo Wormatiensi, qui scripsit Decretum (cfr supra, n. 20, 3).

Sed notandum est omnem regulam « fallere », i. e. habere suas exceptiones. Exceptiones tamen regulam magis declarant et firmant in casibus non exceptis.

Regulae iuris non sunt indiscriminatim applicandae sed semper examinandum est : 1° num in casu particulari eadem ratio habeatur atque ratio generalis ipsius regulae ; 2° num casus non sit exceptus.

REIFFENSTUEL dedit commentarium regularum iuris, quae in VI° reperiuntur, ad calcem sui operis *Ius canonicum universum*. Applicationes plurimas regularum iuris romani etiam apud canonistas reperies.

Iam supra (n. 98, 1) datae sunt applicationes regulae 15 in 6° « *odia restringi et favores convenit ampliari* ». Exceptionem de favore praebet c. 50, sc. « In dubio, rescripta quae... adversantur legi in commodum privatorum... *strictam* interpretationem recipiunt ;... ». — Reg. 30 in VI° « *In obscuris minimum est sequendum* » fallit v. g. in speciebus et artefactis ; nam si quis legavit rem artefactam et plures eiusdem speciei habet, non pessima, sed mediocris danda est. — Reg. 8ª in VI° « *semel malus, semper praesumitur esse malus* » applicanda est tantum in eodem genere delicti : v. g. qui simoniae reus fuit, non ideo iniustitiae reus praesumendus est.

Haec pauca exempla ostendunt regulas iuris non sine praevia earum cognitione aut sine consideratione applicandas esse ; quare in eorum usu ab iis qui iuris non sunt periti, saepe erratur.

3. *Stylus et praxis Curiae Romanae.* Hac praxi enim mens legislatoris supremi proditur, et vis cuiuspiam consuetudinis huic stylo accedit.

4. *Communis constansque sententia doctorum.* Per prima Ecclesiae saecula similis vis tribuebatur dictis Patrum. Atque in iure romano responsa prudentum silentium legis supplebant. Verum auctoritas ista certis quibusdam responsis inerat, dum praesenti canone soli perseveranti doctorum consensui haec efficacia ascribitur.

Canon iste maxime usu venit apud iudices, in sententiis pronuntiandis, atque etiam apud privatos, cum nec ex lege naturali nec ex expressa lege canonica, orta quaestio de iure vel obligatione solvi potest.

100. - **Quaeres** utrum necne hodie de *lege civili* valeat quod olim sanciebatur, ut in foro canonico, deficiente dispositione canonica, lex civilis generaliter appellari possit ?

Quidam id contendunt, praecipue D'ANNIBALE I, 201, cui consentit BUCCERONI I,

184 ; idque admittunt de hodiernis legibus civilibus iustis, in materia utriusque societatis communi.

Verum id negandum esse arbitramur, cum WERNZ, I, 195, cui adhaeret MAROTO, *op. cit.* I, n. 384. Eiusdem sententiae est CICOGNANI, *Proleg.*, n. 60.

Ius romanum iam appellari nequit, cum non vigeat, et leges assumebantur tamquam vigentes. De iure autem civili hodierno desideratur textus canonicus qualis erat pro iure romano, c. 1, X, V 32 *De novi operis nuntiatione* : « Sicut leges non dedignantur sacros canones imitari, ita et sacrorum statuta canonum principum constitutionibus adiuvantur ». Praeterea, cum lex civilis ius canonicum appellare non iam dignetur, cur legislator ecclesiasticus potestati inferiori, id est civili, honorem tribueret qui ipsi ab inferiore negatur, praesertim cum hodie perfectio legum canonicarum civilia supplementa minus postulet ? Sane, eo quod Ecclesia optat non separationem sed utriusque potestatis actionem concordem, inde colligi potest prompta voluntas Ecclesiae ad huius modi mutuum obsequium admittendum, non autem lata lex ecclesiastica de tali argumento, seu facta generalis canonizatio legis civilis. Immo, hodie, vigente Codice, cum in quibusdam rebus applicatio iuris civilis expresse imperetur, in generali autem canone 20 de lege civili sileatur, ex ipso textu argumentari possumus ad negandam regulam universalem de supplenda lege canonica per leges civiles singularum nationum.

Negari tamen non potest, de bonis temporalibus, immo de iure personarum tam paucas esse dispositiones canonicas in Codice, ut multa supplenda sint. Undenam, nisi ex vigente iure civili ?

Verum prudenti usu canonis 20 et canonum qui, in quibusdam argumentis, leges civiles canonizant, huic necessitati satis provisum est. Etenim : usus legis civilis in materia canonica imperatur pro tempore urgendi contractuum obligationes, c. 33, § 2 ; pro contractibus in universum, c. 1529 ; pro praescriptione, c. 1508, sed temperate (cfr canones sequentes) ; pro impedimento adoptionis, c. 1059. 1080. Inde, ubi agitur de iure patrimoniali quod non oriatur ex contractu, v. g. de thesauro, quia materia est similis, utemur c. 20, qui dicit normam sumendam esse a legibus latis in similibus ; et transferemus ad istud argumentum canonem 1529, quo civile ius de contractibus canonizatur, ita ut thesaurus in fundo ecclesiastico repertus civili regionis iure regendus sit. Neque aliter, quamvis lex canonica nihil de emancipatione dicat, cum, c. 93, necessarium assignet minori domicilium illius cuius potestati subicitur, et emancipatus iam in nullius potestate sit, indirecte iterum valebit ius civile de emancipatione. Et sic, sine formali canone generali et directo, sufficiens usus legis civilis Codice sancitur. Cfr OJETTI, *op. cit.* in hunc can.

Art. XI. - Cessatio legis

101. - Canonibus 21-23 legislator suppressionem legis per legem posteriorem ita prudenter affirmat ut simul firmitati legis consulat. Successive agemus de legis cessatione *absoluta*, quae potest esse ab *intrinseco* et ab *extrinseco*, dein de cessatione *relativa* ad plures personas.

102. - I. **Cessatio absoluta.** 1. Cessatio *ab intrinseco* locum habet :

a) *si finis cesset contrarie*, i. e. si lex evaserit noxia, irrationabilis ;

b) Si pro communitate finis adaequate evanuerit, ita ut lex communiter inutilis facta sit ; puta propter publicam a morbo securitatem congressus prohiberi : sublata lue, ipsa prohibitio cessabit.

Haec inutilitas in sola materia indifferenti occurrere potest ; materiam autem indifferentem, qua talem, legislator praecipere nequit ; talis enim lex non foret ordinatio ad bonum commune.

Si non communiter, sed in casu particularis personae finis legis negative cessaverit, actus particularis honestatem rei praeceptae semper servat, atque observatio legis communiter utilis, vinculum sociale confirmat. Permittere autem exceptionem est plurimae alucinationis occasionem dare. Quare, ipsum bonum commune isti exceptioni obstare videtur, ita ut cum communiore sententia dicendum sit legem particulari inutilitate minime auferri. Ubi tamen abfuerit scandalum et inutilitas sit manifesta, usum benignioris sententiae cum S. Alphonso tolerare possumus.

Verum, ut etiam concludit CICOGNANI, *Comment.* II, p. 139, id iam ad leges canonicas quae in praesumptione periculi fundari dicuntur traduci non poterit. Sic enim habet expresse canon **21** : « Leges latae ad praecavendum periculum generale, urgent, etiamsi in casu peculiari periculum non adsit ». Sicut diximus n. 68, vis talium legum haec est, ut iudicium de periculo privatis subtrahatur.

2. *Cessatio ab extrinseco.* Completa legis revocatio dicitur *abrogatio* ; *derogatio* dicitur revocatio eius partialis ; *obrogatio* demum, legis contrariae introductio.

Cum lex communi bono utilis praesumatur, eius cessatio odiosa censetur. Quare iura potius concordanda quam opponenda sunt. Inde **c. 23** « In dubio revocatio legis praeexistentis non praesumitur, sed leges posteriores ad priores trahendae sunt et his, quantum fieri potest, conciliandae ».

Inde etiam, exceptione facta pro legibus etiam particularibus quae Codici sint contrariae (c. 6, n. 1), « lex generalis nullatenus derogat locorum specialium et personarum singularium statutis, nisi aliud in ipsa expresse caveatur » (**c. 22**).

Item tamen c. 22 tres casus obrogationis expresse sancit :

a) si lex posterior id expresse edicat : qui casus nullam difficultatem movet ;

b) si « sit illi directe contraria ».

Quaeri potest quid sit illa directa contrarietas ? Formula ista, iam diu usurpata, parum explicatur. REIFFENSTUEL (L. I, t. 2, 491. 492) videtur talem contrarietatem intellegere de certa et invincibili. Accuratius dicemus contrarietatem directam esse contrarietatem immediatam, quae ipsam intentionem contrariam prodit. Sic c. 1251, § 2, cum statuit : « Nec vetitum est carnes ac pisces in eadem refectione permiscere », est directe contrarius legi BENEDICTI XIV quae promiscuitatem istam vetabat. Indirecte autem legi priori contraria est lex quae in obliquo tantum est contraria, ut si positive statuat quidpiam quod cum priore lege perfecte componi nequit, vel cum exceptionem inducit a lege

generaliore. Tunc non omnis efficacia in priorem legem negatur, sed ambae leges simul subsistunt. Sic, v. g. recens decretum S. Officii, quod dispensationes promittit vel sancit a ieiunio eucharistico ante missam servando, est huic ieiunii legi indirecte contrarium.

c) si « totam de integro ordinet legis prioris materiam ». Bono enim communi adversatur ut idem argumentum duplici ordinationi subsit. Quare etiam perseverantia legum anteriorum non ita intellegi potest ut beneficium tollat Codicis qui voluit ius commune totum recognoscere et continere, ita ut plurimarum legum impedimentis liberaremur. Cfr Creusen, *L'abrogation de l'ancien droit* (*N. R. Th.*, 1923, 196 ss.)

103. - II. Cessatio relativa ad plures personas.

Lex solos subditos pro quibus lata est obligat. Quare, sublata *subiectione*, cessat ipsa obligatio. Tollitur autem subiectio tum *mutata* personae *qualitate* seu condicione quae lege supponitur, tum *privilegio*.

De privilegio postea dicetur.

Propter mutatam condicionem quae supponitur, lex territorialis ne subditum quidem obligat extra territorium ; lex lata pro laicis iam non eum obligat qui clericus fit ; nec, contra, lex propria clericorum iam eum obligat clericum qui ad statum laicalem est redactus (exceptione facta ex c. 213 pro obligatione caelibatus).

Caput II. - De decretis et instructionibus

104. - Principaliores et generaliores iuris definitiones secundariis et magis particularibus dispositionibus complendae sunt, quibus priorum exsecutioni prospiciatur. Determinationes istae ipsa lege contineri possunt ; non raro autem reservantur cuidam formae minus sollemni normarum, quae in iure *canonico* erit decretum vel etiam instructio S. Congregationis, in iure autem *civili*, potius decretum regis vel praesidis rei publicae.

1. Dum decretum normam stricte obligatoriam per se designat, instructio de se simplicem dicit normam declarativam, cuius directio servanda est, potius quam est urgenda eius litteralis observatio.

Sic, 19 sept. 1671, S. C. *de Prop. Fide* dicebat, resolutiones *S. C. S. Officii* et *de Prop. Fide*, a se communicari « non tamquam definitiones, sed tamquam simplices Instructiones, quibus in occurrentibus dubiis gubernari valeant et debeant. » (*Collect. Paris.* Constitutiones S. Sedis, n. 5). Non raro tamen puncta quaedam, praesertim secundaria, instructionibus auctoritative definiuntur et imponuntur. Sic, Instr. *S. Officii* 7 iun. 1867 notionem quasi-domicilii imposuit strictiorem quam a probatissimis auctoribus tradebatur : a qua tamen notione competentia parochi ad assistendum matrimoniis tunc pendebat ; sic, dum probanda est mors prioris coniugis, sequendae sunt Instructiones *S. Officii* 13 maii 1868 et 29 aug. 1890. Quocirca Wernz monet tantum, I, n. 146, III, ne omnibus instructionibus vim legis universalis tribuamus (1).

In iure autem *civili*, decretum quo lex veluti perficitur manat a

(1) Cfr *Revue des communautés religieuses*, I, 1925, 67 ss., 100 ss., 129 ss.

potestate distincta a legislativa, quae administrativa vel exsecutiva appellatur. In iure vero *canonico* decreta ista et instructiones fiunt per easdem Congregationes quibus S. Pontifex non raro ad leges condendas utitur. — Fit quoque ut Capitula generalia Ordinum regularium instructiones Superiori generali faciendas mandent.

Exempla instructionum : *Normae de sacra praedicatione* quas S. C. Consistorialis condidit 28 iun. 1917 ; Instr. S. C. de religiosis de secundo noviciatus anno, 3 nov. 1921 (AAS, XIII, 1921, 539, ss.).

Distinctio ista inter leges et instructiones clare redditur in Motu Proprio, *Cum iuris canonici*, 15 sept. 1917, quo SS. D. N. Benedictus PP. XV authenticam Codicis interpretationem speciali commissioni reservavit.

Haec enim habet ad rem nostram Pontifex : « SS. RR. CC. nova decreta generalia iam nunc ne ferant, nisi.... Ordinarium igitur earum munus in hoc genere erit tum curare ut Codicis praescripta religiose serventur, tum *instructiones*, si res ferant, edere, quae eisdem Codicis praescriptis maiorem et lucem afferant et efficientiam pariant. » (*Per.* IX, 16).

3. Ista SS. Congregationum acta, ut decreta regia vel praesidis, diriguntur ad eandem communitatem cui lex destinatur eamque pariter obligant, ita ut latiore sensu leges dici possint. Haec tamen inter leges et huiusmodi complementa intersunt : 1° ut legi quam compleant derogare nequeant ; 2° ut proinde, si quaedam simul componi nequeant, lex, quamvis anterior, instructioni praeferenda sit ; 3° ut, suppressa lege, instructio, quasi accessoria, simul cum principali desinere debeat.

Caput. III — De Praecepti vi et natura

Scriptores : Suarez, *De Legibus*, l. 1, c. 10, n. 9-12. — Wernz, *Ius Decretalium*, I, 135.

105. - **Praeceptum,** lato sensu, usum dicit potestatis quae omnis veri Superioris est communis et propria. Per praeceptum Superior suum dictamen subdito efficaciter intimat. A potestate ordinis privati, qualis est dominativa et quasi-domestica, aeque atque a potestate iurisdictionis manare potest.

Auctor igitur praecepti in primis esse potest : *a*) ipse Legislator et quisquis potestate iurisdictionis in foro externo, sive ordinaria sive delegata, munitur : sic ipsi iudices tribunalis ; *b*) qui communitatem quandam regendam habet, ut quivis Superior et Superiorissa religiosa ; *c*) qui commissam sibi habet administrationem in qua plures personae partem sumunt : sine praecepto sufficiens actionis unitas induci non posset. Quare omnis rector ecclesiae, omnis parochus varia in ecclesia sua, v. g. de ordine sedendi, officia celebrandi, praecipere potest.

Si genuinam rationem potestatis iurisdictionis fori interni assecutus sis, colliges nullam directam praecipiendi potestatem ista iurisdictione conferri, cum sit ad solvendum data. Cfr *Theol. mor.*, III, 6. Unde quae in hoc foro praecipiuntur, supponunt et consequuntur vinculum obligationis ad cuius solutionem ipsum praeceptum dirigitur : sic paenitentia sacramentalis tendit ad solvendum debitum

poenarum ; sic opus in quod votum commutatur. Et quia iurisdictio fori interni immediate in bonum subditi exercetur, secundario tantum vocabulum iurisdictionis ad eam potestatem accommodatur. Fortasse nomen iurisdictionis mutuatur ab origine : per potestatem fori exterioris potestas fori interni conceditur et ordinatur. Nec promissio privata, nec simplex votum, sine Ecclesiae sanctione aliquem proprie Superiorem efficere potest : qui alicui oboedientiam privatim promisit, v. g. voto facto, debebit Deo ut impleat quae ei praescripta sunt ; homini, qua Superiori, nihil directe debet. In his duobus punctis non consentimus R. P. Maroto, *Inst.* I, n. 264, c. et f.

106. - 1. De praecepto ex potestate iurisdictionis manante, hic potissimum agimus ; et quaerimus quo modo a lege differat.

Propriam praecepti notionem auctores explicare non solent. Apud ipsum Suarez definitio desideratur. Plerique contenti sunt allegandis his differentiis, quod praeceptum ex duplici potestate manare possit et morte praecipientis exstinguatur. Unde, quando manat ex potestate iurisdictionis, uno tantum signo praeceptum a lege distinguunt, quod praeceptum morte praecipientis auferatur. Quod si decretum de diuturnitate taceat, nullum criterium indicant quo praeceptum a lege secerni possit ; sed res fere huc reducitur : erit praeceptum si cessat morte ; et cessabit morte si sit praeceptum. Aliquid plus dicere conemur.

2. Ex ipso communi praecepti usu, haec ambo erui possunt : *a*) Praeceptum infert magis *personalem Principis interventum*. Cf. Wernz, I, 135, nota 225. Quare magis datur personis sive singulis, sive aliqua qualitate vel nota definitis. Hinc, Suarez, *l, c.* n. 9, genericam praecepti rationem a specifica distinguit, hanc vocans personalem, his verbis : « Praeceptum ab homine latum solum per modum personalis praecepti et latum per modum constitutionis ».

b) Praecepto non constituitur novus ordo in communitate. Sed, ne hoc fiat, oportet ut eius observatio non transierit in habitum. Quare, cum datur communitati, praeceptum accidentali et per se momentaneae necessitati consulit, et tali potius necessitati cui per leges provideri non consuevit. Ita, per praecepta quaedam fieri iubentur tempore calamitatis publicae, v. g. preces.

Praecepta igitur a legibus temporariis *materia* et *occasione* discernentur. Sic, cum ab una regimine politico ad alterum transitur, locus erit legibus temporariis potius quam praeceptis.

Explicita mentio praeceptorum *communium* in Codice non reperitur. Non ideo tamen praecepta huiusmodi haberi ambigi possit.

107. - *De extensione et diuturnitate praecepti.*

1. « Praecepta, *singulis* data, eos quibus dantur, ubique urgent, sed iudicialiter urgeri nequeunt et cessant resoluto iure praecipientis, nisi per legitimum documentum aut coram duobus testibus imposita fuerint » (**c. 24.**)

Ubique urgent, propter notam personalem iussionis. Simul autem sapienter Codex repudiat quod, nimia facilitate transsumptum, passim apud theologos

morales legebatur, ad praecepti naturam pertinere ut cessaret resoluto iure praecipientis. Omnia potius revocanda sunt ad intentionem praecipientis, cuius nunc in canone 24 authenticam habemus declarationem, quae simul ligat Superiores, excepto S. Pontifice : nisi scripto dentur vel coram duobus testibus, cessant resoluto iure praecipientis. Origo erroris fuit falsa assimilatio praesidis romani et episcopi, ita ut quod ius romanum de priore, qui simplex erat administrator, statuerat (L. 43 ult. D. XLVIII, 19 *De poenis*), male in episcopum traductum sit. Cfr optimam rei expositionem apud LEGA, *Praelect. de iudiciis ecclesiasticis*, L. II, vol. 3, n. 67.

Legitimum documentum est scriptum ita confectum ut constet de eius authentia (v. g. per subscriptum nomen et appositum sigillum). Cfr c. 1813 et ss.

2. Praecepta data *pluribus simul*, v. g. omnibus clericis, eam extensionem et diuturnitatem habebunt quae vel textus iussionis vel natura rerum postulant. Frequentius quam ipsae leges urgebunt extra territorium, propter notam magis personalem iussionis (cfr WERNZ, *l. c.*) ; manebunt vero manente necessitate propter quam data sint. Sic preces in fine missae a sacerdotibus dicendae, nobis videntur praecepto potius quam lege datae ; sapienter tamen responsum est, post obitum Leonis XIII et Pii X, obligationem perseverare ; persistebant enim adiuncta propter quae fuerunt indictae.

Fit interdum ut quidam legum articuli, ubi non nulla in virtute oboedientiae imponuntur, praecepta contineant.

Atque usus esse potest ut ipsa exteriore decreti forma praeceptum a lege distinguatur : quod a SUAREZ, *l. c.* n. 12 insinuatum videtur.

3. Lata ex potestate *dominativa*, praecepta necessario cessant resoluto iure praecipientis, quia tunc nituntur in relatione personali quae resoluto iure praecipientis abrumpitur. Attamen quando (ex potestate dominativa) dantur a persona morali, ut puta a Capitulo, persona Ordinis, quem Capitulum repraesentat, non moritur.

Quare decreta capitularia saltem usque ad proximum Capitulum perseverant. Per Capitulum possunt quoque, generali vel speciali decreto, praecepta Superiorum prorogari (cfr WERNZ, I, 135 nota 235).

TITULUS II

DE CONSUETUDINE

(cc. 25-30)

Scriptores : SUAREZ, *De Legibus*, l. 7. — REIFFENSTUEL, SCHMALZGRUEBER, h. t. — WERNZ, I, *Ius Decretalium*, tit. 10. — D'ANNIBALE, *Summula*, I, 181 ; 245-247. — BAUDUIN, *De consuetudine in iure canonico*, Lovanii, 1888.

Ordo Codicis. Canones 25-30 his quaesitis successive satisfaciunt : undenam valeat consuetudo (c. 25) ; cuinam valeat (c. 26) ; quid valeat (cc. 27-29) ; quamdiu valeat (c. 30).

I. NOTIO ET CONDICIONES

108. - **Consuetudo**, ut res *facti*, est frequens modus agendi, et inde exorta inclinatio ad similiter agendum. Factum istud parit quandoque consuetudinem ut rem *iuris*, quae definitur : *Ius diuturnis populi moribus introductum.*

109. - Ut hoc fiat, variae **condiciones** requiruntur, i. e. :

1. Consensus quispiam **Legislatoris**, sine quo nulla lex. Id Codex expresse statuit de ecclesiastica consuetudine : « Consuetudo in Ecclesia vim legis a consensu competentis Superioris ecclesiastici unice obtinet » (**c. 25**).

Cum agitur de ecclesiastico iure, magis expresse vindicanda est exclusiva origo iuris consuetudinarii a Superiorum consensu, cum populus seu multitudo nullatenus in Ecclesia ut primum potestatis subiectum aliquo pacto agnosci possit.

Iste consensus autem non est necessario *specialis*, tali vel tali usui formaliter datus, sed sufficit *generalis*, qui dicitur *legalis*, et continetur lege qua in universum consuetudines certis dotibus instructae ratae habentur. Sic, c. 27 consuetudines contra legem ; canon autem 28 consuetudines praeter legem agnoscit ; canon autem 29 consuetudines quae legem interpretantur seu secundum legem, diserte commendat.

Nihil tale occurrit in hodierno iure civili, quo consuetudines contra legem per se repelluntur. Non potest tamen legislator civilis omnem vim consuetudinis fugere. Et sic habentur consuetudines forenses quae, extra omne ius scriptum, magistratibus ratio sunt lites dirimendi.

De consuetudine per coniventiam. Consuetudo per coniventiam ea est quam legislator cognoscit et expresse vel tacite approbat. Ante Codicem, cum nec generalis modus promulgandi leges universales sanciretur, nec generalis definitio haberetur de tempore consuetudini requisito, plerique canonistae dicebant consuetudinem a legislatore cognitam praescribi quando de consensu legislatoris constabat : quod prudenter aestimandum esset. Cfr Suarez, L. 7, c. 8, n. 11. 16 et c. 15, n. 8. 9 ; Wernz, I, 190, iv. Nunc autem, post accuratas definitiones c. 27 et 28, et inductam legum promulgationem per insertionem in *Acta Apostolicae Sedis*, Princeps ecclesiasticus non iam censetur voluntatem suam *imponere* velle, nisi per legem formaliter promulgatam vel per consuetudinem legitime, i. e. per tempus lege definitum, praescriptam. Quare, ni fallimur, nulla obligatio nova per coniventiam legislatoris exorietur ; sed tacita legis abrogatio vel tacita licentia faciendi, hac via obtineri poterit. Opportune igitur d'Annibale, I, 180, de coniventia non loquitur, nisi ubi de abrogatione legis tractat.

2. Populus, ut *subiectum consuetudinis*. Cum agitur de consuetudine quae vim legis habeat, in iure ecclesiastico requiritur et sufficit « communitas quae legis ecclesiasticae saltem recipiendae capax est » (**c. 26**. Cfr Wernz, I, 190, I).

Communitas est *coetus hominum qui ad aliquem finem sub aliquo capite copulantur.* Cfr Suarez, *de Leg.* L. I, c. 6, n. 19. Capax autem non erit legis recipiendae nisi sit *stabilis*, seu per se perpetua. Lex enim est per se perpetua. Estne autem praeterea aliquid requisitum ? Non

videtur ; quare propendemus in sententiam benigniorem quam quae consuevit proponi, et quae, v. g. negat paroeciam capacem esse inducendae consuetudinis.

Severitatem opinionum inde fortasse explicari posse arbitramur, quia iuris periti prius valorem consuetudinis tribuebant ipsi populi auctoritati, et sic exigebant communitatem capacem ferendi legem. Sic Suarez, *de Leg.* L. VII, c. 9, n. 7 refert Doctores communiter exigere communitatem in qua insit potestas legislativa. Ipse quidem contentus est communitate in qua possit esse talis vis, vel etiam, n. 7 cui lex vere imponi possit. Sed quamvis in dicto capite satis severe concludere videatur, antea, in L. I, c. 6, concedit legem ferri posse pro habitantibus in tali parte vel vico civitatis. Nonne igitur pro qualibet stabili subdivisione dioecesis, qualis est paroecia, lex ferri potest ? Interrogatus de rationibus intrinsecis cur ad legem opus sit communitate, Suarez allegat ibidem (L. I, c. 6, n. 11) perpetuitatem et universalitatem legis. Ambo haec in qualibet communitate stabili habentur, cum, secundum auctores, v. g. Reiffenstuel, *Ius Canon.* L. V, t. I, n. 249, iam decem personae populum efficere possint.

Capax consuetudinis igitur est universa Ecclesia, dioecesis, Capitulum, Ordo religiosus, provincia, monasterium sui iuris ; non est familia, domus religiosa non sui iuris : desideratur stabilitas. Plerique excludunt paroeciam : rationem exclusionis fatemur nos non videre.

3. **Mores populi**, i. e. actus frequentes, uniformes, publici, deliberati, maioris partis huiusmodi communitatis, ita facti ut in populo sit quaedam ad eos inclinatio cui, non sine aliqua populi perturbatione, legislator contradiceret.

Haec inclinatio per se non deficiet ubi de abroganda lege agitur ; ubi vero de inducenda obligatione quaestio est, perraro habebuntur actus scienter (seu sine iuris errore) facti cum animo se obligandi : quod tamen, ex ipso c. 28, tunc requiritur.

4. **Diuturnum tempus.** Ante Codicem, probabilis sententia spatio non interruptorum decem annorum contenta erat. Codex tamen, c. 27 et 28, vult ut consuetudo quae novam obligationem inducit vel legi derogat, per annos quadraginta continuos et completos legitime praescripta sit. Contra legem autem quae futuras consuetudines prohibeat, sola praescribere potest consuetudo centenaria aut immemorabilis (c. 27, § 1). Cf. infra n. 111, 3.

Praescriptio autem ista *interrumpitur*, si populus morem suum sponte mutaverit, vel legislator contra invalescentem morem reclamaverit.

5. **Mores rationabiles**, i. e. tales qui, etsi legi praesenti fortasse contrarii sint, nihilo minus tamquam utiles a legislatore sanciri possint. Cum enim duobus vel pluribus modis communitas ad bonum suum commune saepe perduci possit, non repugnat quin lex et mos contrarius sint ambo, spectata materia, rationabiles.

Rationabiles autem esse nequeunt usus qui repugnant legi naturali aut divinae

positivae (c. 27) ; vel qui nervum ecclesiasticae disciplinae abrumpunt (ut si communitas praescribere vellet immunitatem ab omni visitatione canonica) ; vel licentiam aut occasionem peccati praebent, qualis foret abrogatio omnis clausurae religiosae.

« Consuetudo quae in iure expresse reprobatur, non est rationabilis » (c. 27, § 2). Non repugnat tamen, ut, mutatis adiunctis, deinceps rationabilis evadat.

110. - Corollaria. 1. Non origine obligationis, non efficacia, sed sola *promulgatione*, consuetudo a lege scripta formaliter differt.

2. Differt a *praescriptione* proprie dicta, quia praescriptio iura personae singularis vel communitatis privatae, consuetudo vero ipsum ius obiectivum communitatis afficit ; quia quilibet homo privatus in bonum suum privatum contra privatum alterius ius praescribit, dum activum consuetudinis subiectum est populus ; et consuetudo contra neminem proprie praescribitur, cum ex voluntate legislatoris vim suam hauriat ; quia, in iure canonico, praescriptio, non autem consuetudo, bonam fidem seu persuasionem legitimae actionis exigit. Attamen quia consuetudo sicut praescriptio usum continuum et temporis spatium requirit, consuetudo obiectum evadit cuiuspiam praescriptionis, et de praescripta vel non praescripta consuetudine sermo habetur.

Natura rerum non mutatur eo quod consuetudo in scripto documento referatur, nisi ipsa scripta, formaliter ut lex, promulgetur.

II. DIVISIO CONSUETUDINIS

111. - 1. Ex efficacia seu effectu, distinguitur consuetudo *secundum legem*, *praeter legem* et *contra legem* ; et, supposita legis obscuritate, *consuetudo interpretativa*.

Consuetudo secundum legem dicit ipsam generalem legis observationem. Vocatur quoque *inhaesiva*. De hac GRATIANUS, post c. 3, D. IV, dicit : « Leges firmantur cum moribus utentium approbantur ». De praescriptione talis consuetudinis non est agendum, cum nullum esse a lege distinctum habere videatur.

Cum lege tamen concurrere potest consuetudo quae, si praescripta fuerit, distinctam vim et firmitatem cuidam observantiae tribuet.

Consuetudo *praeter legem* inducit normam obligantem quae nulli praecedenti opponitur. Ad hoc, c. 28 postulat :

a) Ut *scienter* a communitate servata sit. Scienter, i. e. sine errore de libera facultate quam habebant aliter agendi.

b) *Cum animo se obligandi :* intentio ista, quae non erit frequens, prodi potest incommodis quae admittuntur ad eam servandam ; reprehensione eorum qui eandem non servent. Quare, antiquissimus

usus sumendi aquam lustralem in ingressu ecclesiarum nullam consuetudinem induxit, deficiente intentione obligationis.

c) Ut binae aliae impleantur condiciones communes omnis consuetudinis, et proin sit *rationabilis* et *legitime* per annos 40 continuos et completos *praescripta.*

Ex consuetudine orta sunt, v. g. obligatio recitandi breviarii, impedimentum disparitatis cultus.

Consuetudo *contra legem* ius praecedens ex toto vel parte aufert. Atque observes id inter consuetudinem et legem legislatoris particularis interesse, quod *specialis* consuetudo legi communi derogare potest, dum particularis legislator nihil potest in ius commune. Consuetudo enim ex universalis legislatoris voluntate suam vim trahit.

Can. 29 *vim interpretativam* effert consuetudinis, praesertim ad dissipandum dubium vel legis obscuritatem. In laude ista imitatur ius Romanum L. 37, Dig. I, 3.

Ut *optima* interpres, consuetudo praefertur cuilibet alii interpretationi : *privatae*, quae est ipsi inferior, et etiam *authenticae*, tamquam prima inter pares propter claritatem et suavem efficaciam suam.

Quia autem assimilatur, immo anteponitur alii authenticae, interpretatio per consuetudinem potest esse extensiva et restrictiva. Neque tunc tamen confundenda est cum consuetudine contra legem, quia, legem extendendo vel restringendo, mere afficit modum legis cuius servat substantiam.

2. Ex extensione, alia consuetudo est *generalis*, alia *specialis* seu *particularis.* In iure ecclesiastico, *generalissima* interdum dicitur quae est totius Ecclesiae ; *generalis*, quae est unius provinciae ecclesiasticae aut regni ; *specialis*, quae est minoris communitatis.

Ad specialem consuetudinem refertur *stylus curiae*, qui canone 20 memoratur : est modus uniformis vel *decidendi* certas causas, vel *procedendi* in *causae examine.* De tribunali magis stricte quam de curia administrativa dicitur. Huiusmodi stylus, cum sub oculis legislatoris adhibeatur, facile valorem induit consuetudinis.

3. Ex **diuturnitate**, consuetudo alia est *ordinaria*, seu longi temporis ; *centenaria*, seu temporis *longissimi*, et *immemorabilis*, cuius origo memoriam saltem vulgarem effugit. Ad huius probationem, in iure canonico, requiritur ut testes de *visu* deponant se vidisse morem per quadraginta annos, et de *auditu*, se accepisse a maioribus eundem semper servatum fuisse.

Centenariae et immemorabiles consuetudines sunt privilegiatae. Et quamvis immemorabilis centenariam superet, in Codice practice aequiperantur.

Cf. canones 5 et 30 ubi ambae excipiuntur suppressione per Codicem vel leges facta consuetudinum contrariarum ; canonem 27, ubi ambae dicuntur derogare

posse legi quae consuetudines prohibet ; canonem 63, ubi ambae praesumptionem concessi privilegii inducere dicuntur. Quidquid ergo privilegio, idem huiusmodi consuetudinibus obtineri potest.

Hoc tamen inter utramque intererit, ut clausula quae centenarias consuetudines aboleat, immemorabiles intactas linquat.

III. CONSUETUDINIS CESSATIO

112. - Consuetudo cessat :

1. Ab *intrinseco*, si irrationabilis evaserit.

2. Ab *extrinseco*, tum contraria consuetudine, legitime praescripta, tum lege quae eam supprimat.

De lege ista haec tenenda sunt. Lex particularis particulares consuetudines abrogat. Ac proin, quamvis consuetudines vigeant ex lege generali, episcopus, in lege ubi competens est, potest lege dioecesana dioecesanas consuetudines abolere (Cf. AICHNER, *Comp. iur. can.* p. 35).

Lex generalis non abrogat consuetudines particulares, nisi id expresse caveat, ut si dixerit : « *nulla* obstante consuetudine contraria ». Clausula enim « non obstante consuetudine contraria », ex recepta ante Codicem interpretatione, aliam atque generalem consuetudinem abrogare nondum censetur. Nisi autem expresse de iis mentio facta sit, clausula quamlibet consuetudinem revocans, centenarias aut immemorabiles non supprimit (c. 30). Nec immemorabilis tollitur per clausulam quae solam centenariam memoret. Ambae tamen consuetudines auferuntur per clausulam quae contrarias consuetudines corruptelas esse declarat.

In quibusdam argumentis, v. g. rituum, quorum uniformitas valde urgetur, S. Sedes difficilius admittit rationabilem esse posse consuetudinem quae legi liturgicae adversetur. Non omnis tamen responsio negativa ad solitam quaestionem : « An talis consuetudo tolerari possit » demonstrat consuetudinem fuisse antea irrationabilem. Potuit enim S. Sedes occasione quaestionis usa esse ad consuetudinem positive abrogandam.

3. De consuetudinibus antea vigentibus, quae contra Codicis statuta sunt, id peculiare c. 5 edicitur, omnes aboleri, nisi Codex aliud expresse caveat, aut nisi centenariae sint et immemorabiles. Hae, dummodo Codex easdem non declaraverit corruptelas, « tolerari poterunt, si Ordinarii pro locorum ac personarum adiunctis existiment eas prudenter submoveri non posse. »

Verbis istis Ordinarii quasi invitantur ut eas abolere conentur ; quod si ipsi positive nihil fecerint, tacite conivere videntur consuetudini quae proin vigere perget. I. e. ut pristina consuetudo toleretur, nulla positiva Ordinarii actione opus esse videtur.

TITULUS III

DE TEMPORIS SUPPUTATIONE
(cc. 31-35)

Scriptores : Maroto, *Institutiones*, I, nn. 255-260. — Ferreres, S. I. *Comp. theol. mor.*, nn. 213. 214. — Lacau, I., *De tempore dissertatio*.

113. - Ordo Codicis. Posito, canone 31, principio de generali canonum sequentium applicatione, temperato exceptione legum liturgicarum et contractuum (c. 33, § 2), canon 32, § 1 definit quid sit dies, hebdomada, et perficitur c. 33, § 1 quo horarum supputatio declaratur ; canon 32, § 2 nos docet quid nomine mensis et anni intellegatur, et explicationibus canonis 34 completur ; demum in distinctione temporis utilis et continui (c. 35) titulus terminatur.

In primis itaque de ipsa extensiva canonum vi dicendum est.

I. NORMARUM AMBITUS

114. - Normae tradendae vim quidem generalem habent. Limitantur tamen expressis *exceptionibus*, nec legibus *liturgicis* vel *contractibus* applicantur.

Salvae enim esse iubentur **c. 31**, leges *liturgicae*. Sic in re liturgica, dies aliud initium ac media nox habet ; et prima dominica mensis ipsum mensem interdum praecedit.

In *contractibus*, integrum est partibus de temporis supputatione convenire. Seclusa expressa pactione, Codex vult, **c. 33**, § 2, ut tempus urgeatur secundum praescriptum iuris civilis in territorio vigentis. Id consentaneum est c. 1529, qui in universum vult ut leges civiles de contractibus ad materias ecclesiasticas traducantur.

II. NORMARUM PRAESCRIPTA

115. - Definitio generalis.

Canone 32 Codex docet nos quid, in universum, veniat iuridice, nomine *diei*, *hebdomadae*, *mensis* et *anni*, quacumque ratione supputentur. His praemittemus notionem *horae*.

Horam, de cuius quantitate nihil dicitur, 60 momentis constare novimus. Horologia ita effici consueverunt ut, cum primam dant horae pulsationem, hora elapsa sit. De varia horarum aestimatione infra dicetur.

116. - **Dies**, etiam in materia ecclesiastica, a media nocte initium habet, et constat 24 horis continuo supputandis (**c. 32**, § 1).

Unde quando computatio lege iubetur fieri vel indicatur per dies, ut v. g. de tempore quod novicius abesse potest, partes dierum neglegendae sunt quae non pertinent ad spatium continuum 24 horarum quae a media nocte ad mediam

noctem computandae sunt. Quare, ne per diem quidem abfuisse censebitur novicius qui viciens per quinque vel decem horas separatas abfuerit ; nec dies qua proficiscitur vel qua redit in tempore absentiae quod per dies aestimatur computandus est. Continuitas tamen moraliter intellegenda est : per diem abfuit qui moraliter per 24 horas, a media nocte computandas abfuit. Cfr MAROTO n. 257, 5° B. et 260, 5° et 6° ubi id applicat ad aestimationem temporis utilis. Frustra, ut nobis videtur, non nulli, v. g. R. P. VOLTAS, C. M. F., *Commentarium pro religiosis* II, 82, volunt ut tempus a momento egressus ad momentum regressus computetur. Nituntur c. 34 § 2, ubi tamen non agitur de computatione quae fiat per singulos dies: praeterea, dum ex c. 32, § 1 retinent partes diei non esse attendendas, praetereunt ibi etiam initium diei assignari mediam noctem ; et quotiescumque tempus potest esse non continuum, supputatio a momento ad momentum postulat intricatas annotationes horarum quas legislator non facile censendus est postulasse. Cfr *Per.* XVII, 81*. 82*

117. - Hebdomada, ex c. 32, septem diebus, i. e. ergo septem spatiis 24 horarum continuo supputandarum constare dicitur. Sed non requiritur ut ipsi dies sint inter se continui, vel ut certa dies, puta dominicam, tamquam prima consideretur. Unde, nisi lex statuat hebdomadam sumendam esse ut in calendario, quilibet septem dies pleni, i. e. septem intervalla horarum continuarum a media nocte ad mediam noctem, — etiam non continui, — hebdomadam efficient.

Mensis, constat 30 diebus, annus vero 365, nisi mensis et annus dicantur sumendi prout sunt in calendario (c. 32, § 2).

118. - **Quodnam tempus considerandum sit.** Canon **33** indirecte nobis hoc principium tradit, **tempus** considerandum esse quod ex communi loci usu viget. Vis istius regulae in varia aestimatione horarum potissimum cernitur.

Simul tamen idem canon, § 1, hanc optionem permittit : « In privata missae celebratione, in privata horarum canonicarum recitatione, in sacra communione recipienda et in ieiunii vel abstinentiae lege servanda, licet alia sit usualis loci supputatio, potest quis sequi loci tempus aut locale sive verum sive medium, aut legale sive regionale sive aliud extraordinarium. » Ac menti legislatoris consentaneum putavimus ut amplam istam facultatem ad indulgentias quoque et requiem festivam traduceremus. Cfr quoque CLAEYS BOÚÚAERT, *Selecta capita Codicis*, n. 15. — *N. R. Th.*, 1923, 424.

R. P. MAROTO, n. 255 putat indulgentiis propriam esse computationem cc. 921-923 et 931 indicatam. Sed canones isti, potius quam tempus aliter aestiment, quasdam permittunt temporis concessi et secundum regulas generales supputati extensiones.

Quodcumque autem tempus assumatur, cavendum est ut dies 24 horas contineat. Quare die ieiunii vel abstinentiae, non possis tardiore hora incipere ieiunium vel abstinentiam et maturiore (v. g. aestiva) a ieiunio vel abstinentia cessare : non ieiunasses per diem completum.

Privata missae celebratio non est tantum missa lecta ; et privata recitatio

horarum canonicarum potest quoque esse choralis, si chorus libere constituatur personis quae chori obligationem non habent : ut puta si, tempore exercitiorum spiritualium, sacerdotes saeculares velint horas communiter psallere vel recitare. Itaque privata celebratio et recitatio opponitur hic publicae seu quae lege ecclesiastica officio alligatur : puta missam conventualem, officium canoniale.

Tempus *locale* astronomica computatione definitur ex linea meridiana ; estque *verum*, si indicatur sine mutatione inducta ut dies stricte aequales computentur ; quibus mutationibus tempus *medium* obtinetur. Dispositione legis fit ut in una natione non consideretur nisi meridiana linea cuiuspiam loci, v. g. observatorii Greenwich. Immo magis artificiosa unitas est inter varias gentes pactione inducta. Tempus hoc modo constitutum est tempus *legale regionale*. *Extraordinarium*, statuitur, v. g. cum, ad parcendum lumini artificiali, anticipatione unius horae tempus aestivum constituitur.

Comm. I. C. respondit tempus quod iuxta zonas (*fuseaux*, *fusi*) definitur iis tantum in locis, in quibus est *legale*, usui esse posse ad normam huius c. 33, § 1 (1).

Ista dispositione videtur nobis legislator, pro variis istis actionibus seu officiis, tempus induxisse commune inter duos dies vel duas diei partes, quod utrique diei vel parti diei tribui possit. Quare nihil prohibet quin, secundum tempus verum, recites breviarium, legem abstinentiae secundum tempus medium observes, et secundum tempus legale ad ieiunium eucharisticum attendas.

In hac re benignius di imus quam plures hodierni scriptores, qui casus solvere pergunt sicut quidam antiquiores faciebant ante concessam huiusmodi optionem. Hos sequitur quoque R. P. Maroto, n. 258. Nullam videmus rationem cur beneficium legislatoris coarteamus. Actiones formaliter diversae, praecepta distincta, possunt eodem tempore diversis legibus regi. Cfr etiam Creusen, *Minuit canonique*, *N. R. Th.* 50 (1923), 200 ss.

119. - Mensis et annus vel sumuntur prout in calendario, vel non. In posteriore casu, ut diximus, mensis designat spatium 30 dierum ; annus vero spatium 365 dierum.

Sumuntur autem ut in calendario : 1. Quando proprio nomine designantur, v. g. mense martio, vel quando aequivalens designatio usurpatur. Sic, dicendo : anno proxime futuro, aequivalenter annum v. g. 1930 designaveris (c. 34, § 1).

2. Quando tempus continuum assignatur, ut v. g. in suspensione per tres menses (c. 34, § 2).

Sumuntur 30 vel 365 dies, quando tempus designatur *intermissum*, ut cum canonico beneficiato absentia trium mensium permittitur (ibid).

120. - Quod ad initium et finem temporis : aut terminus *a quo* nec explicite nec implicite assignatur (suspensio a divinis per mensem ; tres vacationum menses in anno) ; et tunc tempus supputatur de momento in momentum ; aut terminus *a quo* assignatur ; tunc (excluso speciali casu actuum qui statis temporibus renovantur, ut vota, electio), si terminus a quo coincidit cum initio diei, primus dies computatur et tempus finitur incipiente ultimo die eiusdem numeri : v. g. duo menses a 15 ianuarii elapsi censebuntur incipiente, media

(1) Resp. 10 nov. 1925, ad I.—AAS, XVII, 1925, 582— *N. R. Th.* 1926, 225. — *Per.* XIV, 178.

nocte, 15 martii ; si terminus *a quo* non coincidit cum initio diei : quartus decimus aetatis annus, decendium ad appellandum (horum initium est nativitas, sententia primae instantiae) primus dies non computatur; et tempus finitur expleto ultimo die eiusdem numeri. Ergo natus 15 mart. 1900 habebit 14 annos expletos (media nocte) expleta die 15 mart. 1914 (c. **34**, §§ 2. 3).

Quaeres, quid sit dies eiusdem numeri ? Dies iste aliter sumitur quando de pluribus mensibus vel annis ac quando de pluribus diebus sermo fit. Priore casu est dies qui in alio mense eundem numerum habet, v. g. 20, 25. Quia tamen alii menses 30, alii 31 dies numerant, et februarius solos 28 vel 29 habet, dies eiusdem numeri in fine mensis deficere potest. Sed tunc ultimus dies, v. g. 28 februarii, habetur pro die eiusdem numeri ac dies finales (v. g. 28, 29, 30, 31 ianuarii) mensis qui pluribus diebus constat. Cum vero tempus est mense brevius, dies eiusdem numeri est ille quo iteratur numerus ipso spatio indicatus : v. g. dies octavus, decimus, si agatur de octiduo, de decendio.

Denique si agitur de actibus qui post stata intervalla recurrunt, v. g. de *votis* quae post unum, duos annos renovanda sunt vel in perpetua convertuntur, de *electione* quae sexto quoque anno facienda redit, tempus finitur eodem recurrente die quo incepit ; sed, neglecta consideratione horae actus, per integrum eundem diem fieri potest. Hinc, quamvis prima vota non fiant eodem recurrente die quo quis noviciatum ingressus sit, sed postridie, nihilo minus vota emissa, electio facta d. 15 augusti, recurrente die 15 augusti renovabuntur (c. 34, § 3, 5°).

III. DE TEMPORE UTILI ET CONTINUO

121. - Magni momenti est distinctio temporis utilis et **continui.** Continuum enim nullam patitur interruptionem propter ignorantiam vel impedimentum ; utile, contra, non currit ignoranti vel impedito (c. **35**).

V. g. si decem dies utiles conceduntur ad appellandum, dies quibus quis impeditus fuerit in iisdem non considerantur. Et ex modo quo dies supputantur, consequitur, illi qui per notabilem partem diei impeditus fuerit, diem integrum adiungendum esse (Maroto, I, n. 260, 6°). Nec refert ipsum culpa sua impeditum fuisse, quia, v. g. suspensus erat (d'Annibale, III, 35).

« Termini autem perimendis iuribus a lege constituti » vocantur *fatalia legis* (c. 1634).

Tempus per se censetur continuum, cum tale sit natura sua, et temporis utilis supputatio minus plana sit et locum det controversiis. Expressa igitur vel tacita concessio temporis utilis demonstranda est. Tempus implicite conceditur utile, quando in merum favorem alicuius datur, nec res odium parit.

Tempus utile conceditur, c. 161. 432. 1432. 1457. 1881. 1884. 1885, etc. (Maroto, I, n. 260).

TITULUS IV

DE RESCRIPTIS

(cc. 36-62)

Scriptores : Wernz, L. I. t. VI. — Maroto, *Institutiones* nn. 278-289. — Ojetti, *Comm. in Cod.*, I, tit. 4.

122. - **Ordo Codicis.** Canones 36. 37 agunt de impetratione rescriptorum ; cc. 38-41 de eorum valore ; cc. 42-48 de vitiis seu defectibus rescriptorum, c. 49. 50 de rescriptorum interpretatione ; cc. 51-59 de eorum exsecutione ; c. 60. 61 de eorum cessatione ; c. 62 de rescriptorum obiecto et aliis applicandis regulis.

Simili dispositione, post datas notiones, nostra de rescriptis summa ordine explicabit rescriptorum *impetrationem*, — *condiciones valoris et vitia* ; — *interpretationem* ; — *exsecutionem* ; — *effectus* seu *efficaciam* ; — *cessationem*.

I. NOTIONES

123. - Rescriptum est *responsum S. Sedis vel Ordinarii, scripto latum ad instantiam petentis.* Quicumque enim legem condere, iidem rescriptum dare possunt (Wernz, I, n. 150).

Usus rescribendi, ut ipsa rerum natura poscebat, ab imperatore romano ad R. Pontificem in materiis ecclesiasticis est traductus. Post institutionem beneficiorum, evasit frequentissimus, praecipue ab Alexandro III (saec. XII). Titulus de rescriptis iam reperitur in collectione Bernardi Papiensis.

Rescripta 1. ex *obiecto suo,* sunt vel *iustitiae,* seu ad lites, quae in controversiis iudicialibus quaedam partibus concedunt, puta iudicem delegatum, restitutionem in integrum ; vel *gratiae,* quae alios favores largiuntur ; et posteriora non raro tribuunt *dispensationem* vel *privilegium* : i. e. alia simplicem gratiam, alia privilegium vel dispensationem continent (c. 62). Ac possunt esse *mixta.*

2. Ex *relatione sua ad leges,* distinguuntur rescripta *secundum, praeter* et *contra* ius. Secundum ius, quae ius applicant, ut saepe in rescriptis iustitiae : ut si S. Pontifex det commissionem requisitam ut S. Rota de causa quadam in prima instantia cognoscat ; praeter ius, quae gratiam concedunt quae in iure nec continetur nec prohibetur, ut puta indulgentiam ; contra ius, quae iuri derogant, v. g. per dispensationem.

3. Ex *forma,* alia dantur in *forma gratiosa,* alia in forma *commissoria.* Sic rescripta religiosis concessa exsequenda committuntur Superiori Generali, si sit sacerdos ; secus vel Cardinali protectori, vel Ordinario loci conventus.

In forma *gratiosa* quando auctor immediate concedit petita : tunc gratiam factam semper continent ; in forma *commissoria,* quando constituitur *exsecutor.* Si is est *necessarius* v. g. Mandamus ut dispenses si vera sint, tunc etiam gratia facta censetur, et rescriptum a quibusdam dicitur in forma *mixta;* si vero res remittitur arbitrio exsecutoris, vel is mere facultatibus necessariis et opportunis munitur ad concedendum, gratia intellegitur *facienda.* Cfr Ojetti, *Comment.* I, p. 214 nota.

4. Ex varia *extensione*, alia sunt *generalia*, alia *specialia* seu *peculiaria*. Ratio ista est relativa, ita ut idem rescriptum possit dici generale et particulare, prout opponitur rescripto magis extenso vel stricte peculiari. Sic rescriptum ad audiendas confessiones est generale, respectu rescripti quod iurisdictionem ad unam personam audiendam concedit ; erit speciale respectu magis universalis delegationis.

Ipsi rescripti definitioni repugnat ut Motu proprio concedatur (contra MAROTO, I, n. 279 qui tamen mentem explicat in nota) ; fit autem ut ad ostendendam promptam voluntatem, rescribens addat clausulam *Motu proprio*.

124. - Etsi rescripta valde brevia esse possunt, in iis distingui tamen potest *petitio* oratoris vel oratorum et *responsio* principis : et prior, praeter nomen petentis, continet id quod petat et cur. Hinc in illa parte expositiva distingui potest narrativa et motiva.

Observes autem non raro, in diplomate S. Sedis, porrectas preces summarie referri : quod involuntariae subreptioni vel obreptioni locum dare potest. De erroribus autem qui inde committuntur in nomine vel in re, cfr n. 135.

Pars autem principalis est *dispositiva*, seu responsum Pontificis.

II. RESCRIPTI IMPETRATIO

125. - Hodierno iure, excepto vitando excommunicato vel eo qui per sententiam factus aut declaratus est excommunicatus aut suspensus aut personaliter interdictus, omnes valide *ab Apostolica Sede* impetrare possunt tam pro se quam pro aliis, etiam praeter eorum assensum, rescripta ; et haec, nisi clausulae aliud ferant, valent ante eorum acceptationem (**can. 36. 37.** 2265, § 2 ; 2275, 3° ; 2283).

Nullus igitur assensus, nulla cognitio requiritur eius pro quo rescriptum petitur. Obtenta tamen gratia poterit non uti (c. 37).

Praestat et non raro exigitur ut preces missae ad Apostolicam Sedem commendentur ab Ordinario.

Ordinarii quoque *locorum* rescripta censuratis concedere possunt quotiens facultatem habeant eosdem a censura absolvendi. Iis tamen qui sectae acatholicae ascripti sunt, rescripta ab inferioribus S. Pontificis concedi non possunt (arg. c. 87).

Attamen CHELODI, *Ius de personis*, p. 125, dubiam habet conclusionem, cum de aliis gratiis agitur ac de officiis vel muneribus, etc. Recens, 8 april. 1925, interrogatum utrum necne tribunal ecclesiasticum posset iudicare de validitate matrimonii duorum acatholicorum instante parte acatholica, *S. Officium* respondit recurrendum esse in singulis casibus. (*Per.* XIV, 166).

Dubitari etiam potest utrum necne valeat dispensatio ante matrimonium data nesciis partibus quae ipsum impedimentum ignorabant. Res difficultate non caret. Dispensatio magis tota pendet a dispensante (CICOGNANI, *o. c.*, 212).

Facultate tamen non utendi gratia, caret is qui sic ignarus dispensatur ad contrahendum indissolubile vinculum. Contractum matrimonium erit validum et indissolubile.

126. - Plures gratiae eodem supplici libello peti, eodem rescripto

concedi possunt. Quid, si in una parte, non autem in altera, vitiosa subreptio vel obreptio commissa sit? Omissis distinctionibus quae ante Codicem a pluribus proponebantur, **c. 42**, § 3 benigne disponit, propter vitium unius partis, alteram non infirmari.

127. - Verum « gratia ab una S. Congregatione vel Officio Romanae Curiae denegata, *invalide* ab alia S. Congregatione vel Officio aut a loci Ordinario, etsi potestatem habente, conceditur sine assensu S. Congregationis vel Officii quocum vel quibuscum agi coeptum fuerit » (**c. 43**).

Rariores erunt hodie casus ubi de eadem gratia plura S. Sedis organa adiri queant. Cumulativa enim competentia per se suppressa est. Subsistit tamen in quibusdam argumentis. Sic Reverenda Fabrica S. Petri servavit vel recuperavit facultatem (C. *Sapienti Consilio* sublatam) reducendi onera missarum, quod per se spectat ad S. Congregationem Concilii.

Supradicta regula alium recursum impedit, cum gratia est negata. Non prohibetur igitur recursus ad aliud officium, vel etiam ad Ordinarium, v. g. ut citius favor impetretur, dum causa est pendens : nec de simili gratia iam facta, per se, in nova instantia, memoria postulatur. Quod dicitur de S. Congregatione, liquet transferri non posse ad S. Pontificem, cuius suprema potestas nulla anteriore repulsa impeditur. Observes quoque nihil statui de gratia quam S. Pontifex vivae vocis oraculo negaverit. Tunc, ex D'ANNIBALE, I, 226, valet istud ; unius repulsa alteri iurisdictionem non adimit.

Demum licet iterum ad *eandem* S. Congregationem recurrere, non memorando priorem repulsam.

Canon 43 ius reservat *S. Paenitentiariae* pro foro interno. Haec igitur, independenter a decisione fori externi, poterit, v. g. a censura in foro interno absolvere ; verum, ex c. 2251, absolutio ista non impediet quin iudex fori exterioris censuram urgeat, nisi alter documentum S. Paenitentiariae exhibuerit. Nec, si recurrens ad S. Paenitentiariam absolutionem negatam reticuerit, eius rescriptum vitio subreptionis laborabit. Cfr D'ANNIBALE, I, 237.

Res igitur huc redit, ut supremo tribunali fori interni liberum permittatur iudicium decernendi quid, pro salute animarum, in certis casibus, praevalere debeat, et impediendi per clausulas utriusque fori oppositiones.

Non possit tamen S. Congregatio vel aliud Officium valide, sine *S. Paenitentiariae* assensu, concedere in foro externo quod haec in foro interno negasset, praesertim cum dispensatio data in foro externo valeat pro utroque foro. (Sic CICOGNANI, II, 227.)

128. - Inter duos Ordinarios, cumulativa competentia faciliorem locum habebit, cum, in variis casibus, possit proprius subditis suis etiam extra territorium concedere quod alius Ordinarius in suo territorio peregrinis largiri non vetatur. Quare vult **c. 44**, § 1 ut de gratia a *proprio* Ordinario negata nemo alterum adeat quin factam denegatio-

nem memoret; et tunc Ordinarius gratiam concedere prohibetur, nisi habitis a priore Ordinario denegationis rationibus. Mentio negatae gratiae ex c. 44 non exigitur ad valorem; sed dolosa reticentia aliunde concessionem vitiare potest.

Observes primam paragraphum c. 44 scriptam esse ad tutandam Ordinarii proprii auctoritatem. Quare de gratia quam Ordinarius *alienus* negaverit nihil statuitur.

Cum in religione clericali exempta omnes Superiores maiores sint Ordinarii, quaeres utrum c. 44, § 1 ad istos Ordinarios applicandus sit, ita ut gratia denegata a Superiore Provinciali non possit licite peti a Generali, sine facta denegationis mentione.

Respondemus nullam subesse causam cur generalia verba c. 44, § 1 ad Ordinarios locorum limitemus. Quare affirmative solvimus dubium.

129. - Vicarius generalis est infra episcopum. Quare, c. 44, § 2 edicitur, gratiam ab episcopo negatam non iam posse a Vicario generali concedi, sine episcopi assensu.

Sed nec censetur velle episcopum concedere quod eius Vicarius negavit. Ideo eadem § 2 exigit ad valorem mentionem denegationis cum a Vicario generali ad episcopum recurritur.

Putamus, in ista § agi de Vicario generali et episcopo unius eiusdemque dioecesis, ita ut gratia ab episcopo alieno negata a Vicario generali propriae dioecesis, etiam omissa mentione denegationis, concedi possit. Verbum enim *Ordinarii* de quo in § 1, Vicarium generalem comprehendit.

130. - A quo momento *rescripta valeant.* Rescripta quorum nullus nominatur exsecutor, a *momento* quo *datae* sunt litterae effectum suum habent, cetera (etiam si exsecutor fuerit necessarius) a tempore *exsecutionis* (c. 38).

Observes dici *a momento*, non *a die*; a momento quo *datae* sunt, non ergo a momento quo expeditae sunt.

Quocirca petita per litteras iurisdictio ad audiendas confessiones a momento quo concessa est possidetur; nec huc traducenda est regula c. 53, qui de delegatione ad exsecutionem loquitur. In casu igitur necessitatis, ubi certa est coniectura, tali iurisdictione ante acceptum nuntium uti licebit. Extra casum necessitatis, usus foret temerarius, ac proin illicitus. Cfr Laymann, L. 1, tr. 4, c. 23, n. 10.

III. CONDICIONES VALORIS ET VITIA

131. - I. Ex parte *clausularum* vel *condicionum* condiciones appositae sunt tantum sunt ad valorem, quando per particulas *si, dummodo*, vel aliam eiusdem significationis exprimuntur (c. 39).

Contra atque existimat R. P. Maroto, n. 285, *per se* non iam sufficere arbitramur formam ablativi absoluti ad exprimendam condicionem essentialem. Forma enim ista non est particula *si dummodo*, nec ad expressam condicionem necessario

reducitur. Cur ergo gratis textum canonis suppleremus ? Codicis redactores non ignorabant quod de ablativo absoluto ante Codicem communiter dicebatur. Eorum ergo reticentia potius abrogationem quam confirmationem significat. *Per se*, inquam. Namque aliud dicendum foret, si v. g. condicio ipsa rei natura postularetur ut essentialis. Sic, cum facultas in solo foro sacramentali exerceri potest, accusatio sacramentalis ex natura rei postulatur. Quare clausula *Praemissa accusatione sacramentali*, aliquid necessarium exprimit. Ceterum, iam ante Codicem, clausula ablativo absoluto expressa non semper condicionem essentialem continebat. Cfr d'ANNIBALE, I, 76 ; III, 360 et 362. — Ac fatemur nos aversos esse ab huiusmodi interpretationibus quae, claras Codicis regulas exceptionibus circumscribendo, sensim sine sensu nobis beneficium Codicis completi eriperent.

132. - II. Ex parte *causae*. 1. Ex c. 40, in omnibus rescriptis subintellegenda est, etsi non expressa, condicio : *Si preces veritate nitantur*. Excipe, ex c. 1054, rescriptum quo dispensatur ab impedimento minore matrimonii ; excipe quoque subreptionem, quando clausula Motu Proprio addita est (c. 45).

Quandonam autem preces veritate niti debeant, perspicue docemur c. 41. Si nullus exsecutor rescripti nominatur, haec veritas requiritur tempore quo rescriptum datum est ; in ceteris rescriptis, requiritur et sufficit veritas tempore exsecutionis.

Veritas semper intellegenda est ea quae, ex c. 42 essentialis est, seu, qua deficiente, haberetur vitium subreptionis vel obreptionis.

Itaque, etiam si motivum rescripti *postea* cessaverit, valore tamen suo non ideo destituitur.

2. Requiritur ut exprimantur quae de stylo Curiae sunt ad validitatem exprimenda (c. 42, § 1). Curia intellegitur *Romana*, « quia huius Curiae stylus duntaxat facit ius... et solum in Curia Romana, nisi forte a Romano Pontifice confirmatus fuerit » (d'ANNIBALE, I n. 237, nota 3).

Si haec proposita non fuerint, rescriptum vitio subreptionis laborat. Nulla autem alia reticentia valori rescripti obstat, ex ipso c. 42, § 1, etiam si rescribens, cognoscens quod tacetur, gratiam non concessisset, vel taceatur repulsa prius facta, exceptis casibus c. 44. Cfr SUAREZ, *de Leg*. L. 6, d. 22, vel d'ANNIBALE, I, n. 237, nota 7. Quaenam vero ad valorem exprimenda sint, in singulis argumentis dici debet.

3. Requiritur quoque ut « unica causa proposita vel ex pluribus propositis una saltem motiva vera sit » (c. 42, § 2). — Causa motiva, quae vere movet ad gratiam concedendam, distinguenda est ab impulsiva, seu minus principali, quae mere disponit ad concedendum, seu promptiorem suadet benevolentiam.

Sic honestas in vero paupere ; sic infortunia in candidato digno. Cum unica causa seu ratio allegatur, haec necessario erit vel motiva vel nulla : si autem plures proponuntur, aliae possunt esse motivae, aliae impulsivae. Prudenter ergo c. 42 exigit veritatem in una saltem motiva. Quaenam autem causae sint

motivae, quaenam impulsivae, interdum ex rei natura, interdum ex noto stylo Curiae, ut in re matrimoniali, dignoscitur. Fit quoque ut una causa motiva pluribus partialibus componatur.

Allegatio falsi dicitur **obreptio**, quae, ex benigna mente legislatoris non nocet, dummodo una causa motiva vera sit.

133. - Quid si addita fuerit clausula « Motu Proprio » ? Pontifex, dum per clausulam *Motu Proprio* propensam suam voluntatem manifestat, non omnia tamen vitia corrigere intendit. Proprius effectus clausulae is est ut omissiones suppleat, quasi Pontifex sua scientia, potius quam suppeditata notitia usus videatur ad gratiam concedendam ; sed vitium obreptionis non sanat (**c. 45.** Cfr D'ANNIBALE, I, 240). Excipe rescripta quibus ab impedimentis matrimonialibus minoris gradus dispensatur ; de his enim valet c. 1054.

Praeterea, non minus quam in aliis rescriptis, clausula expresse derogatoria requiritur ut censeatur habilis reddi persona de iure communi inhabilis, vel ut rescriptum praevaleat legitimae loci consuetudini vel statuto peculiari, vel iuri alteri iam quaesito, ut statim dicetur.

134. III. *Ex parte oratoris vel iuris oppositi.* Quid si orator inhabilis fuerit, vel rescriptum sit contra ius particulare aut quaesitum ? Rescribens non censetur velle gratiam concedere personae quae de iure communi sit inhabilis, nec agere contra legitimam loci consuetudinem vel statutum particulare, vel contra ius alteri quaesitum. Quare, nisi expressa clausula derogatoria apposita fuerit, rescriptum, quamvis in se non invalidum, inhabilem non habilitabit, nec permittet violationem consuetudinis particularis vel statuti ; et is cuius interest ius suum quaesitum opponere potest. Is si exsecutioni rescripti consentiat, rescriptum indirecte firmabit. Cfr **c. 46.** D'ANNIBALE, I, 237, nota 7.

135. - IV *Ex parte rescribentis* debet concedere voluisse quod petebatur. In rescripto tamen, praesertim ob summariam istam relationem qua saepe, in diplomate, casus aliis verbis atque oratoris narratur, error committi potest in nomine sive personarum, sive loci, i. e. paroeciae vel dioecesis, domicilii vel residentiae, sive in designanda ipsa re de qua agitur. Haec praevidens, **c. 47** disponit errores istos valori non obstare, dummodo de mente concedentis nulla sit dubitatio. Iudicium autem de errore circa *personam* vel *rem* committitur Ordinario, non tamen ut condicio valoris, cum particula *dummodo* ad istud iudicium non referatur, sed ut condicio *liceitatis*, saltem quando error non est nimis manifestus vel non agitur de rescripto *S. Paenitentiariae*, vel quod solam respiciat personam cui conceditur : puta facultatem legendi libros prohibitos. Istud Ordinarii iudicium canone non postulatur de errore circa *locum* commorationis, qui minus referre videtur. Cfr OJETTI, *Comment.* I, p. 239. 240.

Ordinarius hic, iterum, pro casu, erit vel loci Ordinarius, vel Superior maior religionis clericalis exemptae.

Observes idem dici non posse de errore in causa *motiva*, cum canon 47 errorem istum non memoret. De iure superiore, cfr severum c. 11, X, I, 3.

136. - Quid, si concesserit **rescripta contraria**? Rescripta, potissimum in materia iustitiae vel beneficiali, possunt concurrere contraria. Canone 48 docemur quo pacto inter se concilianda sint. Ut ambo, quantum potest, valeant, haec prima regula ponitur, ut peculiare semper, qua tale, seu in iis quae peculiariter exprimuntur, generali praevaleat. Quod consonat universaliori regulae, qua generi dicitur specie derogari et qua lex generalis posterior non existimatur per se priori speciali derogare.

Si aeque sint peculiaria vel generalia, prioritas temporis per se observatur : quasi concedens praesumatur alterum non concessisse nisi prioris oblitus.

Ista temporis prioritas ex die plerumque existimanda erit, cum hora non consueverit apponi ; et, neglecta distinctione formae gratiosae et commissoriae, solus dies quo rescripta data sunt considerari debet. Sic etiam Cicognani, p. 238.

Duplex tamen exceptio usum regulae coartat : si in altero rescripto mentio prioris fiat, rescribens tunc alterum contrarium consulto dedit ; et locus potius est alteri regulae : iura posteriora prioribus derogant.

Praeterea, si prior impetrator dolo vel notabili neglegentia suo rescripto usus non fuerit, alter honestior vel sollertior praeferendus erit. Res ista a iudice aestimabitur. Notabilis neglegentia admittetur plerumque, si, cum agitur de rescriptis in forma commissoria, alterum rescriptum non solum executione completum fuerit, sed praeterea omnes suos effectus iam genuerit. Tunc enim etiam quoddam ius possessionis alteri possessori favet.

Cicognani usum canonis limitat ad rescripta quae ab eadem vel aequali auctoritate impetrata fuerint. Praevalere enim rescriptum Superioris. Quod verum est, salvo tamen canone 40, quo servare iubemur ius iam quaesitum.

IV. RESCRIPTI INTERPRETATIO

137. - Generale principium interpretationis ponitur in c. 49, quo, remotis calliditatibus eorum qui ex vocabulariis peregrinas quasdam significationes haurire studerent, iubetur ut rescripta intelligantur secundum propriam verborum significationem, quam ipse communis usus loquendi magis definit.

Cum agitur de rescriptis romanis, utile erit Urbis usus cognoscere. Sic vox

collegii Romae significationem habet quae trans Alpes ignoratur, cum applicetur quoque ad conservatoria puellarum.

Extensio, praeterea, ad alios casus, quae, ex c. 20, in legibus interdum facienda est, fieri vetatur in rescriptis, cum, natura sua, sint particulares provisiones.

138. - Anceps tamen potest hic quoque esse usus verborum, ita ut amplior vel strictior esse queat. Tunc, stricte interpretanda dicuntur rescripta quae *ad lites* referuntur : sunt enim parti collitiganti odiosa (Wernz, I, n. 155) ; vel impetrata ad *beneficii assecutionem :* nam quandam speciem ambitus praeferunt (Wernz, l. c.) ; vel *iura aliis quaesita* laedunt, vel *adversantur legi* in commodum privatorum : haec enim sunt odiosa.

His exceptis, cum rescripta per se contineant Principis favorem, lata interpretatio est adhibenda (Cfr c. 50).

V. RESCRIPTI EXSECUTIO

Breviter hic canones 51-59 proponendi sunt.

139. - Efficacia rescripti S. Sedis nulli praesentationi Ordinario ab oratore faciendae, per se subordinata est. Excipe si praesentatio in iisdem litteris praecipitur, aut de *rebus publicis* agitur ; aut quaedam condiciones comprobandae sunt. Pro vario casu et varia clausula, praesentatio ista erit condicio valoris aut liceitatis (c. 51).

Res publicae eae sunt quae, spectata natura sua, divulgandae sunt et in communem populi notitiam venire debent : v. g. insignia palam deferenda. De his valet haec ratio Ordinarium latere non oportet quae in sua dioecesi palam peraguntur.

140. - *Quovis* tempore exsecutori praesentari possunt rescripta quorum praesentationi nullum tempus est definitum (c. 52). Fraus tamen et dolus abesse debent.

Quid, si *dolose dilata* fuerit praesentatio *rescripti*, ut preces, antea mendaces, tempore exsecutionis veritate niterentur ? Auctor doli puniri potest ; exsecutor qui fraudis fiat conscius, possit ideo exsecutionem negare ad normam c. 54 ; auctor rescripti possit etiam in poenam fraudis rescriptum revocare. Sed per se. cum condicio canonis 41 impleta sit, rescriptum non ideo ipso iure irritatur. Cfr Cicognani, p. 220.

141. - Initium competentiae. Exsecutor invalide suo munere fungitur, antequam vel litteras authenticas receperit et recognoverit, vel ipsius rescribentis auctoritate praevia earundem notitia ad eum transmissa fuerit (c. 53).

Quare facultate ad *dispensandum* in aliquo matrimonio, ad absolvendum

aliquem ab aliquo casu reservato, ante receptas huiusmodi litteras vel notitiam, ne valide quidem uti possimus. Cfr resp. *S. Officii* 24 aug. 1892 (*Fontes*, *IV*, n. 1159).

Si periculum fuerit in mora, is cuius interest vel eius mandatarius aut negotiorum gestor ab ipsa S. Congregatione vel ab Officio S. Sedis obtinere potest ut ex nuntio telegraphice communicato exsecutor statim procedere queat.

142. - Potestas exsecutoris. Exsecutionem per se is negare non potest, cui merum exsecutionis ministerium committitur ; ut si dicatur : « Mandamus ut, si vera sint exposita, dispenses ». Contra, pro suo prudenti arbitrio et conscientia gratiam concedere vel denegare potest si, in ipso rescripto, concessio gratiae exsecutori committitur ; ut si dicatur : « Committimus arbitrio tuo ut gratiam concedas » (c. 54).

Observes, in posteriore casu, optionem dari concedendi vel negandi, non autem dividendi, seu partem solam concedendi : exsecutor totum vel negare vel concedere debet, nisi aliter expresse in rescripto dicatur. Ut iudicet de gratia concedenda vel non concedenda, perpendat res S. Sedi expositas, formam rescripti et opportunitatem ipsius gratiae concedendae.

Et, in priore quoque casu, gratia negari potest, si rescriptum manifesto vitio subreptionis vel obreptionis laboret ; si condiciones appositae non sint impletae sive essentiales fuerint, sive etiam accidentales ; aut si impetrator adeo, iudicio exsecutoris, videatur indignus, ut aliorum offensioni futura sit gratiae concessio : « quod ultimum si accidat, exsecutor, intermissa exsecutione, statim ea de re certiorem faciat rescribentem » (c. 54, § 1).

143. - Requisitus modus. Ne exsecutio sit irrita, debet exsecutor, in modo procedendi, observare mandati normam, condiciones essentiales appositas, et substantialem formam procedendi (c. 55). Haec postea tradetur. Forma praesertim in rebus iudicialibus attendenda erit.

Scripto autem facienda est exsecutio rescriptorum quae forum externum respiciunt (c. 56). Hoc quidem ad valorem non exigitur ; sed in foro exteriore probatio canonica afferenda erit.

144. - Facultas substituendi. Nisi persona electa fuerit potius ratione qualitatis specialis (scientiae, peritiae) quam officii seu muneris, aut nisi tenor rescripti aliud ferat, exsecutor potest alium sibi substituere ; et successor in dignitate aut officio rescriptum quodlibet exsecutioni mandare permittitur (cc. 57. 58).

Ex tenore rescripti aestimandum erit utrum necne electa fuerit industria personae. Facilis erit casus si exsecutor iubeatur prudenter eligere personam idoneam (Cf. c. 12, I, 14 in 6°).

Ante Codicem, exceptis Legatis S. Sedis, alii prohibebantur nudum ministerium subdelegare (C. 43, X, I, 29, § 2).

Ipse autem substitutus alterum sibi substituere non poterit, nisi hoc ab ipso *delegante* (non a subdelegante) concessum fuerit (Cfr c. 199, § 5).

145. - Reparatio erroris. Quocumque modo in rescripti exsecutione erraverit, potest exsecutor rescriptum iterum exsecutioni mandare (c. 59, § 1).

Si rescriptum non pervenerit, vel vitio essentiali in forma affectum sit, possunt a S. Sede obtineri litterae *Perinde valere*.

146. - Exsecutionis gratuitas. Pro exsecutione exsecutor eam solam taxam percipere potest quae vel in ipso rescripto indicatur, vel quae in concilio provinciali aut conventu episcoporum definita, a S. Sede approbata fuerit (c. 59, § 2 et 1507, § 1).

VI. RESCRIPTI CESSATIO

147. - Cessabit rescriptum : perfecta exsecutione ; — elapso tempore in quod concessum est ; — adveniente condicione resolutoria ; — morte impetrantis gratiam personalem, eius renuntiatione si in eius tantum favorem concessa fuerit : cessabit tunc, saltem post acceptationem Superioris.

Mors exsecutoris, cuius electa fuerit industria personalis obligabit ad novum postulandum exsecutorem.

Cessat peculiariter *revocatione*. Haec, si facta sit actu peculiari, non erit efficax nisi a momento quo impetratori rescripti fuerit *significata*. Significatio plus dicit quam notitia habita : supponit intimationem seu declarationem nomine rescribentis factam (c. 60, § 1).

Lex autem contraria non revocat rescripta, nisi id expresse dicat, aut lex lata sit a Superiore ipsius rescribentis. Itaque, rescriptum Ordinarii non dat ius quaesitum contra legem pontificiam (c. 60, § 2).

148. - Vacatione Sedis Apostolicae aut dioecesis, aut quasi-dioecesis, vel Vicariatus Apostolici vel Praefecturae Apostolicae, rescriptum eiusdem Sedis Ap. aut Ordinarii non perimitur, nisi aliud ex additis clausulis appareat, aut nisi rescriptum contineat potestatem alicui factam concedendi gratiam particularem personis in eadem expressis, et res integra sit (c. 61).

Addita clausula fuerit : *Ad beneplacitum nostrum* ; minime vero *usque ad beneplacitum Sedis* ; *usque ad revocationem*. Beneplacitum enim *habentis* officium (aliter si beneplacitum fuerit Sedis), diutius quam officium durare nequit ; non revocat autem positive qui officio decedit. Potestas facta in casu particulari fuerit v. g relaxandi votum reservatum Titio ; absolvendi ipsum a casu reservato : tunc, si ipse inceperit confessionem, quamvis dilata sit absolutio, res iam non fuerit integra.

Si exsecutor decretum *invalide* tulerit, nihil egisse censebitur, ita ut res integra reputetur.

N. B Cum plura rescripta dispensationes vel privilegia contineant, praesens expositio complenda est statim dicendis in duobus titulis sequentibus. Haec enim praescripta tunc servanda esse, monemur c. 62.

TITULUS V

DE PRIVILEGIIS

(cc. 63-79)

Scriptores : Suarez, *De Legibus*, l. 8. — d'Anniballe, I, n. 217-229. — Wernz, t. I, n. 157-163. — Ojetti, *Commentarium*, I, tit. V. — Van Hove, *De la notion du privilège*, *N. R. Th.* 1922, 5, ss. ; 74. ss. ; 126, ss.

Doctrinam aliquam novam proponendam non habemus. Sed aliter, atque in prioribus editionibus, materiam dividendam censemus, ut possimus magis sequi ordinem canonum Codicis. Itaque, post notiones, habebimus II, Privilegiorum acquisitionem (63-65) ; III. Interpretationem (66-70) ; IV. Cessationem (71-78) ; V. Exsistentiam et probationem.

I. NOTIONES

149. - Definitio. Privilegium etymologice est lex de privato lata seu ius singulare. In iure Romano, a lege XII Tabularum (1) usque ad finem rei publicae, significavit legem contra privatum latam. Postea significavit omne ius non commune omnibus, et demum dispositionem qua quibusdam speciale ius favorabile statuitur. Id significat saltem a Gratiano in iure canonico.

Inde definimus privilegium : *ius particulare, non necessarium, certis personis sive singulatim sive communiter sumptis, intentione benevola concessum.*

Non necessarium dicimus, quia leges particulares quae statum, munus plurium personarum ordinant non sunt privilegia nisi quatenus plura tribuant quae ab ipsa status decentia non exiguntur.

150. - Divisiones. 1. Ex *relatione ad ius commune,* potest esse praeter vel contra ius commune. Privilegium contra ius, quod inferat exemptionem a iure, subiectionem legi quam aufert, supponit. Quatenus subiectionem supponit, solis subditis conceditur ; quatenus subiectionem tollit, saltem si in commodum privatorum sit latum, strictam interpretationem postulat. Cf. c. 68, coll. cum c. 50.

Suntne privilegia *secundum ius ?* Attenta *materia,* esse nequeunt, cum darent quod ipsa lex concedit. Sed, attenta *forma,* seu titulo quo aliquid habetur, nihil obstat quin titulus exsistat novus quaedam habendi, independens a iure communi, et ipsa lege firmior, ita ut, suppressa lege, concessio propter subsistentem alium titulum perseveret.

---

(1) Cicognani, p. 272, sensum favorabilem suspicatur in verbis « privilegia ne irroganto » ; dum iisdem verbis significationem hanc dandam existimavimus : ne leges imponantur privatis. Cfr *Theol. mor.*, I, 209, vel 217, ed. 2.

Sic in constitutionibus religiosorum dispositiones quaedam mere tamquam iuris communis inseri possunt ; et eaedem possunt quoque ius peculiare seu proprium Instituti efficere.

2. Ex *motivo*, distinguitur **gratiosum**, quod a mera liberalitate, **remuneratorium**, quod a gratitudine pro meritis proficiscitur ; onerosum, quod per modum pacti, cum mutua quadam promissione concessum est. Remuneratorium benignius quam mere gratiosum intellegendum esse per se perspicitur ; qualitate autem onerosi privilegii, potius firmitas quam interpretatio privilegii afficitur.

3. Ex *modo concessionis*, aut motu proprio aut ad instantiam partis privilegium conceditur : motu proprio concessum propensionem prodit concedentis, ita ut benignius intellegendum sit. Praeterea auctor privilegii censetur motiva probe cognoscere propter quae quidpiam motu proprio concedit ; quare, ut vidimus, subreptio seu reticentia valori concessionis tunc non obstat.

4. Ex *forma actus*, potest privilegium concedi per legem vel per indultum particulare vel vivae vocis oraculo. Cum forma legis observatur, magis constat auctorem privilegii intentione boni communis moveri, quae intentio benigniorem interpretationem permittit.

Immo si lex ista est generalis, pars erit *Corporis iuris* seu Codicis, quo generale legum systema continetur, et privilegia tali lege concessa ad universalem societatis ordinationem pertinent. Quare D'ANNIBALE, I, 227, talia privilegia in numero legum simpliciter ponit, ita ut privilegium definiat : « Beneficium Principis extra corpus iuris concessum ». Quia tamen, etiam in iure communi, concessiones occurrunt personis vel earum statui non necessariae et benevola intentione factae, privilegiis quae sunt in Corpore iuris manet, sub hoc respectu, ratio privilegii. Idcirco, utrasque normas, privilegiorum et legum, ad haec privilegia traducemus, ita ut, si simul utraeque normae componi nequeant, normae legum praeferantur. Cfr VAN HOVE, art. cit.

Confusio quoque vitanda est privilegii quod per successivas accessiones commune factum sit et privilegii quod statim per legem communem concessum est. Sublato iure communi, hoc alterum cessat, dum prius subsistit.

Oretenus a potestate inferiore S. Pontifici non obtinebuntur nisi ea privilegia quae nulli difficultati fori externi locum dare possunt. Quod ad ea quae a S. Sede obtinentur, valent quidem in foro conscientiae, sed efficaciam in foro externo non habebunt, nisi ibi legitime probentur, v. g. per scriptam fidem personae quae qualitatem habeat ad haec authentica reddenda : sic Cardinales, c. 239, 17° ; et, in rebus suae Congregationis, Secretarii SS. Congregationum (c. 79).

5. Ex *subiecto*, distinguitur privilegium **personale**, quod immediate personae physicae vel morali, qua tali, conceditur, et **reale**, quod personae conceditur mediante relatione sua sive ad personam moralem (communitatem) in qua, v. g. tale munus gerit, sive ad rem, ad locum, seu territorium : quatenus vel talem agrum possidet, vel civis est vel peregrinus in tali territorio.

Privilegium causae *piae*, locis *piis*, *religioni*, concessum, personalibus potius accensetur.

6. Ex *effectu immediato*, distinguitur privilegium mere favorabile, quod nulli personae vel legi nocivum seu onerosum est, et odiosum, quod, dum uni favet, alteri onus aut gravamen imponit, vel iuri communiori adversatur.

II. PRIVILEGII ACQUISITIO

151. - Privilegia acquiruntur (c. 63) : 1. *Directa concessione*, qui modus est planior et certior. Competens auctoritas est ille qui legem ferre potest. Cfr Reiffenstuel, in l. 5, t. 33, n. 25.

2. *Communicatione*, de qua statim dicetur, n. 152.

3. Legitima *consuetudine* : haec enim, cum legem tollere possit, ius conferre potest immunitatis, exemptionis : quod est privilegium.

4. *Praescriptione* : est enim modus acquirendi bona et iura secundum regulas statutas. Ipsa iurisdictio sic acquiritur.

a) Nec aliquid obstare videtur quin communitas minor, quae incapax est consuetudinis, *praescriptione* quandam exemptionem a iure communi acquirat.

Praescriptio tamen non potest nisi analogice dici fons privilegii. Privilegium enim proprie tale dicit *normam iuridicam*, dum praescriptio nullam normam iuridicam sed mere ius subiectivum constituere potest. Fortasse tamen melius dici possit, regulam obiectivam reperiri in lege quae praescriptionem sancit, ita ut praescriptio compleat condicionem necessariam ut ex ista lege manet privilegium.

b) A iuribus quae praescriptione obtineri possunt excipere debemus, ex c. 1509, 2°, quae obtineri possunt ex solo privilegio apostolico, puta exemptionem religionis a iurisdictione episcopi (c. 618, § 1); facultatem, pro clerico, exercendi medicinam aut chirurgiam (c. 139, § 2) ; pro presbytero, confirmandi (c. 782, § 2) ; altaris portatilis (c. 822, § 2) ; ex eodem canone, 3°, iura spiritualia, quorum laici non sunt capaces, si agatur de praescriptione in commodum laicorum. Indirecte sequitur haec a clerico praescribi posse, v. g. iurisdictionem.

c) Quaeres autem de *tempore* requisito ad huiusmodi praescriptionem. Et cum agitur de iuribus quae ad personam *moralem* pertinent, c. 1511 dubium solvit. Definit enim centum annos praescriptioni iuris pertinentis ad Sedem Apostolicam : triginta annos praescriptioni iuris spectantis ad aliam personam moralem.

Quid autem si ius pertinet ad personam *physicam*, v. g. ad episcopum ? Ex c. 1508, Ecclesia recipit pro bonis ecclesiasticis praescriptionem prout est in legislatione civili respectivae nationis. Verum praescriptio huiusmodi iuris non consuevit hodiernis legibus civilibus ordinari. Restat igitur ut c. 20 utamur, et a lege lata in similibus normam sumamus, i. e. a. c. 1511, quo tempus 30 annorum statuitur. Et iam ante Codicem tempus istud videbatur necessarium et sufficiens. Cfr Schmalzgrueber, in l. V, 33, n. 95.

Possessio centenaria vel immemorabilis iura dare potest pro quibus privilegium apostolicum est necessarium, cum inducat praesumptionem concessi privilegii (c. 63, § 2). Praesumptio ista liberat ab onere probandi ; sed est iuris tantum ita ut cedat probatae veritati.

152. - Privilegiorum communicatio est beneficium Principis, vi cuius privilegium uni concessum ad alium extenditur. Extenditur

quidem formaliter ; i. e. non est materialiter iterata concessio alteri personae privilegii iam priori concessi ; sed alteri formaliter ad *instar prioris* concessionis tribuitur.

Communicatio ista potest a dispositione particulari manare, vel statui lege generali quae modo universali et in antecessum omnia vel varia privilegia alicuius personae vel Instituti cum aliis personis et Institutis communia reddat. Haec est proprie dicta communicatio privilegiorum.

Biformis distinguitur : in forma *aeque principali*, in forma *accessoria* (c. 64. 65). Utriusque formae hoc commune est ut concessa *ad nstar* privilegia a privilegiis directe concessis interpretationem sumant. Sed in forma principali concessa communicatio tribuit privilegio sic acquisito subsistentiam independentem a priore concessione ; dum per accessoriam formam, privilegia communicata vices seu fata participant privilegiorum directe concessorum, ita ut cum his augeantur, minuantur vel cessent.

Sic olim (sed non iam hodie ex c. 613), privilegia unius Ordinis regularis cum plerisque aliis Ordinibus regularibus communicabantur in forma principali, dum secundus Ordo monialium in forma accessoria privilegia primi Ordinis participare solet. Cf. infra explic. c. 613.

Omnis autem communicatio, ex *ipsa rei natura*, ad illa privilegia contrahenda est quae sine speciali relatione ad certum locum aut rem aut personam concessa fuerunt, et capacitatem subiecti non superant (c. 64).

Quare, v. g. privilegia propter antiquitatem vel miraculosae imaginis possessionem cuidam sanctuario concessa a generali quoque communicatione excludenda erunt ; nec laici privilegia clericalia communicatione acquirere possunt.

Ex *positiva* autem c. 64 *dispositione*, « per communicationem privilegiorum... ea tantum privilegia impertita censentur quae *directe*, *perpetuo*... concessa fuerant primo privilegiario ». Excluduntur igitur privilegia temporaria, et quae mere per communicationem ei acquisita erant qui auctor communicationis esse deberet.

II. PRIVILEGIORUM INTERPRETA.

Codex prius, c. 66, specialem regulam tradit de facultatibus habitualibus, dein can. 67-70 ad regulas generales docendas devenit.

153. - *De facultatibus habitualibus.* Ordinariis potissimum, sed etiam aliis personis, v. g. Vicariis foraneis et confessariis conceduntur habituales facultates. Has Ordinarii nunc recipiunt per S. C. *Consistorialem ;* qui vero in partibus missionum exterarum degunt, facultates praeterea obtinent a S. C. *de Propaganda Fide.*

Iam vero Codex canones proprie dictae interpretationis praeparat per c. 66, quo naturam et vim facultatum habitualium explicat. De his haec statuit :

1. Privilegiis *praeter ius*, ac proin latae interpretationis, accensentur facultates habituales quae conceduntur vel in perpetuum vel ad praefinitum tempus aut certum numerum casuum (c. 66, § 1) ;

Id rescire valde magni momenti est pro Ordinariis missionum, quibus non raro facultates extraordinariae dantur ad 20, 30 casus. Per se enim dubium id esse poterat utrum facultas ad certum numerum casuum concessa esset habitualis necne.

2. « Nisi in earum concessione electa fuerit industria personae aut aliud expresse cautum sit, facultates habituales » Ordinariis (sive locorum sive religiosorum) concessae, semper transeunt ad Ordinarios qui in regimine succedunt (etiam ad tempus, sicut Capitulum succedit episcopo sede vacante, donec eligatur Vicarius capitularis), etiamsi ipse decessor eas exsequi coeperit. Et quae episcopo concessae sunt, competunt quoque Vicario generali (c. 66, § 2).

Dispositiones istae benignae, satis recens, per plures declarationes *S. Officii* paulatim introductae sunt.

Quorsum verba « etiam si ipse eas exsequi coeperit » ? Verba ista id nobis significare videntur, coepta exsecutione nullatenus minui potestatem successoris, qui proin, sicut decessor voluntatem suam mutare poterat, sic negare poterit facultatem quam decessor concessurus videbatur.

Epistola S. C. *de Propaganda Fide* 8 dec. 1919 omnibus Superioribus missionum, ac proin Vicariis Apostolicis, Praefectis Apostolicis, et Superioribus missionis nondum erectae in praefecturam, communicatur facultas facta per b. m. Benedictum XV nominandi *Vicarium delegatum* qui omnibus facultatibus Vicariorum generalium polleat, et cui proin applicatur quoque dispositio canonis 66 (AAS, XII, 1920, p. 120 ; *Per*. X, 199. 200).

3. « Concessa facultas secum fert alias quoque potestates quae ad illius usum sunt necessariae ; quare in facultate dispensandi includitur etiam potestas absolvendi a poenis ecclesiasticis, si quae forte obstent, sed ad effectum dumtaxat dispensationis consequendae » (c. 66, § 3).

Itaque expedita ad usum facultas concessa censetur. Applicatio regulae quam ipse c. 66 subiungit multo frequentior erat olim quam nunc, cum censura non soleat iam effectus gratiae impedire.

Quid si quis, ubi absolutio a poena ad valorem dispensationis requirebatur, absolutionem istam omiserit et sic invalide sua habituali facultate usus fuerit ?

Vi can. 59, § 1 errorem suum corrigere poterit. Quare absolvat a censura vel poena et iterum dispenset.

154. - Regulae generales :

1. *Propria verborum significatio servanda est.* « Privilegium ex ipsius

tenore aestimandum est nec licet illud extendere aut restringere » (c. 67). Servanda igitur est proprietas verborum.

Quare non licet privilegia ad alias personas vel ad alios casus traducere, *privata* interpretatione. Excipe privilegia clausa corpore iuris, quae extensionem ex paritate rationis non excludunt (Cf. SCHMALZGRUEBER in L. V Decr., t. 33, n. 56).

2. *Interpretatio debet aliquam efficaciam privilegio servare.*

« Ea semper adhibenda interpretatio, ut privilegio aucti aliquam ex indulgentia concedentis videantur gratiam consecuti » (c. 68). Princeps enim non censetur gratiam inutilem vel superfluam facere voluisse.

Unde contra interpretationem valida fit obiectio quando obicitur : sic intellectum privilegium inutile fit (Applicatio pro iure ante Codicem fit in c. 30. X *De privilegiis*, etc. V, 33). Sed iam utile est privilegium, ex quo ius reddit magis certum. Ita facultas concessa dispensandi in dubiis impedimentis quam Ordinarii iam habent ex can. 15.

Quare etiam, cum conceditur facultas quidpiam permittendi aut agendi in casu necessitatis, « *necessitas* » ista benignius intellegenda est quam quae per se a lege servanda excusaret.

3. *In dubio, c. 50 applicandus est de interpretatione lata vel stricta.* Cf. n. 113.

4. *De usu privilegii a)* « Nemo cogitur uti privilegio in sui dumtaxat favorem concesso, nisi alio ex capite exsurgat obligatio » (c. 69).

Codex igitur distinguit privilegia mere in cuiuspiam favorem concessa, et privilegia quae propter communem causam communitatis vel classis ad quam quis pertinet concessa sunt.

Priorum usus per se est liber : per accidens tamen usus privilegii personalis fit ex aliqua virtute necessarius. Sic, tacita pactione qua confessarius, tamquam medicus, plenam medicationem cuius copiam habeat, promisit, obligatur ad utendum sua facultate in reservata (GÉNICOT, I, 109).

Aliorum privilegiorum usus necessarius est quantum ipsius societatis ad quam pertinemus interest. Sic clerici privilegia clericalia prudenter urgere debent ; sic episcopus suae sedis privilegia intacta servare debet.

Fit quoque ut communitas, pro potestate qua pollet, ex obtento privilegio normam obligantem membra statuat : sic officia propria religionis recitantur a religiosis ex privilegio cuius usus ipsis necessarius factus est.

b) « Privilegium personale personam sequitur » (c. 74). Ubique ergo licet uti tali privilegio.

Sic, ut nunc certum est, indulto Bullæ cruciatae quod ad abstinentiam et ieiunium, subiecti Hispanicae dicioni tum intra tum extra Hispanias uti possunt. Cfr Breve *Providentia opportuna*, 15 aug. 1928 ad Alphonsum XIII, Hispaniarum regem catholicum (AAS. XXI, 1929, 12 ss. vel *Per.* XVIII).

c) Nemo potest privilegio etiam legitime impetrato adversus quemquam *in foro externo uti*, nisi concessionem sibi factam legitime demonstret (Cfr infra ad can. 79).

5. *Stabilitas.* « Privilegium, nisi aliud constet, censendum est perpetuum » (c. 70).

Aliud facile constabit, si terminus exprimitur ; difficilius, si ex cessatione perfecta adiunctorum pro quibus est concessum, cessatio privilegii est definienda.

IV. PRIVILEGII CESSATIO VEL INUTILITAS

155. - Privilegia cessant :

1. *Adveniente die* ad quem concessa sunt.

2. Per *revocationem* a competente auctoritate factam. Et Codex addit hanc dispositionem generalem, per legem generalem revocari privilegia quae in Codice continentur. Ratio est, quia haec interpretationem legum admittunt, ut dictum est, n. 150, 4, nec censentur a legislatore ignorari. Alia privilegia per legem generalem non tolluntur, nisi id in lege caveatur, vel lex lata sit a Superiore illius qui privilegium concessit (c. 71 et 60).

Efficacissima est revocatio per peculiarem actum, sed privilegium manet tamen donec revocatio privilegiato *significata* fuerit. Quod non idem est ac : donec privilegiato innotuerit.

3. Per *renuntiationem.* Haec a competente Superiore acceptari debet ; ita ut renuntiatio ante acceptionem utiliter revocetur. Sed non cuivis integrum est privilegio renuntiare. Quilibet renuntiare quidem potest privilegio in sui tantum favorem constituto ; si autem fuerit concessum communitati, dignitati vel loco, non licet privatis personis privilegio renuntiare. Id poterunt Superiores communitatis vel loci, intra terminos constitutionum propriarum ; idem licet titulari dignitatis qui sit sui iuris seu in suo ordine supremus, qualis est episcopus, Praepositus generalis, non vero Vicarius generalis vel Superior provincialis. Iustam causam requiri, per se patet ; et lex ipsam renuntiationem prohibere potest.

In § 3 c. 72, mirari possis verba quibus renuntiatio privilegii concessi communitati facta a privata persona mere dicitur *illicita*, dum potius invalida seu inefficax dicenda foret. Verum renuntiatio intellegi quoque potest improprie dicta, quae in non usu consistit.

§ 4 canonis 72, vetatur ipsi communitati renuntiatio privilegii quod per modum legis eidem datum fuerit, cum legem abrogare nequeat ; et renuntiatio quae cederet in praeiudicium Ecclesiae vel aliorum.

4. *Resoluto iure concedentis*, non per se quidem, sed si privilegium datum fuerit cum clausula *ad beneplacitum* nostrum vel aequipollenti (c. 73). Aequipollens fuerit, *durante meo munere* ; non autem *donec revocaverim.*

5. *Exstinctione personae,* si privilegium fuerit personale (c. 74), aut *absoluto loci* vel *rei interitu,* si reale fuerit.

Observes autem, ex c. 102, personam moralem non exstingui nisi formali suppressione vel si per centum annos desierit. Et de localibus privilegiis statuitur ut reviviscant, si locus intra quinquaginta annos restituatur (c. 75).

Nunc constat igitur indulgentias ecclesiae concessas perire, nisi intra quinquaginta annos post ruinam iterum aedificetur, i. e. ni fallimur, aedificari coepta sit.

Indulgentiae reales etiam pereunt venditione seu alienatione onerosa rei cui annexae sunt ; non iam autem rei donatione vel commodato.

6. *Praescriptione liberativa* illius cui privilegium est onerosum, vel tali eiusmodi privilegii non usu qui tacitam renuntiationem inferat (c. 76).

Per se ergo non usus vel usus contrarius privilegium non tollit.

Tacita renuntiatio colligi potest ex diuturno non usu vel usu contrario. Supponit autem privilegium cui renuntiari potest et subiectum capax renuntiationis.

Privilegio non utitur qui omittit quod ex privilegio facere permittitur ut si non dicat missam in altari portatili ; usum facit contrarium, qui efficit quod ex privilegio omittere potest, ut si ieiunet, non obstante privilegio.

Tacita renuntiatio supponit non usum vel usum contrarium vere liberum, occasione oblata idque per longum tempus (Wernz, *Ius Decret.*, I, 162, III).

Quaeres quomodo tacita renuntiatio sufficere umquam possit, cum c. 72, § 1 postulet ut a competente Superiore acceptetur ? Sufficere potest, quia cum agitur de privilegio quod in aliorum gravamen cedit, renuntiatio ipso iure c. 76 in antecessum acceptatur.

7. *Declaratione Superioris* competentis qua iudicet, propter nova temporum adiuncta, privilegium noxium vel illiciti usus evadere (c. 77).

Superior iste non potest esse inferior illi qui privilegium concessit.

8. *Expleto numero* casuum pro quibus privilegium fuit concessum. Ratio est manifesta. Verum de potestate *pro foro interno* concessa istud notabile additur, validum tamen esse actum quo inadvertenter usus privilegii factus est, postquam elapsum est tempus vel expletus numerus casuum pro quo concessus erat (c. 77 et 207).

Quod Codex statuit de solo foro interiore, facultates S. C. *de Prop. Fide* generalius admittunt pro habitualibus facultatibus a se datis. Cfr 3am animadversionem ad calcem formularum. (In nostro *De Formulis*, n. 47.)

N. B. *Abusu* per se privilegium non aufertur. Sed competens auctoritas abutentem privilegio in poenam privare potest ; et Ordinarius S. Sedi denuntiare debet eum qui eius gratia graviter abutatur (c. 78).

V. PRIVILEGII EXSISTENTIA ET PROBATIO

156. - I. Privilegii concessio nulli peculiari formae obnoxia est.

Valide igitur et licite non solum a S. Sede sed etiam a competente potestate inferiore, privilegium oretenus conferri potest.

A momento autem quo exsistit, eius usus in foro interno sive sacramentali sive extrasacramentali validus et licitus est, praecisa semper omni scandali ratione. Quod can. 79 initio confirmat, dicendo : « Quamvis privilegia oretenus a S. Sede obtenta ipsi petenti in foro conscientiae suffragentur ».

II. Ut autem quis obtentum privilegium aliis opponere queat, privilegium sibi concessum esse legitime probare debet. Deficiente hac probatione, «nemo potest cuiusvis privilegii usum adversus quemquam in foro externo vindicare ». Ita c. 79, qui fere ad verbum desumptus est e cap. 3, 2° Normarum peculiarium annexarum Constitutioni *Sapienti consilio*, 29 iun. 1908, *De reformatione curiae. Nemo* id potest ne episcopus quidem.

Ad universalem istam legem praesertim attendendum est pro gratiis quas S. Pontifex concedit in audientia. Nisi ipse scripto firmaverit oraculum vivae vocis vel gratia facta aliter probari possit, nullum inde ius adversus alterum acquisitum est.

Probatio autem fit v. g. documento authentico, testimonio duorum testium fide dignorum. E can. 239, § 1, n. 17, Cardinales privilegium habent « fidem faciendi in foro externo, de oraculo pontificio testantes ». De rebus quae pertinent ad proprium officium *assessores, secretarii, subsecretarii* SS. Congregationum vel tribunalium Romanorum authentice etiam referre possunt quae in audientia SS^{us} responderit vel decreverit. Cfr Cicognani, *Commentarium ad l. I Codicis*, in hunc canonem.

TITULUS VI

DE DISPENSATIONIBUS

(cc. 80-86)

Scriptores : Suarez, *De Legibus*, l. 6, c. 10-21. — d'Annibale, I, 230-235. — Wernz, I, 120-126. — Brys, *De Dispensatione in iure canonico*. — Ojetti, *Commentarium*, tit. VI.

Ordo Codicis. Data dispensationis notione (c. 80), Codex successive agit de auctore dispensationis (cc. 81-83) ; de dispensationis causa (c. 84) ; de dispensationis interpretatione (c. 85) ; de eius cessatione (c. 86).

Simili ordine dabimus dispensationis *notionem*, — *auctorem*, — *requisitam causam*, — *subiectum*, — *vim seu efficaciam*, — *interpretationem* et *cessationem*.

[156]

I. DISPENSATIONIS NOTIO

157. - Dispensatio est « *legis, in casu speciali, relaxatio* » (c. **80**). Etymologice, dispensatio, οἰκονομία, omnem prudentem administrationem designat. Iam antiquitus PP. Graeci et Latini dispensationem seu oeconomiam appellarunt quod in extraordinario casu vel dispositum est vel facere licet : oeconomia redemptionis. Inde quaelibet legis relaxatio, et, a saec. XIII, relaxatio in casu particulari hoc vocabulo designata est. Antea dicebatur *venia, liberatio, licentia, in integrum restitutio, beneficium, indulgentia,* id quod hodie vocamus dispensationem.

Itaque differt :

a) ab *excusatione,* quae ex mente quidem Superioris in condenda lege, sed sine Superioris interventu, obligationem tollit : quare quilibet vir peritus et prudens quempiam lege immunem declarare potest. Dispensatio contra, dicit quandam retractationem seu extenuationem voluntatis primitus habitae (WERNZ, I, 119 ; LEHMKUHL, I, 254) ;

b) ab *irritatione* obligationis, quae plerumque ex potestate dominativa exoritur, et mediate tantum legem attingit ;

c) a *privilegio,* quod ius quoddam positive constituit, dum dispensatio mere negative operatur ;

d) a *licentia,* quae est facultas facta secundum legem ; condicio, qua posita, actus ex ipsa lege permittitur. Non est ergo, sicut dispensatio, contra legem, vel vulnus legis. Atque ita necessitas licentiae imposita esse intellegitur, ut, nisi formalis et expressa exigatur, licentia praesumi possit. I. e. satis esse censetur ut dependenter a Superiore agas : quae dependentia servatur, si, secundum prudentem mentis aestimationem, Superior rem concessurus sit nec repugnet quin, attentis adiunctis, licentiae petitio omittatur. Dispensatio autem praesumi nequit, quia praesumptio effectum causalem non supplet. Dispensatio iurisdictionem postulat ; licentia ex qualibet legitima potestate manare potest.

e) Multo magis differt a *dissimulatione,* qua legitimus Superior, nihil positive approbans vel tolerans, acta contra legem quasi ignorare vult ut, ad maiora mala vitanda, eadem impunita esse sinat.

II. DISPENSATIONIS AUCTOR

158. - Ex cuius voluntate lex obligat, eiusdem voluntate vinculum legis dispensatione auferri potest. Quare *auctor legis,* vel *qui superiorem aut parem potestatem habet, semper quemvis obligatione legis per dispensationem solvere potest* (c. 80).

Quemvis, inquam, praeter seipsum, si legislator sit humanus, cum is, lege superiore propriam legem servare debeat. Sed, iusta accedente causa, ipse eximitur ubi alius dispensatur ; quia ratio boni communis, propter quam legislator legem suam servare debet, non postulat ut firmius quam subditi teneatur ; immo potius postulat ut eaedem iustae excusationis causae valere queant. Quare in generali dispensatione ipse quoque comprehenditur, cum cesset causa cur obligetur.

Inferior legislatore dispensare non potest nisi potestate derivata, et propter iustam causam : data enim ad dispensandum, facultas ad dissipandum concessa non videtur.

Potestas autem communicatur *delegatione*, quae potest esse universalis et propter ipsum dispensantem, aut particularis et propter ipsum dispensatum concessa. Quae delegatio rursus potest concedi ut subdelegabilis vel non. Maxima delegatio fit cum potestas communicatur tamquam ordinaria. Hinc distinguunt potestatem factam dispensandi iure *ordinario* et iure *delegato*.

159. - S. Pontifex, in omni lege ecclesiastica, tam particulari quam universali, semper validam dispensationem fidelibus concedit. Id aperte sequitur ex modo dictis.

In lege *divina* proprie non dispensat ; potestate tamen ligandi et solvendi uti potest, ad relaxandum, propter iustam causam, vinculum voti, iuramenti, matrimonii rati, immo matrimonii quod post baptismum non fuit consummatum (quamquam usus non est ut hanc ultimam relaxationem directe concedat). Propter iustam causam, inquam ; etenim, sine tali causa, nequit materiam istam legi divinae subtrahere.

Dispensatio fori externi regulariter peti consuevit mediante Ordinario loci, a saecularibus ; mediante Procuratore generali, a viris religiosis. Superiorissae generales dispensationes directe petere possunt. A *Paenitentiaria* vero directe quaeruntur dispensationes fori interni, plerumque per confessarium, reticito nomine oratoris.

160. - De potestate **Ordinariorum** Codex haec habet :

1. A *generali lege* Ecclesiae, Ordinarii, infra S. Pontificem, ne in peculiari quidem casu dispensare valide possunt, nisi potestas ipsis explicite vel implicite concessa sit ; aut nisi difficilis sit recursus ad S. Sedem, et simul in mora sit periculum gravis damni, ac de dispensatione agatur quae a Sede Apostolica concedi consueverit (**c. 81**).

Ut ergo, sine positiva S. Sedis concessione, valide dispensent, tria concurrere debent : res in qua S. Sedes dispensare solet (v. g. impedimentum consanguinitatis in secundo vel tertio gradu lineae collateralis) ; periculum gravis damni in mora ; difficilis recursus ad S. Sedem.

Quarta causa, quam, ante Codicem, scriptores communiter addebant, i. e casus frequenter occurrentes, silentio praetermittitur, nec iam valere videtur.

2. Eadem regula observanda est « de legibus quas speciatim tulerit Romanus Pontifex pro peculiari territorio » (**c. 82**).

Cum autem, ut supra diximus, Ordinarii particulares *consuetudines*

abrogare possint, videntur etiam dispensare posse in iure speciali, consuetudine inducto.

3. In casibus particularibus et iusta de causa, *Ordinarii locorum* dispensare possunt a decretis Concilii *plenarii* et *provincialis* (c. **82**. 291).

4. In legibus demum *dioecesanis*, iidem propria auctoritate dispensant. Atque idem dicendum est de consuetudinibus iuris particularis, cum illas abrogare possint (c. 82).

4. Per se, i. e. nisi alia intentio appareat ex textu vel consuetudine, *implicita* facultas Ordinariis locorum conceditur dispensandi in legibus pontificiis quibus clausula additur ; « nisi dispensetur ».

Quinam sint *Ordinarii* et *Ordinarii locorum*, cfr c. 198. De conciliis *plenariis* et *provincialibus* agunt canones 281, ss.

161. - *Expressa* dispensandi facultas *Ordinarii locorum* conceditur in casibus vel causis sequentibus :

1. In *dubio facti* possunt etiam in legibus irritantibus et inhabilitantibus dispensare, dummodo agatur de legibus in quibus R. Pontifex dispensare solet (c. 15).

2. A *temporibus sacris* (diebus ieiunii, abstinentiae vel festivis) servandis, dispensare possunt, in casibus singularibus, subiectos sibi fideles singulasve familias, etiam extra territorium, atque, in suo territorio, etiam peregrinos (c. 1245).

Immo, ex *causa peculiari* magni concursus populi aut publicae valetudinis, iidem Ordinarii totam dioecesim vel locum a ieiunio vel abstinentia dispensare possunt.

3. *Vota non reservata*, ex iusta causa relaxare possunt omnibus subditis atque etiam peregrinis. Ius tamen aliis quaesitum laedere non possunt (c. 1313).

4. Eadem facultas ipsis in *iuramenta* conceditur (c. 1320).

5. Dispensare possunt in *interstitiis* quae inter varias ordinationes servanda sunt, non ita tamen ut duo sacri ordines, vel minores ordines cum subdiaconatu eodem die, vel quattuor minores ordines simul, aut prima tonsura cum minore ordine conferantur. Cfr c. 978.

6. Dispensare possunt in *bannis*, etiam in aliena dioecesi faciendis vel repetendis (c. 1028. 1030).

7. In *impedimentis matrimonialibus* dispensare possunt, cum casus occurrunt qui in titulo de matrimonio exponuntur.

8. Subditos suos dispensare per se vel per alium possunt ab omnibus *irregularitatibus* ex delicto occulto provenientibus, excepta ea quae ex homicidio voluntario aut abortu oritur, aliave deducta ad forum iudiciale (c. 990).

9. In casibus *occultis*, possunt per se vel per alium poenas latae sententiae, iure communi statutas, remittere, exceptis censuris specialissimo vel speciali modo S. Sedi reservatis.

Immo in casibus *publicis*, poenas *latae sententiae* iure communi statutas remittere possunt, exceptis casibus ad forum contentiosum deductis, censuris S. Sedi reservatis et quibusdam aliis enumeratis canone 2237.

10. In casibus *urgentibus* possunt pro *singulis* libris prohibitis, vetita Ecclesiae relaxare. Et generalem facultatem a S. Sede impetrare possunt (c. 1402).

11. De consensu examinatorum synodalium, candidatum parochum, doctrinae laude commendatum, ab *examine* super doctrina dispensare possunt (c. 459, § 3, 3°).

De singulis argumentis proprio loco dicetur. — Nulla igitur potestas dispen-

sandi in *horis canonicis* Ordinariis locorum conceditur. Eandem tamen ex consuetudine centenaria habere possunt.

Possint quoque facultates habituales a S. Paenitentiaria obtinere pro *foro interno*. Non pauci praeterea episcopi impetrare pro foro *externo* solebant varias facultates quinquennales, decennales, v. g. in impedimentis matrimonii. Huiusmodi autem facultates, salvis quibusdam exceptionibus temporalibus, revocatae sunt decreto *Proxima*, S.C. *Consistorialis*, 25 april. 1918. Verum mox neccessitas minoris rigoris apparuit. Quare, episcopis seu Ordinariis locorum petentibus, propter iustam causam, facultates habituales pro foro exteriore reddentur a diversis SS. Congregationibus, tribuendae tamen a S. C. *Consistor.*, ex motu Propr. 20 april. 1923 (*Per.* XII, 65).

In locis missionum, S. C. *de Propaganda Fide* amplas facultates Ordinariis locorum communicare consuevit.

162. - Parochi a nulla lege dispensare possunt, nisi potestas iisdem expresse concessa sit (c. 83).

Expresse ipsis conceditur c. 1245, § 1, ut in casibus singularibus et iustis de causis singulos sibi subditos fideles singulasve familias etiam extra territorium, atque, in suo territorio, etiam peregrinos a lege communi observantiae temporis sacri dispensare possint.

In casibus urgentibus, habent quoque facultatem dispensandi in impedimentis matrimonii, quae proprio loco exponitur (cc. 1044-1046).

163. - 1. *Ordinarii religiosorum* pro *subditis suis* facultates dispensandi habent quas, Ordinariis locorum tributas, enumeravimus hic supra, n. 161, 1°. 2°. 3°. 4°. 8°. 9°. 10°.

Praeterea facultates dispensandi exercere possunt quae ex non revocatis suae religionis privilegiis in sua potestate versantur.

Et cum agitur de dispensatione a *temporibus sacris*, a *votis* et *a iuramentis*, subditi esse intelleguntur non soli religiosi, professi vel novicii, verum etiam personae quae in religiosa domo diu noctuque degunt causa famulatus aut educationis aut hospitii, aut infirmae valetudinis (c. 514).

Possunt etiam ipsi, immo generatim omnes Superiores religiosi, dispensare in minoribus punctis disciplinaribus quae ad substantiam vitae religiosae in universum vel talis Instituti non pertinent. Et probatae Constitutiones magis quidpiam maioribus Superioribus permittere possunt : puta dispensationem a votis substantialibus.

2. *Omnes* Superiores *religionis clericalis exemptae* (etiam non maiores) possunt sicut Ordinarii dispensare a temporibus sacris servandis, a votis et a iuramentis, subditos intellectos sicut modo n. 1 dictum est (c. 1245. 1313. 1320).

164. - Confessarii rite approbati, et ipsi quibusdam facultatibus instruuntur.

1. Legitimo impedimento detentis commutare possunt pia opera ad lucrandas indulgentias iniuncta (c. 935).

Ut patet, substantia operis principalis aliquo modo servanda erit : sic indulgentiam communioni annexam alii operi coniungere non poterunt. Aliud est si communio requiratur ut condicio indulgentiae alii operi concessae. Sic etiam, sine usu crucifixi benedicti, impediti indulgentias viae crucis lucrari non poterunt. Cf. resp. *S. Paenit.* 14 dec. 1917, ad V (*Per.* IX, 71).

2. In casibus occultis urgentioribus, in quibus Ordinarius adiri nequeat, et

periculum immineat gravis damni vel infamiae, dispensare possunt ab irregularitatibus omnibus ex delicto occulto provenientibus, excepto homicidio voluntario et fetus humani abortu, sed ad hoc dumtaxat ut paenitens ordines iam susceptos exercere licite valeat (c. 990, § 2).

3. Ex. 2290 « 1. In casibus occultis urgentioribus, si ex observatione poenae *vindicativae* l. s., reus seipsum proderet cum infamia et scandalo, quilibet confessarius potest in foro *sacramentali* obligationem servandae poenae *suspendere*, iniuncto onere recurrendi saltem intra mensem per epistolam et per confessarium, si id fieri possit sine gravi incommodo, reticito nomine, ad S. Paenitentiariam vel ad episcopum facultate praeditum et standi eius mandatis. — 2. Et si in aliquo casu extraordinario hic recursus sit impossibilis, tunc ipsemet confessarius potest dispensationem concedere ad normam c. 2254, § 3 » i. e. iniunctis de iure iniungendis et imposita congrua paenitentia et satisfactione pro poena, sub onere reincidentiae.

N. B. Eadem facultate pollet quod ad *censuras*, ita tamen ut numquam sine onere recurrendi absolvere possit sacerdotem qui complicem in re turpi absolverit vel absolvere finxerit (c. 2254). Verum censurae *absolvuntur*, et hic agitur de *dispensatione*.

4. In casibus urgentioribus habent in impedimenta matrimonii facultatem quae proprio loco explicatur.

5. Habent praeterea *confessarii regulares* facultates ex Ordinis privilegiis, v. g. dispensandi vota non reservata ; et, in quibusdam religionibus, vota quaedam etiam reservata.

N. B. Quando condicio usus *intrasacramentalis* non apponitur, confessarius facultates istas etiam extra confessionem erga paenitentes exercere potest. Paenitentes autem sunt quotquot hic et nunc confessarius in confessione audire possit.

165. - *Simplex* sacerdos qui matrimonio assistit, habet, in casibus urgentioribus, ex c. 1044. 1045, facultatem dispensandi in impedimentis, de quibus suo loco dicetur.

III. REQUISITA CAUSA

166. - Iusta causa, quae semper ad liceitatem, et, pro Superiore qui legislatori inferior est, ad ipsum valorem dispensationis requiritur, tanta esse non debet ut per se a lege eximeret ; nec nimis levis esse potest : quod, pro singulis praeceptis, prudenter aestimandum est (c. 84).

Sed per se illicitus non videtur usus dispensationis quam legislator, sine causa, valide sed illicite concesserit.

Porro causa dispensandi observationi legis *interior* vel *exterior* esse potest. *Interiores* observationi sunt difficultas, incommodum observationis legis ; impedimentum quod in hoc casu vel in hac persona observatio legis secum affert meliori bono : propter quas causas dispensationes ab observatione temporis sacri plerumque conceduntur. *Exteriores* causae repetuntur vel ex persona *dispensante*, cum expedit ut se liberalem, benignam exhibeat ; vel ex persona *dispensanda*, cui dispensatio utilis erit vel pro bono merito concedenda videtur ; vel ex *bono communi :* v. g. ad praecavendas nimis multas transgressiones, ad augen-

dam communem laetitiam. Plura cfr SUAREZ, *de Leg.* L. 6, c. 18, n. 15-18; 23-26.

Usus tamen omnis causae dispensandi ei qui non est legislator non est semper permissus. Videndum siquidem est quo pacto facultas delegata sit; intra quosnam fines sit contenta.

Causa talis esse potest quae Superiorem ad dispensandum obliget. Attamen indebite negata dispensatio subditum ab observanda lege per se non excusat.

167. - Ad amputandas anxietates in hac re, haec notasse proderit :

1. Legislator permittere censetur ut delegatus quoque dispenset *in dubio* de causae *sufficientia* (non item in dubio de causae *exsistentia*), ne frequentiores dubitationes viam scrupulis et difficultatibus pandant. Quocirca c. 84, § 2 haec habet : « Dispensatio in dubio de sufficientia causae licite petitur et potest licite et valide concedi. » Itaque,

2. Subditus qui rationes suas Superiori allegat et bona fide dispensationem petit, dispensatione impetrata, securus esse potest.

3. In dubio, pro valore factae dispensationis responderi potest.

Quid vero, si postea in comperto sit *causam defuisse*? Eum casum excludimus ubi vel ex dispensationis obiecto (ut nunc si agatur de impedimento minoris gradus in matrimonio) vel ex forma qua dispensatum est, Superior competens statuerit dispensationem in omni eventu efficacem fore. — Itaque, si nullam causam fuisse constet, corruit dispensatio; et frustraneus conatus eadem utendi ab hoc momento formaliter illicitus evadit. Si causa quaedam fuerit, sed *insufficiens*, dispensatio quae tractum successivum habet, i. e. quae plures distinctas applicationes permittit, corruit in futurum; quae vero semel pro semper efficax esse debuit, v. g. validum efficere matrimonium, non necessario corruit; sed prudenter aestimandum est quid auctor dispensationis ex propria vel delegata auctoritate facere potuerit et voluerit. Cfr infra n. 175 de cessatione dispensationis.

IV. DISPENSATIONIS SUBIECTUM

168. - Dispensatio, cum iurisdictionem exigat, per se solis subditis et a solis clericis concedi potest. Fit tamen ut lex vel privilegium facultatem dispensandi concedat iis qui habituales subditos non habent, v. g. confessariis extra sacramentum, vel usum dispensationis ad non subditos extendat ad maiorem eorum facilitatem, vel ne deterioris condicionis sint aut fiant quam ipsi subditi.

169. - Potestne Superior seu pollens facultate dispensandi, secum dispensare? Superior legislator, ut dictum est, sicut se non ligat, sic in propria lege secum non dispensat. Sed in generali dispensatione quam concesserit, ipse comprehenditur. Desinit enim tunc potius contrarie illa ratio aptationis ad communitatem cur ipse legislator legem servare debeat. Praeterea, ubi causa sit dispensandi, se pro dispensato habere potest. Sunt tamen qui facultatem secum dispensandi legislatori directe concedunt (Cfr WERNZ, I, n. 123).

Alius Superior potest ipse in generali facultate facta se comprehen-

dere : puta episcopum qui, facultate obtenta, dioecesim a ieiunio dispensat. — Praeditus facultate delegandi, potest quoque delegato, v. g. confessario potestatem facere dispensandi cum ipso. *Directe* id potest quoque subordinatus dispensator pro modo quo facultas ipsi concessa sit. Namque actus voluntariae iurisdictionis distinctionem personarum postulare non videtur. Sic facultas facta confessario interdum ad paenitentes coartatur, dum facultas data Superiori usum secum plerumque non prohibet.

Quare c. 201, § 3, haec habet : « Nisi aliud ex rerum natura aut ex iure constet, potestatem iurisdictionis voluntariam seu non iudicialem, quis exercere potest etiam in proprium commodum. »

V. DISPENSATIONIS VIS SEU EFFICACIA

170. - Per se, dispensatio pro se et pro alio peti et impetrari potest. Nec acceptatio dispensationis vel formalis intimatio per se requiri videntur.

Haec tamen necessaria erit si dispensatio simul onerosa sit ; v. g. ubi mutationem status religiosi afferat.

Et ad iuris positivi statuta attendendum est. Cfr ASS, XXVI, 320, resp. S. C. *super discipl. reg.* 15 mart. 1892.

171. - Vis factae dispensationis, ex potestate dispensantis, ex tenore dispensationis, ex positivi iuris definitionibus colligenda est. Quod suo loco examinandum erit.

Dispensatio quae impedimentum, inhabilitatem aufert per se ubique prodest.

Dispensatio vero quae legis obligationem tollit, potest esse *personalis* tantum vel tantum *realis*, vel demum esse *mixta*, seu simul realis et personalis. Prior, personae propria, hanc ubique comitatur ; altera omnibus prodest in territorio, nemini extra territorium ; tertia demum omnibus prodest in territorio, subditis autem etiam extra territorium. Hoc postremo modo Pontifex dispensationes Bullae cruciatae concessit.

VI. DISPENSATIONIS INTERPRETATIO

172. - Dispensatio, cum sit vulnus legis, strictam per se **interpretationem** postulat. Regula tamen exceptionibus limitatur. Quare **c. 85** vult ut severitas ista ad normam c. 50 intellegatur. Strictae igitur erit interpretationis, cum ius tertii quaesitum laedit, cum data est in commodum privatorum vel refertur ad lites aut ad beneficii assecutionem.

Ampla, contra, interpretatio postulabitur, si concessa sit motu proprio vel ad bonum commune, vel ipsi communitati. Tunc enim vel promptam Superioris voluntatem denotat, vel est ad bonum commune directa. Cfr WERNZ, I, 125.

173. - *Generalis* dispensandi *facultas* censetur gratia dispensanti concessa : quare est ample interpretanda.

Ad *certum casum* seu cum aliqua persona concessa, moraliter non est nisi concessio ipsius dispensationis per delegatum : quare strictam interpretationem postulat (c. 85).

Perinde dicendum videtur si facultas restricta sit ad paucas determinatas personas : ad talem familiam. Verum facultas data ad certum numerum casuum habituali et generali accensetur.

174. - *Quaeres* quo modo intellegenda sit facultas dispensandi non generaliter sed in *singulis casibus ?*

Haec videtur nobis esse rationabilis interpretatio, ut dispensans nequeat ultra quam postulat *praesens* causa dispensationem protrahere : v. g. non ultra tempus morbi, itineris pro quibus dispensatio petitur. Nulla autem alia temporis limitatio nobis apponenda videtur, nisi haec expresse in facultate addatur. Sic in Belgio, solet Em. archiepiscopus facultatem dispensandi in ieiunio ita confessariis communicare, ut nequeant ad tempus ultra annum dispensationem concedere. — S. Alphonsus L. 3, n. 288, ait : « Ad tempus et pro aliquo particulari casu ».

N. B. Quando generalis dispensatio conceditur communitati, dioecesi, dispensantur personae in quibus ratio dispensationis non habetur. Ideo hoc dispensandi genus supponit in legem potestatem quae per se ad legislatorem spectat.

VII. DISPENSATIONIS CESSATIO

175. - Codex, c. 86, quaestionem de cessatione propriam efficit dispensationis quae tractum habet successivum, et sic indirecte confirmat sententiam communem, qua absolute concessa dispensatione cuius effectus est quasi indivisibilis, — ut cum aufertur irregularitas, impedimentum matrimonii ; — cessatio causae motivae dispensationem non irritat, etiam si causa nondum fuerit ad actum irrevocabilem (v. g. per matrimonium, ordinationem) redacta.

Lehmkuhl, I, 269, cui alii contradicunt, regulam istam tamen ad casum ubi concurrat dispensatio voti applicare non audet. Cfr Noldin - Schmitt, *De Legibus*, n. 188.

Itaque 1. Dispensatio quae tractum habet successivum cessat « certa ac totali *cessatione causae motivae* » (c. 86). Dubia vero vel partiali istius causae cessatione non cessat.

Ratio regulae haec est, quod dispensatio a ieiunio, a breviario, a missa audienda vel ab alia obligatione quae recurrit, rationabiliter concedi non potuit nisi virtualiter multiplex pro singulis casibus obligationis et subiecta condicioni perseverantis causae.

2. Cessat praeterea dispensatio iisdem modis quibus privilegium (c. 86). Quare cessat :

a) *Revocatione* quam, in materia revocabili, valide efficiunt legislator semper ; inferior autem solum ob iustam causam, et quatenus potestatem hanc a Superiore expresse vel tacite habere censeatur. Hanc porro habet qui generali dispensandi facultate pollet, non autem delegatus

ad particularem dispensationem. Facta enim dispensatione hic, contra atque ille, omnem potestatem amisit. WERNZ, I, 126.

b) Cessat quoque *renuntiatione* eius qui dispensationem accepit, modo a Superiore acceptata sit : sine huius assensu enim, obligatio reviviscere nequit. Superior competens, ex facta dispensatione et facultatibus concessis iudicandus est. Sic confessarius dispensans in ieiunio voluntatem ipsam dispensandi in futurum retractare ac proin renuntiationem acceptare potest ; sed id non poterit delegatus ad particularem dispensationem matrimonii.

3. Pro clausulis adhibitis et positivis sanctionibus dispensatio quandoque *morte dispensantis* cessare potest.

LIBER SECUNDUS

DE PERSONIS

INTRODUCTIO

De personarum constitutione, distinctione, actione et ordine

(cc. 87-107)

---

176. - Ordo Codicis. Sicut titulis libri primi, *De Normis generalibus*, praepositi sunt quidam canones qui universale argumentum de Codice versant, ita pluribus canonibus de personarum constitutione, distinctione, actione et ordine, in alterum librum, personis deputatum, introducimur.

Introductio autem hac ratione commode dividitur, ut cc. 87-98 agant de personis physicis ; cc. 99-102, de personis moralibus ; cc. 103-106 communia quaedam de actibus et praecedentia personarum tradant. Eadem introductio absolvitur c. 107, quo divisio libri in tres partes praeparatur eiusque ratio demonstratur.

Art. 1. - De personis physicis

Scriptores : D'ANNIBALE, *Summula Theol. mor.*, I, 27. ss. — BLAT, *Commentarium*, II, pp. 1-26. — MAROTO, *Institutiones*, I, nn. 391. 392 ; 405-407. — OJETTI, S. I, *Commentarium*, II. — PRÜMMER, *Manuale*, c. 54. 55. — WERNZ-VIDAL, S. I., *Ius canonicum*, II.

§ 1. PERSONAE CONSTITUTIO IN ECCLESIA

177. - Persona, in disciplina iuridica, est *subiectum iuris ;* seu subiectum cui quaedam sunt inviolabiliter addicta. Addictio autem non est inviolabilis, si subiectum ipsum impune violari potest ; ita ut inviolabilitas iuris cohaereat cum inviolabilitate seu independentia personae in prosecutione finis seu boni sui. Ideo subiectum quod ab alterius nutu pendet, non est persona nisi deminute.

Personalitatem quam natura omni homini dedit, nulla alia persona, nulla societas ignorare vel neglegere potest. Itaque, pro Ecclesia, sicut hodie pro omni civitate, quilibet homo est persona ; nec canonicas poenas effugerit, qui ethnicum occiderit. Verum positiva accessione iurium quae patrimonium cuiuspiam societatis efficiunt, homo quasi nova personalitate augetur. Inde iuris civilis periti definierunt personam, hominem *qui caput habet civile* (1), seu qui statu civili est praeditus. Ac dicere pariter possumus : *Persona, in Ecclesia, est homo qui statu ecclesiastico est praeditus.* Iura autem cuiuspiam societatis ei soli accedunt qui, membrum istius societatis factus, eius iurisdictioni fit obnoxius, ac proin membrorum officia implenda habet. Itaque, sicut cooptatione in publicam societatem, homo dici potest fieri persona in civitate, sic, c. 87, homo dicitur valido baptismate (utique fluminis) constitui persona in Ecclesia, quia sacramentum baptismi

---

(1) Cf. CALVINI, *Lexicon iuridicum*, v. Persona, vel etiam MAROTO, n. 390, nota 2.

est ianua Ecclesiae, seu factum iuridicum quo homo pertinere incipit ad visibile Ecclesiae corpus, cum omnibus iuribus et officiis.

Baptizatum praeceptis Ecclesiae teneri, definitum est a Tridentino, s. VII, c. 8.

178. - *Iurium* tamen, non item *obligationum* communicatio quadantenus impeditur, impedito ecclesiasticae communionis vinculo, vel lata censura (**c. 87**).

Quadantenus, inquam ; nullus enim baptizatus omni iure spoliatur. Servat enim in charactere baptismali titulum ad obtinendam specialem sollicitudinem, et, in hora mortis, sacramentorum necessariorum administrationem.

Impedimentum istud seu obex, est ascriptio ad sectam acatholicam, vel etiam excommunicatio. Haec est principalis censura. Aliae censurae: suspensio, interdictum, non omnibus iuribus, sed quibusdam tantum privant baptizatum.

Idem c. 87 tacet de obice posito officiis, quorum quaestio sic reservatur. Redit huc dubium de modo quo acatholici baptizati legibus Ecclesiae sint subiecti. De qua re cf. n. 78. Quid vero de dubie baptizatis tenendum sit, diximus n. 79.

§ 2. PERSONARUM DIVISIO

Personae physicae dividuntur ex *aetate* (c. 88. 89) ; ex *loco* (cc. 90-95) ; ex *vinculo personali* (c. 96. 97) ; ex *ritu* (c. 98).

I. DIVISIO EX AETATE

179. - **Distinctae aetates**. Codex distinguit aetatem unius et viginti annorum completorum, qua **maiores** dividuntur a **minoribus**; quattuordecim annorum completorum, qua masculi, duodecim annorum, qua feminae **puberes** censentur; demum septem annorum completorum, qua impuberes praesumuntur habere usum rationis, cuius compotes non sunt qui vocantur **infantes, pueruli, pueri** (**c. 88**).

Maiores capacitate iuridica, puberes capacitate generandi, impuberes infantia egressi usu rationis a minoribus, ab impuberibus, ab infantibus distinguuntur. Primus effectus legi positivae, naturae votis obsecundanti, duo posteriores ipsi naturae ascribendi sunt.

Quamvis in iure romano distincta a pubertate maioritas 25 annorum admissa sit, et ipse S. THOMAS, *Supplementum*, q. 43, art. 2, triplicem capacitatem triplici aetati primi, secundi, tertii septennii assignarit, generalis lex canonica qua aetas maioritatis statuatur, nunc primum habetur. Definitio autem istius aetatis est canonica, etsi pleraeque leges civiles hodiernae, non tamen omnes, nec pro omnibus actibus, eandem aetatem maioritatis elegerint.

180. - **Effectus iuridici distinctionum.** 1. Egressio ex infantia attendenda est pro oboedientia legi ecclesiasticae (Cf. n. 80, 2). Pubertas olim pro capacitate matrimonii, pro libertate ingrediendi religionem, attendenda erat ; nunc, pro imputabilitate poenali (Cf. n. 80, 2) et pro electione sepulturae (c. 1223, § 2). Ipsa minoritas a ieiunio immunem efficit (Cf. n. 80, 4). Verum, omissis istis effectibus, Codex, **c. 89**, de sola

maioritate agens, personas minores potestati parentum vel tutorum, in exercitio suorum iurium generaliter obnoxias reddit (cfr v. g. c. 1456. 1648), « iis exceptis in quibus *ius* minores a patria potestate exemptos habet ».

Ius istud est canonicum, non autem civile, nisi in materia ubi, ex iure canonico, sequendum est. In aliis enim huc non pertinet. Nec, contra ac R. P. Blat existimat, est ius quoque naturale vel divinum. Agitur enim de incapacitate canonica, quae ius divinum non attingit. Quare, facultas quam impubes, sui compos, habet optandi pro vera religione, non derogat canonicae incapacitati, sed hanc transcendit.

Canonica autem exceptio potest esse expressa, ut in electione sepulturae et in causis spiritualibus et conexis (c. 1648, § 3), vel indirecte colligi ex canonibus qui, dum inter condiciones in clericis et noviciis requisitas, certam quidem aetatem, non vero consensum parentum aut tutorum ponunt, candidatos a potestate parentum tacite immunes habent (Cfr c. 542. 973. 974).

2. Iuridica assimulatione vel fictione, pro infantibus habentur, et proin, quod ad leges ecclesiasticas, infantium exemptionem participant, quotquot usu rationis habitualiter destituti sunt (Cfr n. 80, 1),

II. DIVISIO EX LOCO

Duplex relatio ad locum observanda est : relatio *originis* et relatio *habitationis,* seu commorationis.

181. - Origo locum designat unde quis revera oriundus est vel iuridice esse censetur. Is autem esse dicitur domicilium, aut, deficiente domicilio, quasi-domicilium quod pater, vel, si filius illegitimus aut postumus, mater habebat, quando is de quo agitur, natus est. — Regula ista valet de ipso neophyta, qui, ante Codicem, ex C. Pauli III, *Cupientes Iudaeos,* 31 maii 1542, originem ex loco baptismi trahebat.

Filius tamen *vagorum* locum originis habet locum nativitatis ; filius *expositus,* locum ubi inventus est (c. 90).

Olim quidem, vagis origo patris tribuebatur ; sed solutio ista canone 90, § 2 excluditur.

Quid iuris, si pater *duo* vel *plura domicilia* habeat ? Qua ratione plura domicilia, eadem plures origines posse esse videntur. Neutrum, nec per se nec attenta lege, prohibetur.

Quid, si *pater* sit *vagus, mater* autem (v. g. quae sit legitime separata) *domicilium* habeat ?

Quia, in § 2, solus filius *vagorum* oriundus dicitur ex loco nativitatis, utentes analogia iuris quod filio postumo domicilium matris pro loco originis assignat, originem tunc domicilio matris definiri existimamus. Confirmamur solutione quam Honorante (1) in casu qui nunc expresso iure solvitur proponebat, sic ratiocinans : « Patrem carere circumstantiis ut possit filio originem ad ordines tribuere, et patrem ignorari, quod ad hunc effectum, idem prorsus est ; igitur, sicut in illegitimis origo matris attenditur, sic in nostro casu non improbabile est ».

Quid, si filius *expositus* postea a parentibus *agnoscatur* ? Quia locus inventionis

(1) *Praxis secretariae tribunalis Card. Urbis Vicarii,* c. 9, nota 2.

mere supplet locum domicilii vel quasi-domicilii parentum, his repertis, filius ex parentum domicilio locum originis sortietur. Sic quoque R. P. BLAT, II, p. 9.

Quid, si in domicilio parentum, *nullus* sit *episcopus* catholicus? Tunc locus nativitatis considerari potest, vel recurrendum est ad S. C. *Concilii*, quae episcopum originis assignet. Cfr GASPARRI, *De sacra ordinatione*, n. 804, ss.; 823.

Loco originis dignoscitur, saltem ex parte, episcopus proprius ordinationis (c. 956). Quare considerandum hic est domicilium dioecesanum parentum, de quo statim.

182. - Ex habitatione seu commoratione, « persona dicitur : *incola*, in loco ubi domicilium, *advena*, in loco ubi quasi-domicilium habet; *peregrinus*, si versetur extra domicilium et quasi-domicilium quod adhuc retinet; *vagus*, si nullibi domicilium habeat vel quasi-domicilium » (c. 91).

Oportetne praeterea, v. g. pro dispensatione, peregrinos distinguere qui sint mere itinerantes et alios qui aliquamdiu in territorio alieno commorantur? Id, ante Codicem, volebat D'ANNIBALE (I, 232). Vigente Codice, id negandum arbitramur, tum propter negativam rationem qua Codex peregrinum definit « qui extra domicilium et quasi-domicilium versatur » : definitio ista aeque in commorantes et in itinerantes cadit; tum quia confessarius, in loco ubi est approbatus, potest certo etiam extraneos itinerantes absolvere. Iam vero, in c. 881, § 1, communi nomine peregrinorum isti comprehenduntur.

183. - **De Domicilio.** 1. *Domicilii notio.* Vulgari notione, domicilium stabilem cuiuspiam sedem seu habitationem designat. Iuridica autem notio addit quasdam lege praescriptas stabilitatis condiciones.

2. *Domicilii varia ratio.* Distinguitur domicilium *necessarium*, quod ipsa lege, sine ulla facti condicione, obtinetur; et domicilium *voluntarium* seu proprium (domicilium enim legale seu necessarium est apud alium), quod certis saltem facti condicionibus satisfacere debet.

Ius antiquum non agnoscebat nisi domicilium vel quasi-domicilium in paroecia seu quasi-paroecia. Nunc, praeter domicilium paroeciale vel quasi-paroeciale, admittitur c. 92 domicilium in dioecesi vel quasi-dioecesi (ut est praelatura *nullius*, vicariatus Apostolicus). Potest igitur quispiam esse vagus in paroecia, et domicilium habere in dioecesi; simpliciter autem vagus non est, nisi qui utroque domicilio vel quasi-domicilio careat.

3. *Domicilii voluntarii acquisitio.*—Domicilium voluntarium duplici ratione acquiritur : *commoratione* in paroecia vel quasi-paroecia, aut saltem in dioecesi vel quasi-dioecesi, coniuncta cum *animo* seu intentione ibi perpetuo manendi, si nihil inde avocet; et *sola commoratione* quae ad decennium completum protracta sit (c. 92).

De priore modo haec observanda veniunt. Commoratio non sufficit ad modum visitantis, itinerantis, sed requiritur ad modum *inhabitantis* : sive domum habeas propriam, sive conductam, sive excipiaris diversorio, hospitio. Commorari autem pergit qui ad tempus discedit cum animo revertendi, ita ut moraliter, seu in communi existimatione, reputetur inhabitans; et facilius talis existimabitur, si

aedes sibi reservatae intentionem istam prodant. Animum perpetuo manendi, si nihil inde avocet, iam habere videtur qui nullum determinet diem *ad quem*. Qui enim nullum terminum suae commorationis assignat, perpetuo manebit, nisi causa quaedam avocet.

Sed animus *condicionatus* (manebo si tale officium assequar) acquirendo domicilio non sufficit. Purificata condicione, censebitur tamen ab initio animus domicilii adfuisse. Continua autem mansio per annum minime est necessaria : urbem inhabitare pergit qui rusticatum discessit. Animus igitur reditus *perpetui* per aliquot menses, plane sufficit.

A primo momento quo aliquis residere incipit cum animo manendi, domicilium acquiritur.

De altero acquirendi modo, per decem annos completos, haec notamus. Commorationem instar *inhabitantis* esse debere, per se perspicitur. Estne autem opus continuitate stricte intellecta, sicut pro noviciatu, seu decem annis *physice* in loco transactis, ita ut menses absentiae suppleri debeant ? Id opus esse putat Blat, I, p. 12, appellans analogiam iuris ex c. 556, de noviciis. Verum duplex diversitas analogiam istam excludit. *Continuus* annus noviciatui expresse exigitur, hic vero solum decennium completum ; noviciatus *invalide* extra noviciatus domum peragitur, ita ut novicius non possit ex solo revertendi animo praesens in noviciatu reputari, hic satis esse videtur ut moraliter quis censeatur esse inhabitans. Quocirca, si quis per decem annos locum quempiam stabiliter per quattuor menses, singulis annis, inhabitaverit, nec unquam animo linquendi locum discesserit, sed contra, ex conducta domo, etiam absens corpore, censeatur inhabitans, completo decimo anno, habebit domicilium in illo loco, donec discesserit sine animo revertendi.

4. *Domicilii necessarii acquisitio.* — Codex *uxori*, a viro legitime non separatae, necessarium domicilium assignat viri sui ; *amenti*, domicilium curatoris ; *minori*, domicilium illius cuius potestati subicitur (c. 93, § 1).

Ut separatio uxoris legitima esse censeatur, opus est ut intercesserit sententia iudicis ecclesiastici permittentis separationem perpetuam vel temporariam (*Comm. I. C.*, 14 iul. 1922, ad 1. AAS, XIV, 1922, 163 ; *Per.* XI, 162 et 166) saltem extra casus in quibus ipsi c. 1130 et 1131 *legitimam* pronuntiant uxoris separationem, etiam quae propria auctoritate sit facta (Cfr Ojetti, *Comment* II, p. 54, nota 4). Quare si vir malitiose uxore deseruerit, haec quidem *licite* separatim vivit, non autem *legitime*, per se, sine iudicis sententia.

Cessante autem necessitatis causa, domicilium necessarium potest in voluntarium converti ; immo eius asservatio praesumitur.

Hinc facile solvitur quaestio de *domiciliorum pluralitate*.

In hodiernis legibus civilibus, saltem Belgii, Galliae, Italiae, pluralitas domiciliorum excluditur ipsa definitione qua domicilium describitur : locus ubi quis *principalem* sedem habeat negotiorum et rerum suarum. Alia loca habitualis commorationis vocantur *residentiae*.

Ipse Codex canonicus, c. 93, pluralitatis casum qui olim allegabatur excludere videtur, i. e. domicilii legalis concurrentis cum voluntario. Iis enim quibus legale assignat domicilium, tantummodo quasi-domicilium permittit. Verum nihil repugnat quin aliquis duo vel tria domicilia voluntaria habeat. Casus classicus est eius qui aequaliter in duobus locis inhabitet (Cf. d'Annibale, I, 83). Tria autem domicilia tribuemus ei qui soleat per aliquot menses, singulis annis, in tribus locis habitare.

[182-183]

184. - De Quasi-domicilio. — Quasi-domicilium dicit aliquam domicilii imitationem ; i. e. minus stabilem quidem, notabilem tamen commorationem in aliquo loco. Omissis sententiis antiquorum, quae iam ante Codicem, Instructione *S. Officii* 7 iun. 1867, explosae sunt, Codex, c. 92, ut acquiratur quasi-domicilium, postulat, in paroecia, quasi-paroecia, aut dioecesi vel quasi-dioecesi, *commorationem*, intel lectam ut supra, cum *animo* ibidem manendi saltem per *maiorem* anni partem, si nihil inde avocet ; vel commorationem inhabitantis quae per maiorem anni partem revera protracta fuerit. Priore casu, a primo momento ; altero a completo tempore quasi-domicilium est acquisitum.

Itaque quasi-domicilium est quidpiam magis precarium : intentio inhabitandi per maiorem unius anni partem sufficit, nedum esse debeat perpetuae mansionis. Severiorem tamen commorationis praesentis et vel intentionalis vel accidentalis condicionem quasi-domicilium exigit, quatenus postulat intentionem vel factum quod ultra sex menses unius eiusdemque anni se extendat.

Possuntne *plura quasi-domicilia* eidem personae simul competere ? Quod, ante Codicem, communiter negabatur (cfr D'Annibale, I, 84, nota 23), iam, vigente Codice, certo affirmandum putat R. P. Maroto, I, n. 413, nixus c. 95, quo quasi-domicilium non amittitur, nisi quis cum animo non revertendi discesserit. « Si quis ergo, acquisito in loco aliquo quasi-domicilio, ad alium locum se conferat ut ibi per maiorem anni partem commoretur, cum animo tamen postea ad priorem locum revertendi, hoc in loco certo quasi-domicilium conservat (c. 95) ; in illo vero acquirit ex c. 92, § 2. » Et conclusionem suam confirmat ex verbis quae in schemate canonis suppressa sunt. Canoni enim qui nunc est 95, in schemate addebatur : « Quasi-domicilium autem amittitur quoque discessione a loco per sex menses completos, non obstante revertendi animo. » (Idem tenet Ojetti, II, p. 92 nota 46.) — Minime, l. c. tamen persuademur. Ipse d'Annibale, ut amitteretur quasi-domicilium, exigebat discessum cum animo non revertendi. Et tamen manifestum esse putat « neminem posse duobus in locis (nec in eadem urbe) habere quasi-domicilium ». Ac recte quidem, si de quasi-domicilio agitur, ad quod *animus* est necessarius. Etenim, nec facto nec intentione potest quispiam in duobus locis per maiorem anni partem habitare. Igitur in proposita a R. P. Maroto specie, is qui discessit ut alibi per maiorem anni partem commoretur, nec factum servat, cum discesserit ; nec animum, cum non possit simul velle *eodem anno*, in duobus locis, per maiorem anni partem commorari. Intentio autem postea revertendi, vel intentio habitandi successive in duobus locis per maiorem anni partem, est intentio recuperandi quasi-domicilium discessu amissum vel habendi successive duo quasi-domicilia. Sublata enim condicione animi perpetui, seu stabilitatis, factum praesens attendendum est, ita ut verba c. 92, § 2 « cum animo ibi manendi saltem ad maiorem anni partem » referenda sint ad annum praesentem, non futurum. Sic, adveniens homo in locum ubi sibi statuit commorationem trium annorum, ibi statim quasi-domicilium acquirit, non ex voluntate manendi tres annos, sed ex voluntate manendi nunc saltem per maiorem anni partem ; quae voluntas in voluntate trium annorum includitur. Nec quidquam probant verba quae de c. 95 dempta sunt. Demi enim debuerunt quia nimis absolute posita erant. Namque quasi-domicilium in definito loco servari poterit, si nullus alius animus concipiatur, quamvis ultra sex menses abfuerit.

Nihilo minus, cum Codex admittat nunc quasi-domicilium acquisitum sine animo, per solam commorationem ultra sex menses protractam, hoc genus quasi-domicilii simul exsistere potest cum animo praesentis commorationis in alio loco ; et sic cum alio quasi-domicilio concurrere. Supponas quempiam qui infirmus e

loco quasi-domicilii digreditur cum animo huc revertendi post sanationem quam merito sperat intra tres menses futuram. Si infirmitas eum ultra sex menses alibi detinuerit in domo quam conduxerat ut praescriptam curationis rationem sequeretur, vir iste duo quasi-domicilia consecutus erit. Sic etiam WERNZ-VIDAL, II, 14.

185. - Canone 93 soli uxori quae a viro sit *legitime* separata proprium domicilium habere permittitur (cfr n. 183, 4); omni vero uxori, sicut et minori infantia egresso, aditus ad quasi-domicilium proprium conceditur.

Itaque intentio perpetuo manendi censetur inefficax in uxore et in minore propter potestatem cui subsunt; sed valebit tantum pro quasi-domicilio.

Quia voces *licite* et *legitime* distinguendae sunt, *Pont. Commissio Codici interpretando* negavit ab uxore quae a viro malitiose deserta sit proprium ac distinctum obtineri posse domicilium, « nisi a iudice ecclesiastico obtinuerit separationem perpetuam aut ad tempus indefinitum » (Resp. 14 iul. 1922. AAS, 31 aug. 1922, 526; *Per.* XI, 106.)

Codex tacet de *quasi-domicilio necessario* seu legali. Itaque quaeri potest utrum necne uxor, amens, minor participent, praeter domicilium, quasi-domicilium viri, curatoris, eius in cuius potestate versantur?

Ac, nostra sententia, istud per se negandum est. Silentium enim Codicis in canone 93, ubi simul agit de domicilio necessario et de quasi-domicilio, non potest esse nisi voluntarium. Dein, systema Codicis repugnare videtur legali domicilio vel quasi-domicilio quae concurrant cum voluntario. Quare, concessa facultate uxori et minori etiam impuberi obtinendi quasi-domicilium proprium seu voluntarium, legale quasi-domicilium virtualiter excluditur. Aliter opinatur R. P. MAROTO, I, nn. 412. 413, cui favet WERNZ-VIDAL, II, n. 12.

Attamen, deficiente domicilio viri vel eius cuius potestati subsunt, si personae protectae proprio quasi-domicilio careant, ne vagae dicendae sint, tunc, applicando argumentum analogiae, quod c. 20 permittitur, dicemus ab iis quasi-domicilium viri, curatoris, etc. participari.

186. - Domicilii, quasi-domicilii et commorationis effectus. 1. Ante reformationem PII X de forma celebrationis matrimonii et sponsalium (Decr. *Ne temere*, 2 aug. 1907), quaestiones de domicilio et quasi-domicilio maximum momentum habebant, quia competentia parochi ad assistendum matrimonio ex domicilio et quasi-domicilio definiebatur. Nunc ex iisdem innotescit, quibusnam particularibus legibus parendum sit; et quemnam habeamus Ordinarium vel parochum proprium. Etenim: « Sive per domicilium sive per quasi-domicilium, suum quisque parochum et Ordinarium sortitur » (c. 94, § 1).

Frequenter ergo continget ut plures Ordinarii vel parochi proprii sint eiusdem personae. Quisnam praeferendus sit, in variis casibus, ut pro baptismo, matrimonio, funere, ipsa lege vel consuetudine definitur; in aliis casibus, libera optio permittitur.

2. « Proprius vagi parochus vel Ordinarius est parochus vel Ordinarius loci in quo vagus actu commoratur » (c. 94, § 2).

Haec dispositio, quod ad parochum, prudenter ad eos extenditur qui non habent nisi dioecesanum vel quasi-dioecesanum domicilium : eorum parochus est parochus loci in quo actu commorantur (c. 94, § 3).

187. - Amittitur « domicilium et quasi-domicilium.. discessione a loco cum animo non revertendi... » (c. 95). Qui canon tamen salvam esse vult dispositionem de domicilio et quasi-domicilio necessario : hoc sine animo servatur (c. 93). — Per se, igitur, ut iam antea docebatur, alterutro elemento servato, manet domicilium et quasi-domicilium quod sine coniunctione animi et facti acquiri per se non poterat.

188. - Bene monet Ojetti, II, p. 52, nota 3, casus domicilii necessarii non esse hic taxative enumeratos. Sic domicilium necessarium habent in Urbe *Cardinales* (nisi praesint dioecesi non suburbicariae) ; in loco beneficii, *beneficiati residentiales*. *Quid iam de religiosis ?*

Religiosi, post professionem, non sunt sui iuris, sed minoribus aequiperantur. Proprii ergo domicilii facti sunt incapaces. Necessarium igitur iisdem, ex analogia iuris, assignabimus. Quodnam ? Etenim, hoc peculiare habetur, ut ipse Superior religiosus eadem incapacitate laboret, cum sit religiosus, et potius iura religionis quam sua in subditos suos exerceat. Magis ergo in manu religionis quam Superioris dicendi sunt. Quocirca domicilium personae moralis seu conventus, religiosi participant. Hac ratione redit dispositio iuris antiqui, qua professi domicilium necessarium obtinebant in loco conventus cui ascripti erant ; idque vi ascriptionis, ante commorationem. Cfr Laurin. *Archiv. f. KKR*, XXVI, 167.

Religiosi quoque quasi-domicilium habebunt in loco extra suum conventum ubi ultra sex menses residere iubentur vel revera sedem habuerunt.

Novicii vero, si minores natu, necessarium domicilium servant apud parentes vel tutores, quasi-domicilium autem acquirunt in loco noviciatus. Maiores natu, in monasteriis ubi, ex natura religionis, perpetuam stabilitatem per se consequuntur, ibi, ab initio noviciatus et durante noviciatu acquirunt domicilium voluntarium. In religionibus vero recentioribus, ubi domus noviciatus ipsis esse nequit locus perpetuae mansionis, non habebunt nisi quasi-domicilium. Cfr *Per.* IX, (7). (8). Sic etiam Wernz-Vidal, II, 12, nota 10 ; Ojetti, II, p. 54. nota 9. — Simplex est haec solutio, fundata in iure superiore et supplens, ad normam can. 20, silentium Codicis. Intricatas difficultates et distinctiones sententiae diversae cfr, ut in exemplo, disp. R. D. Oesterlé, O. S. B., in *Comment. pro relig.* V, 1924, p. 167-178.

III. DIVISIO EX VINCULO PERSONALI

Personae inter se coniunguntur *consanguinitate* vel *affinitate*, praeter vinculum matrimoniale, quod, cum inter duos tantum exsistat, hic non consideratur, cfr in tomo II de impedim. matr.

189. - 1. De consanguinitate. — Consanguinitas unit personas quae in auctore communi conveniunt, seu ab eodem stipite proximo per carnalem generationem descendunt. *Definiebatur* enim iam antiquitus : « Vinculum ab eodem stipite descendentium carnali propagatione contractum » (S. Th. *Supplem.* q. 54 art. 1, 1).

Computatur per lineas et gradus. *Linea* designat seriem personarum quae ab eadem persona ortum ducunt. Duplex est : *recta*, et *obliqua*, seu *collateralis*. Recta componitur personis quae altera ab altera descen-

dunt ; dicitur *ascendens* vel *descendens*, prout a posteris ad antenatos vel, contra, a maioribus ad posteros perducitur. — Obliqua linea complectitur personas quae communem habent stipitem, non tamen una ab altera descendunt : ut fratres, sobrinos. Obliqua linea est tractus *aequalis*, si consanguinei a stipite aeque distant, sicut frater et soror ; est tractus *inaequalis*, si alius est magis quam alius ei stipiti propinquus : ut patruus vel avunculus et nepos.

Gradus est mensura distantiae qua consanguinei separantur. « In linea recta, tot sunt gradus quot generationes, seu quot personae, stipite dempto » (c. 96, § 2). Sic pater et filius in primo lineae rectae gradu, avus et nepos in secundo eiusdem lineae constituuntur. « In linea obliqua, si tractus uterque sit aequalis, tot sunt gradus quot generationes in uno tractu lineae ; si duo tractus sint inaequales, tot gradus quot generationes in tractu longiore » (c. 96, § 3). Itaque duo fratres sunt collaterales in primo gradu ; avunculus et nepos in secundo gradu.

Absoluta ista ratio qua, in linea collaterali inaequali, gradus ex maiore distantia a stipite definitur, non impedit quin c. 367, § 3 secundum gradum mixtum cum primo commemoret et S. Congregatio ad ipsum dispensationis valorem exigere possit ut in petitione utraque distantia exprimatur ; seu dicatur quinam gradus in linea collaterali concurrant. Utraque distantia sic v. g. exprimitur : sunt consanguinei in tertio gradu aequali, vel in tertio attingente primum. Consulendus est stylus S. Congregationis. Deficiente tamen formali exigentia, orator satisfacit qui mere tractum longiorem indicaverit. Cfr R. D. De Smet, *De sponsalibus et matrimonio*, nn. 597 et 846, ubi docet quidem utrumque tractum esse exprimendum, non tamen pro valore dispensationis.

Haud dissimili ratione, in formula facultatum dispensandi in impedimentis matrimonii, S. C. *de disciplina sacramentorum* a tertio et secundo gradu aequali distinguit tertium et secundum concurrentem cum primo.

In iure romano et hodiernis legibus civilibus, consanguinitas, non solum in linea recta, sed etiam in obliqua, ex distantia qua personae inter se distant, aestimatur. Quare ascenditur a priore persona usque ad stipitem et a stipite ad alteram personam descenditur, ut tot sint gradus quot fuerint in utroque tractu personae, una dempta. Itaque duo fratres sunt civiliter in secundo gradu ; avunculus et nepos, in tertio gradu consanguinei. Rationes computationis cfr apud S. Th. *Supplem.* q. 54 art. 2, c. vel nostrum opus, *Theol. mor.* III, n. 780, vel 784[2].

190. - De Affinitate. — « Affinitas oritur ex matrimonio valido sive rato tantum sive rato et consummato » (c. 97, § 1).

Itaque, fundamentum affinitatis quae in iure consideratur, non iam ponitur, ut olim, carnalis copula ; sed, sicut in plerisque legibus civilibus, ipsum matrimonium, idque ratum, vel ratum et consummatum. Tollitur ergo affinitas quae ex copula illicita inter non coniuges manare dicebatur ; inter coniuges autem, affinitas, non a copula perfecta, sed ab initio matrimonii validi, saltem inter *baptizatos* contracti, exoritur.

Saltem, inquam, *inter baptizatos* contracti. Matrimonium enim quod inter infideles contrahitur *certo*, quod autem inter baptizatum et infidelem contrahitur, secundum sententiam quae iam moraliter certa est, non est sacramentum nec proin *ratum* esse potest (c. 7 *De divortiis*, X, IV, 19 et c. 1015, § 1 et 3).

Quare qui in c. 97, § 1, urgent proprietatem verborum, negant ex tali matrimonio oriri affinitatem. Sunt complures : v. g. De Smet, *De sponsalibus et matrimonio*, ed. 3, n. 431 et 622 ; Cerato, *Matrimonium a Codice iuris can. integre desumptum* n. 72 ; Cappello, *De Sacramentis*, III, n. 538, 4 ; Chelodi, *Ius de personis*, n. 95 ; Claeys-Simenon, *Manuale iuris can.* n. 249, 2.

Alii existimant affinitatem oriri ex omni matrimonio valido. Ita Noldin, *De Sacramentis*, n. 576 vel, in nova editione, Noldin-Schmitt, n. 594 ; Schaefer, O. M. C., *Das Eherecht nach dem Codex I. C.*, p. 210 ; Ojetti, S. I. in *Ius Pont.* V, 71-76. Alii distinguunt, sive contendant oriri affinitatem tum ex matrimonio sacramento, tum ex *omni* matrimonio valido consummato : ita Wernz-Vidal, *Ius can.* II, n. 19; V, n. 367; sive admittant oriri ex matrimonio sacramento et ex matrimonio inter baptizatum et non baptizatum, non autem ex matrimonio duorum infidelium; ita Tanquerey, *Synopsis Theol. mor. et past.*, I, 991, atque etiam P. G. Michiels, O. M. C., *Ius Pont.* V, 158, existimans theoretice fundamentum impedimenti affinitatis esse omne matrimonium validum *legibus seu iurisdictioni Ecclesiae subiectum*. Ipse hac ratione nititur quod si huiusmodi matrimonium *invalidum* foret, induceret impedimentum publicae honestatis, atque absurdum foret ut nullum impedimentum oriretur ex matrimonio valido in iisdem circumstantiis.

Utcumque se res habeat, donec S. Sedes dubium non authentice diremerit, tuto negari potest affinitatem oriri ex matrimonio quod non sit sacramentum, ita ut vi can. 15 impedimentum affinitatis practice nullum pariatur.

Quia, ut affinitas oriatur, matrimonium *validum* requiritur, non sufficit *putativum*. De impedimento honestatis publicae, quod in talibus adiunctis contrahatur, cf. *Epitome*, II, n. 361 ; Cappello, S. I. *De Sacramentis*, III, De matrimonio, n. 538, 4°.

Affinitatis *computatio*. Sicut ante Codicem, affinitas « viget inter virum dumtaxat et consanguineos mulieris, itemque mulierem inter et viri consanguineos » (**c. 97**, § 2).

« Ita computatur ut qui sunt consanguinei viri, iidem in eadem linea et gradu sint affines mulieris, et vice versa » (c. 97, § 3).

IV. divisio ex ritu

191. - Ritus, etsi formam quamlibet sacrae functionis designat, saepe significat omnes sacras functiones quae unius aut plurium ecclesiarum propriae sunt. Sic intellectus continet administrationem sacramentorum et celebrationem S. Sacrificii ; preces et lectiones quibus Officium divinum constituitur ; sacramentalia. Diversitati liturgicae diversitas disciplinae addi potest, quae cum olim a quibusdam Patriarchis omnibus suis subditis imposita fuerit, nexum dependentiae constituit.

In Ecclesia latina, ritus qui a romano discrepant, partem tantum sacrae liturgiae afficiunt, neque ullam disciplinae diversitatem secum trahunt ; sunt autem ritus ecclesiae Mediolanensis, mozarabicus et quorundam Ordinum religiosorum. — In Ecclesia orientali, ritus simul diversitatem disciplinae annexam habent et ambitum iurisdictionis Patriarcharum definiunt. Sunt autem ritus bysantinus (qui olim dicebatur graecus), armenus, syrus sive occidentalis sive orientalis, maroniticus, copticus et ethiopicus.

Secundum **c. 98**, ascriptio ad ritum baptismo definitur neque licet

sine venia S. Sedis, extra casus iure determinatos, ab uno ritu ad alium transire.

Decreto 6 dec. 1928 S. C. pro Ecclesia Orientali, Legati Rom. Pontificis, in locis ubi habentur, a 1ª ian. 1929 facultate donantur permittendi transitum eorum qui non sunt sacerdotes. Preces per Ordinarium proprium transmittuntur. (*AAS*, XX, 1928, 416). Quaeret quis utrum in hoc canone de solis relationibus inter ritum latinum et ritum orientalem, complexive sumptum, an de relationibus quoque variorum rituum orientalium inter se agatur?

Pro priore solutione et contra alteram haec afferri possunt: *a*) Codex unam Ecclesiam latinam respicit, nisi ex natura rei vel expressis verbis aliud pateat, neque hic est cur relationes iuridicas Orientalium inter se definiat; *b*) § 2 agit expresse de solo ritu orientali complexive sumpto; *c*) ante Codicem, licebat ex uno ritu orientali ad alium transire, modo in utroque idem usus quoad ad panem fermentatum aut azymum vigeret, ex solo consensu duorum episcoporum a quo et ad quem (1); *d*) c. 756, § 2 qui administrationem baptismi regit, opponit ritum latinum ritui orientali complexive sumpto.

Ceterum, ni fallimur, etiam in Ecclesia orientali ad illum ritum quis pertinet in quo legitime baptizatus fuit: quare vera sunt prima verba canonis in utroque sensu intellecta (2).

1. Ritus determinatur baptismo, nisi is a ministro alieni ritus collatus fuerit vel fraude, vel ob necessitatem, vel ex dispensatione pontificia reservante ritum (c. 98, § 1).

Si laicus puerum in periculo versantem baptizaverit, iste ad ritum patris catholici pertinebit, nisi aliud iure particulari definiatur. Cfr c. 756. Adulto baptizando optionem ritus manere existimant Blat in c. 756 et Ojetti, II, p. 96, 3.

2. S. Sedes saepe et graviter prohibuit clericos fideles ritus latini ad orientalem, aut e converso inducere (c. 98, § 2); idque valet etiamsi de schismatico agatur qui ad unitatem fidei redeat.

3. Transitus vel reditus ad alium ritum veniam S. Sedis requirit (c. 98, § 3).

Venia difficilius conceditur si agatur de transitu a ritu latino ad orientalem, quia ritus Sedis Romanae praecedentiam quandam iuris obtinet. Quando orientalis schismaticus ad unitatem Ecclesiae redibat, ex C. Leonis XIII, *Orientalium dignitas*, n. VII (3) licebat ei ad ritum latinum transire aut ex decr. S. C. de P. F., 20 nov. 1838 (4) ad ritum orientalem qui magis ei placeret. Illud ius textu canonis sublatum non censemus ob causas supra citatas.

4. Mulier potest tamen ad ritum viri, ineunte vel durante matrimonio, transire; et, soluto matrimonio, proprium ritum resumere, nisi iure particulari aliud cautum sit (c. 98, § 4).

Ius particulare erat v. g. de Italo-graecis, ex C. Benedicti XIV, *Etsi pastoralis*, 26 maii 1742, VIII, 8. 9. 10.

5. Mos sumendi alieno ritu s. synaxim, mutationem ritus non infert (c. 98, § 5).

(1) *S. C. P. F.*, decr. 20 nov. 1838. — *Coll. P. F.*, I, 878.
(2) De vetere iure cf. Arendt, S. I., *Die gegenseitigen Rechtsverhältnisse der Riten in der Kath. Kirche Arch. f. KKR.*, t. 71 (1894), 193, ss.
(3) *Coll. P. F.*, II, 1883. — (4) *Coll. P. F.*, I, 878.

Art. II. — De personis moralibus

Scriptores : D'ANNIBALE, *Summula*, I, 43-46. — BLAT, *Commentarium textus*, etc. II. pp. 26-30. — GILLET, P. *La personnalité juridique en droit canonique*. — OJETTI, *Commentarium*, II, in cc. 99-102. — MAROTO, *Institutiones*, etc. I, nn. 458-476. — WERNZ-VIDAL, *Ius canonicum*, II, nn. 27-34.

192. - Personae moralis notio.

De ipsa personae moralis ratione, non paucae sunt controversiae, ita ut non desint qui doleant quod in legibus recentioribus nomen istud usurpetur. Dummodo autem intacta maneant iura quae Ecclesiae catholicae et Apostolicae Sedi vindicat, Codex, cum nullam tradat, nullam imponit de persona morali sententiam. Notiones adhuc pluribus acceptas hic proponemus.

Persona moralis, vi nominis, ea est quae in morali existimatione persona habetur. Cum omnis persona physica pro persona haberi debeat, nulla est persona physica quin simul sit moralis. Verum moralis persona strictius dicitur id quod, physica entitate et unitate carens, nihilo minus rationem personae participat ; et quidem plene, si simul subiectum sit inviolabile seu independens a personis aliis, physicis vel moralibus, et iura habeat ; minus plene, si iura quidem nonnulla ei competant, sed, qua subiectum violari, supprimi possit (cfr supra, n. 177). Personae istae dividuntur in *veras* et *ficticias*. Verae personae morales sunt societates personarum : hae obiective unitatem habent cum fine proprio, ac proin esse et bonum commune. Ficticiae sunt quaedam res seu patrimonia quae, separata a dominio aliarum personarum, dispositione legis addicuntur alicui fini utili, propter quem administrantur et augeri vel minui possunt. Prout ad publicum Ecclesiae vel ad privatum fidelium bonum directe constitutae sunt, dicuntur *publicae* vel *privatae*.

193. - Personae moralis ecclesiasticae constitutio et exsistentia.

I. Codex affirmat :

1. Esse in Ecclesia personas morales ; easdem publica auctoritate, non ergo privatorum hominum voluntate vel potestate, constitui ; easque distingui in personas *morales collegiales* et *non collegiales* (**c. 99**).

Stricte collegiales sunt collegia organice constituta, v. g. capitula canonicorum ; *minus stricte* sunt omnes personae morales quae personis physicis constant, v. g. congregatio religiosa. Aliae sunt *non collegiales*, v. g. ecclesiae, seminaria. Seminarium enim non consideratur hic ut persona moralis, quatenus praeside, professoribus et alumnis componitur ; sed quatenus patrimonium quoddam exsistit istis personis alendis et hospitandis destinatum, et in hunc finem administratum.

2. Catholicam Ecclesiam et Apostolicam Sedem, ex ipsa divina ordinatione, moralis personae rationem habere (**c. 100**, § 1).

Et cum sint omnino inviolabiles, plenissime sunt personae morales. Nomine Sedis Apostolicae non veniunt hic singulae Congregationes Romanae, etc. ; sed ipsa Sedes pontificia seu episcopatus romanus, cum corporibus vel organis quibus in concreto exsistit.

3. Ceteras inferiores personas morales in Ecclesia, personalitatem sortiri, sive ex ipso iuris praescripto, sive ex speciali competentis Superioris ecclesiastici concessione (ibid.).

His verbis non negatur personas physicas conaturaliter in Ecclesia sicut in societate civili, conflari in varias consociationes quae de se iam habent quandam unitatem ac proin personalitatem. Verum omnium consociationum affirmatur subordinatio ad Ecclesiam et Sedem Apostolicam, qua fit ut nulla legitime exsistat quae ab Ecclesia vel S. Sede reprobata sit ; ut omnes praescriptis sibi condicionibus satisfacere debeant ; et ex formali agnitione iura et protectionem nanciscantur quibus earum personalitas veluti completur. R. P. MAROTO voca *personas collectivas* huiusmodi consociationes. De earum ratione exsistendi plura tradit quae accurate perpendenda erunt, ubi de associationibus fidelium et de bonis temporalibus agendum nobis erit (Cf. MAROTO, I, n. 474).

II. Codex praeterea statuit :

1. Specialem concessionem quae personae morali inferiori originem dat, fieri debere per formale decretum ad finem religiosum vel caritativum (c. 100, § 1).

2. Nullam personam moralem collegialem constitui posse, nisi ex tribus saltem personis physicis (c. 100, § 2).

3. Personas morales omnes, minoribus aequiperari (c. 100, § 3). Quare prudenti earum rerum administrationi speciatim cavetur.

194. - Personarum moralium actio. Personae morales, natura sua impediuntur quominus ipsae per se aliquid agant ; sed agere debent per personas physicas a quibus, in hunc finem, repraesentantur : sive *per personas singulares*, puta Superiores, sive *per coetus personarum et communia suffragia.*

I. *De actione personae collegialis.* Ista actio potest ipsa esse collegialis, vel non collegialis, per Superiorem. Hic de actione collegiali seu per ipsum coetum (c. 101 § 1), in c. 105 de actione per Superiorem. De hac ubi de actibus personarum i. e. in art. III. *communia de actibus personarum.*

1. Regulae actionis collegialis in primis desumendae sunt ex sanctionibus quas de variis personis ius sive commune sive particulare tulerit.

Sic stylus S. Congr. *de Religiosis* istud habet ut in electione Superioris vel Superiorissae generalis, post tertium inutile scrutinium, suffragatio circumscribatur iis qui maiorem numerum suffragiorum obtinuerint, ita ut electio per se fiat inter duos tantum. Si dein hi sint suffragiis pares, is censetur electus qui antiquior sit professione vel saltem aetate.

2. Dein valere dicitur pro actione personae moralis, seu vim iuris habere, quod, demptis suffragiis nullis, placuerit parti absolute maiori eorum qui suffragium ferunt ; — aut, post duo scrutinia inefficacia, quod placuerit parti relative maiori in tertio scrutinio. — Si suffragia aequalia fuerint, *post* tertium scrutinium, praeses, suo voto, paritatem dirimat. Attamen, si agitur de electionibus, praeses tali iure potest

non uti. Et tunc, si paritatem dirimere nolit, electus habeatur senior ordine, vel prima professione, vel aetate (c. 101, § 1, 1°).

Itaque, ad aestimandam maioritatem absolutam, nulla ratio habetur suffragiorum quae nulla sunt : qualia sunt quoque quae dicuntur « per albam schedam » data. Cfr OJETTI II, p. 134. Sint triginta suffragia, quorum decem sint nulla : undecim maioritatem absolutam perficient. Si impar fuerit numerus suffragiorum validorum, excessus unius suffragii ad absolutam maioritatem complendam satis est. Sic etiam MAROTO, n. 467, 2.

R. P. MAROTO, n. 467, 4°, semper praesidi permittit ut isto suo iure dirimendi non utatur, ita ut negotium maneat non solutum, sed ad nova scrutinia deveniatur. Nobis non ita videtur, nisi particularia statuta aliter rem disposuerint. Id enim statutis disponi posse ex ipso c. 101 colligitur. Verum, hoc omisso, cum canon utatur verbo per se praeceptivo *dirimat*, cum natura negotiorum per se postulet solutionem, et res dirimendae sint modo qui lege praescribitur, praeses suo iure uti debere videtur ; nec possit arbitrio suo rem novo scrutinio committere. Si praeses non est de gremio, Codex ei ius suffragii confert. OJETTI p. 131.

Tres praelationis tituli qui in fine numerantur, sunt inter se subordinati, ita ut primo ad ordinationem, dein ad professionem, non quidem ultimam sed primam, tum ad aetatem per se respiciendum sit. Sermo non fit hic de auctoritate, cum omnes paris potestatis esse in collegio censeantur.

3. « Quod autem omnes, uti singulos, tangit, ab omnibus probari debet » (c. 101, § 1, 2°).

Principium istud valde attendendum est, ne iura singulis quaesita laedantur. Iam antiquitus regula ista hoc modo proponebatur : « Quod omnes tangit debet ab omnibus approbari » (Reg. 29, R. I. in 6°), ita ut Codex additis vocibus *ut singulos*, idem distinctius enuntiare voluerit.

Sane, nulla lex, nullum decretum commune fertur, quin etiam singulorum intersit, vel singulos afficiat. Verum regula ista prohibet ne maioritas decernat efficaciter quod singulos ita tangit ut rei onus (sive agatur de privatione, sive de nova obligatione) invitis non possit sine iniuria imponi. Scilicet, in omni communitate personarum, media sunt ad bonum commune utilia, quae communia facta esse intelleguntur, ita ut auctoritas communis, sive Superioris, sive maioritatis, de iis disponere queat ; et alia sunt quae propria singulorum manserunt vel effecta sunt. De his nequeunt singuli spoliari inviti, nisi ab auctoritate suprema quae, propter bonum commune, valet ad res privato dominio eripiendas. Quaenam autem sint communis dispositionis, quaenam maneant immediate singulorum, id aliter pro alia communitatis ratione et constitutione definiendum est. Unanimem dicunt requiri assensum, cum agitur de suppressione iuris singulorum, vel de suscipienda obligatione prorsus nova et indebita. Ipse Codex, c. 172, § 1, exemplum affert electionis per compromissum. Cum singuli electores ius directi suffragii habeant, compromissum, quo electio uni vel quibusdam perficienda committitur, omnes et singulos tangit et ab omnibus approbari debet. Id quidem per se. Non repugnat tamen, quin in fundamentali collegii lege, detur maioritati facultas imperandi compromissum, quia lex fundamentalis potuit ius eligendi singulis minus absolute concedere vel conferre. — Casus vero rei tangentis omnes ut singulos in deliberationibus capitulorum, maxime religiosorum, occurrere possunt : ut cum agitur de reformatione, de nova observantia amplectenda, de forma Instituti mutanda, de unione cum alio Instituto. Praeter casus manifestos, alii controverti poterunt, de quibus securius erit adire S. Sedem, quae iura quaesita tollere potest.

II. *De actione personae moralis non collegialis*, Codex servanda dicit statuta particularia et normas iuris communis si quae eas personas respiciant (c. 101, § 2). Quare earum actio explicabitur in ipsis titulis de ecclesiis, de seminariis, de beneficiis, de fundationibus.

195. - Personarum moralium perseverantia (c. 102). — Contra ac plures leges civiles statuunt, quae temporalem tantum, ad 30 vel ad 99 annos personalitatem moralem concedunt, persona moralis ecclesiastica perpetua est.

Exstinguitur tamen : *a*) si a legitima auctoritate supprimatur ; — *b*) si per centum annorum spatium esse desierit. — In uno autem superstite membro, omne ius personae collegialis perseverat.

Itaque, infra centum annos, persona moralis quae desierit, reviviscere poterit sine novo decreto, cum assensu Superioris competentis, qui plerumque erit necessarius. Unus vero superstes religiosus poterit ergo cooptare novicios, administrare bona, etc. Statuta tamen alium minimum numerum exigere possunt. Cfr OJETTI, II, p. 144.

Art. III. - Communia de actibus personarum

I. *De vi, metu, dolo.*

196. - 1. Notiones. Vis est *motio cuius principium est extra, in contrarium renitente eo qui patitur. Absoluta* dicitur cui plene, sed frustra resistitur.

Metus definitur: *instantis vel futuri periculi causa mentis trepidatio. Gravis* est aut *levis*, prout animum vehementer afficit an non. Distinguitur quoque metus proveniens *ab intrinseco* aut *ab extrinseco*, prout a causa necessaria aut libera incutitur. Cfr *Per.* XVII, 138* ss. Quod ad valorem actuum, magni momenti est discrimen inter metum *iuste* aut *iniuste* incussum. Sed de his fusius n. 91. 92 est disputatum.

Dolus est omnis calliditas vel sollertia ad decipiendum apta. Distinguitur *bonus* seu excusabilis, et *malus* de quo hic tantum agitur. Is definitur : *calliditas, fallacia, machinatio ad circumveniendum, fallendum, decipiendum alterum (contra ius) adhibita.*

2. Efficacia *vis, metus* et *doli.* Omnis *vis* irresistibilis actum infirmat (c. 103, § 1) ; *metus* gravis et iniustus vel *dolus*, nisi aliud iure caveatur, actum per se non infirmant ; sed locum dant rescissioni a iudice, sive ad petitionem partis laesae, sive ex officio (c. 103, § 2. Cf. cc. 1684-1689).

Mirari quis possit cur in eodem canone 103, § 2 de metu et de dolo agatur. Metus enim voluntatem, dolus intellectum afficit, idque efficiendo errorem, de quo in c. 104.

Dolus, si errorem substantialem induxerit, actus ex eo factus nullus est ; si dolus causam dederit contractui, locum dat, sicut metus,

actioni rescissoriae, de qua in t. III, n. 112. Paritas ergo aestimationis et remedii videtur causa fuisse cur in eodem canone de metu et dolo actum sit (Sic Wernz-Vidal, II, 43). Propria autem vis huius canonis de dolo haec nobis esse videtur : allegatio doli qua talis non sufficit ad infirmandum actum, sed error substantialis vel causam dans praeterea demonstrandus est. In casibus autem ubi dolus ex iure actum infirmat, error praesumitur dolum secutus, et satis est ut dolum alleges ad vincendam causam, nisi alter probet nullam re vera deceptionem adfuisse.

Ut reservare possit quaestionem de valore, attento solo iure naturali, matrimonii contracti ex vi et metu, vel contractus gratuiti metu extorti, R. P. Vidal, II, 37, nota 4, verba « nisi aliud iure caveatur », non de solo iure positivo sed etiam de iure naturali intellegenda putat. Id nobis non videtur necessarium. Canon regulam generalem, non vero universalem statuit. Agit de sola efficacia metus, qua talis. Alia autem causa, praeter propriam metus efficaciam, nullitatem actus facti ex metu efficere potest. Sic, natura sua, contractus gratuitus et fortasse matrimonium ultroneum consensum qui metus influxu impeditur, postulant.

3. Iure saltem positivo, plures actus ex metu facti *invalidi* fiunt :

1. « Invalidum est *matrimonium* initum ob vim vel metum gravem ab extrinseco et iniuste incussum, a quo ut quis se liberet, eligere cogatur matrimonium » (c. 1087, § 1).

2. « Invalide ad *noviciatum* admittuntur... qui religionem ingrediuntur vi, metu gravi... inducti, vel quos Superior eodem modo inductus recipit » (c. 542, 1o).

3. « Ad validitatem *cuiusvis professionis religiosae* requiritur ut... 4o Professio sine vi aut metu gravi... emittatur » (c. 572, § 1).

4. « Votum metu gravi et iniusto emissum ipso iure nullum est » (c. 1307, § 3).

5. « Renuntiatio ex metu gravi, iniuste incusso... irrita est ipso iure » (c. 185). Agitur ibi de renuntiatione officii ; atque idem de beneficii renuntiatione valet.

4. *Iuramentum* per metum gravem extortum valet quidem, sed a Superiore ecclesiastico relaxari potest (c. 1317, § 2).

Qui, postquam *ordinem sacrum* metu gravi coactus recepit, ordinationem, remoto metu, ratam non habuerit, obtinebit a iudice ut sine ullis coelibatus et horarum canonicarum obligationibus, ad statum laicalem redigatur (c. 214, § 1).

Regula demum generalis haec statuitur : « *Actus* positi *ex metu gravi* et *iniuste* incusso... valent, nisi aliud iure caveatur ; sed possunt ad normam cc. 1684-1689 per iudicis sententiam rescindi, sive ad petitionem partis laesae sive ex officio » (c. 103, § 2).

II. *De errore.*

197. - 1. Dum *ignorantia* dicit privationem scientiae aliquo modo debitae, *error* est *falsum iudicium*. In iure tamen aequiperantur. Distinguitur error *iuris*, qui est magis stricte de significatione legis, paulo latius de ipsa legis exsistentia ; et error *facti*, qui est de

exsistentia vel elementis facti, cui ius applicandum sit. Error erit *iuris*, si putes testamentum non esse, in iure civili, actum certa forma vestiendum ; vel si ignores esse leges de clausura religiosorum. Error *facti*, si ignores talem domum esse conventum.

Distinguitur praeterea error *substantialis*, qui substantiam actus vel contractus afficit, et error *accidentalis*, seu circa accidentalia.

Si velis dono accipere quod alter solummodo vendere intendebat, vel petieris coadiutorem, dum episcopus te putavit renuntiantem officio, error est substantialis. Accidentalis erit de qualitate paroeciae cui praeficeris. Error de se accidentalis potest aequivalere substantiali, si qualitatem ut condicionem *sine qua non* formaliter vel aequivalenter postulaveris.

Error accidentalis interdum causam dat contractui et interdum talis est ut, errore non exstante, actus nihilo minus factus esset.

2. *Error* circa substantiam actus vel qui recidat in condicionem *sine qua non*, actum irritat ; secus autem actus valet, nisi aliud iure caveatur : « in contractibus error locum dare potest actioni rescissoriae ad normam iuris » (c. 104).

De actione rescissoria propter errorem, cf. *Epitome*, III, n. 113.

197bis. - III. *De actione Superioris.*

Codex non coniungit immediate cum actione collegiali id quod personae morales efficiunt per deputatum virum seu per Superiorem. Ista enim actio Superioris non semper est actio facta pro persona morali saltem stricte dicta. Et cum Superior sit persona physica, quaestio ista inter communia utriusque generis personarum apte poni potest.

1. *Quaedam* Superior potest *solus* ; *plura* ei *non* permittuntur *sine consensu* vel *consilio aliquot aliarum personarum*. Si *consensus* exigatur, Superior contra eorundem votum *invalide* agit ; si *consilium* tantum, satis est, ad valide agendum, ut Superior personas illas audiat. Ipsi tamen commendatur ut concordibus earum suffragiis plurimum deferat (c. 105). — Simul docemur verbis : *de consilio consultorum, audito Capitulo, parocho*, mere consilium requiri.

Quod *satis* est ad valide agendum estne etiam *necessarium*, ita ut Superior qui personas non audierit semper invalide agat? Plures id putant, v.g. LEITNER, *Handb. des kath. KR.*, I, ed.2, § 12, p. 77; MAROTO, *Instit.*, I, n. 471 ; FERRERES, *Instit.*, I, n. 229; et maxime OJETTI, S. I. in *Ius Pont.*, 1927, p. 13 ss. et *Comment.* II, p. 186 ss.

Donec authentica declaratio non prodierit, existimamus canonem 105 prudenter abstinuisse universali pronuntiatione cuius gravia consectaria, — in tam multis casibus ubi Codex praecipit auditionem vel quorundam vel etiam unius personae, — possent prorsus a mente Codicis et a longo usu esse aliena. Finis Codicis in c. 105 est ut definiatur utrum necne a voto personarum quas interrogare debet Superior recedere possit. Per verba autem « satis est ad valide agendum » mere affirmat valorem actus discedendi qui tamen non semper est licitus, ut statim insinuatur. Qua vero necessitate interrogandae sint, declarare hoc loco *nec*

debebat nec volebat. Ac re vera, consilium in alio casu ad ipsum valorem, in alio autem ad licitum modum pertinebit.

Hac ratione tribuimus legislatori, in isto Codicis initio, ubi summa opus est attentione ad vim verborum, accuratum modum dicendi. Quisnam enim ignorat non raro etiam in usu vulgari declarari sufficientia quae non sunt stricte requisita? Quare qui mere dicit : « hoc sufficit », nec affirmat nec negat idem esse necessarium. Dum in adversa sententia verba : « satis est » Codicis complenda forent quasi scriptum sit « satis est et necesse est ad valorem », sicut revera, ambo coniunguntur in c. 514 « requiritur et sufficit » ad valorem ; c. 556 § 2 « necesse et satis est ».

Ante Codicem, SCHMALZGRUEBER, auctor classicus, in L. III, t. X, n. 16 ad sic positam quaestionem : « Dubitatur an quando ex lege vel mandato imponitur alicui obligatio ad agendum cum consilio alterius, actus factus non exquisito consilio sit semper nullus » ilico respondet : « Resp. *negative.* » Atque ante ipsum, PASSERINI in III Decr. in 6º, C. *Ne sede vacante*, n. 47 idem pronuntiaverat. Frustra his verbis opponitur locus ubi SCHMALZGRUEBER ex positiva lege « Novit » concedit negotia alicuius momenti, non requisito consilio capituli ubi deberet, fore irrita. Nam qui declaravit, actus sine petito consilio *non est semper nullus*, non negat, immo potius supponit esse casus nullitatis: quae est etiam positio nostra.

Quid, quod non semel ipse Codex in iisdem titulis ubi plures canones exigunt petitionem consilii, aliis canonibus sanctionem nullitatis *expresse* addit, aliis vero non. Ut quid huiusmodi distinctio, si canone 105 iam statuerat consilia semper requiri ut valeant actus ? cfr c. 388, 428, 2148, 2152. 2153, 2154, 2165 inter plures allegatos a cl. BOUDINHON, in praeclara sua disputatione circa can. 105, *Ius Pont.* 1928. p. 32. 33. Accedit quasi a priori istud argumentum. Quando mere peti debet consilium a quo Superior recedere potest, omnis efficacia est in voluntate Superioris. *Per se* autem valor actuum a solo elemento « *causali* » pendere debet.

R. P. OJETTI in suo « Excursu » pulcherrimas considerationes praeponit de regimine aliqua ratione collectivo quod Ecclesia ab antiquo tenuit, commendavit, imperavit. Verum haec perfectam nullitatis sanctionem non postulant.

Neque istud praetereundum est, ius Decretalium de interrogando Capitulo in plerisque locis in desuetudinem abiisse. Iam REIFFENSTUEL, L. III, C. X, § 1 n. 27, refert secundum plures scriptores « hodie dici posse titulum *De his quae fiunt a Praelato sine consensu capituli* recessisse ab aula, quia Episcopi hodie omnia expediant sine consensu ; introductum esse ut in plerisque casibus sine consensu vel consilio Capituli Episcopi procedere valeant ».

Haec ostendunt rei difficultatem, et simul minus veri simile efficiunt Legislatorem in tam multis casibus tulisse sanctionem nullitatis ob quam sexcenti actus nutarent! Atque est Legislator, qui in canone 11 noluit ut leges essent irritantes aut inhabilitantes, nisi *expresse* aut aequivalenter actum esse nullum aut personam esse inhabilem statueretur !

Ne lector existimet singularem a nobis proferri sententiam has pro nobis auctoritates subiungimus. *Revue ecclésiastique de Metz* 1922, T. 29, p. 153 ; R. D. BOUDINHON, *Ius Pont.*, VIII, 11, 29-35; R. P. CREUSEN, S. I., *N.R.Th.* 1928, 100 sq.; R. VROMANT, C. I. C. M. in opere *De bonis Ecclesiae temporalibus.* Atque merito monebamus quaestionem a R. P. VIDAL in *Ius Decr.* II, silentio praeteriri, cum postea nobis exploratum sit ab ipso et a R. D. CLAEYS BOUÚAERT (quem nobis opponebant) doceri canone 105 non praecipi auditionem consilii sub sanctione nullitatis. Idem etiam tenetur a cl. VAN HOVE et TRIEBS.

Nullatenus contra nos appellari potest locus SUAR. *De Legibus* L. VIII. c. 13, propter verba « Si datur alicui facultas faciendi aliquid, ut dispensandi, absolvendi, puniendi cum consilio alicuius, tunc petitio quidem consilii ad substantiam formae pertinet ». Etenim SUAREZ ibi mere agit de privilegiis, et inquirit quaenam sit eorum forma substantialis, quod sane ad nominationem vicarii ab episcopo traduci nequit.

Si quis autem obiciat petitionem consilii pertinere ad formam actus, servandam

autem esse formam actus ut valeat, respondemus hac facili distinctione : petendum consilium non est *forma actus*, sed forma *circa actum*, quae *iuridice* substantialis vel accidentalis esse potest ; non erit autem substantialis, nisi consilium sub condicione actum irritante quaerendum sit, ut habet Card. Soglia, *Instit. iuris ecc. privati.* C. III, § 22 *De potestate Capituli cathedralis.*

Praeterea, quod probe notandum est, quotiens non unius tantum vel alterius personae, sed plurium simul consensus vel consilium requiritur, *communis* deliberatio instituenda est. Cfr Wernz-Vidal, II n. 33 ; et quidem ad valorem ut videtur Ojetti, II, p. 183.

Non sufficit igitur, nisi hoc expresse concedatur, sicut canon 302 id Vicario et Praefecto Apostolico permittit, ut consiliarii separatim interrogentur ; debent mentem aperire in communi consultatione, in qua, ex aliorum sententiis et rationibus, lumen ipsi mutuari possunt. Quare omnes convocandi sunt. Defectus tamen convocationis non obstabit, si praetermissi nihilo minus interfuerint (c. 105, 2° ; 162, § 4).

In ista communi deliberatione, in qua omnes « debent ea qua par est reverentia, fide ac sinceritate sententiam suam aperire » (c. 105, 3°), valere videtur de suffragatione quod c. 101, § 1, 1° definitur. Nisi ergo aliter statutum sit, ius erit praesidis dirimendi, post tertium scrutinium, paritatem.

Pro vario casu, praeses erit vel ipse Superior qui cum suffragio deliberativo Consilii sui quaedam decernere debet, vel alius, puta primam Capituli dignitatem, quando Superior (v. g. episcopus) est extra collegium, puta Capitulum.

Superior eos quos sic consulit adigere potest ad iuramentum de secreto servando praestandum (c. 105, 2°).

2. Quid, quando Codex exigit ut Superior agat *cum Consilio* seu *Capitulo?* Iste modus dicendi quadam tenus ambiguus est ; aliud tamen est quidpiam tribuere ipsi Consilio, aliud quidpiam committere Superiori cum suo Consilio. Quare, per se, cum potestas Superioris favorabilis sit, existimamus tunc sufficere ut, audito Consilio vel Capitulo, agat. Iam tunc enim agit cum Consilio seu Capitulo.

Art. IV. - De praecedentia personarum

198. - Salvis normis specialibus, quae suo loco traduntur :

1. « Qui alius personam gerit, ex eadem obtinet praecedentiam, sed qui in Conciliis aliisque similibus conventibus procuratorio nomine intersunt, sedent post illos eiusdem gradus qui intersunt nomine proprio » (c. 106, 1°). Exceptio ista fit quia non stricte repraesentant personam. Cfr Ojetti, II, p. 205.

2. Auctoritas in personas dat praecedentiam super illas (c. 106, 2°).

3. Deficiente auctoritate, prioritas aestimatur primo ex potiore *gradu*, dein ex *ordine* potiore, tum ex priore *promotione* ad gradum ; postea ex priore ordinis *receptione*, nisi iunior ordinatus fuerit a S. Pontifice ; denique praecedit senior *aetate* (c. 106, 3°).

Quid est *gradus?* Gradus non refertur ad hierarchiam *iurisdictionis :* namque haec daret auctoritatem de qua hic n. 2 dictum est ; neque ad hierarchiam *ordinis*

namque de hac immediate post gradum fit sermo. Sed dicit, modo generali, aliquam *praeeminentiam tituli* seu *nominis*, non attendendo ad efficientiam quam habere vel qua carere possit. Gradus erit, v. g. in Ecclesia latina *Primatis*, *Patriarchae* quamvis in ista Ecclesia sint tituli mere honorifici ; gradus erit *Archiepiscopi* titularis, vel qui nullos habet suffraganeos ; immo archiepiscopi metropolitani quoad eos qui ipsi non sunt subordinati. Quare, quia episcopi simpliciter qua episcopi ordinem habent in Conciliis, *Comm. I. C.* 10 nov. 1925 ad II respondit praecedentiam inter Episcopos suffraganeos non a die promotionis ad Ecclesiam sed a die praeconizationis seu electionis ad episcopatum definiendum esse. (AAS., XVII, 1925, 582 ; *Per.*, XIV, 177, ss.).

4. Nulla ex ritu praecedentia oritur (c. 106, 4°).

5. Inter varias *personas morales* eiusdem speciei et gradus, illa praecedit quae est in pacifica quasi-possessione praecedentiae ; si de hoc non constet, quae prius in loco ubi quaestio oritur instituta est.

6. Inter sodales eiusdem collegii, primo propriae constitutiones, dein consuetudines, tum praescripta iuris communis attendenda sunt (c. 106, 5°).

Loci Ordinarii est praecedentias *inter subditos statuere* secundum normas iuris communis, legitimas consuetudines, et munera ipsis commissa ; et *controversias* etiam inter *exemptos*, quatenus collegialiter cum aliis procedunt, in casibus urgentioribus componere, remota omni appellatione in suspensivo, sed sine iuris praeiudicio (c. 106, 6°).

7. Pontificiae Domus sunt propriae regulae et traditiones (c. 106, 7°).

Applicationes. Legati Romani Pontificis « licet forte charactere episcopali careant », praecedunt tamen episcopis, nisi hi sint simul Cardinales (c. 269, § 2).

Procurator archiepiscopi, in Concilio provinciali sedebit ante episcopos, post alios archiepiscopos et post praesidem Concilii : is enim, propter auctoritatem quam habet ibi supra alios, his praecedit ex c. 106, 2°. — De ordine autem quo in eodem Concilio diversae personae sedere debent, cfr *Caer. episc.* l. 1. c. 31.

Quare in Concilio Provinciali Mechliniensi, anni 1920, is servatus est ordo praecedentiae : Eminentissimus Archiepiscopus — Nuntius Apostolicus — Episcopi suffraganei — Episcopi titulares (1) — Abbates monasteriorum sui iuris — Delegati Capitulorum cathedralium, servato ordine promotionis respectivi episcopi — Delegati e clero dioecesano secundum ordinem dignitatis singulorum — Superiores maiores religionum clericalium exemptarum. Quando vero sollemni processioni ipsum Capitulum metropolitanum intererat, tunc abbates praecedebat.

Vicarii foranei praecedunt parochis ; archiepiscopi et episcopi residentiales, praecedunt titularibus ; archiepiscopi titulares, episcopis titularibus ; prius promoti episcopi, aliis ; prius ordinati, attento gradu, posterius ordinatis : unde qui prius ordinatus est sacerdos, praecedit alii qui prius fuerit diaconatu auctus. Observes tamen episcopum prius in consistorio promotum praecedere episcopo qui prius consecratus est sed tardius promotus.

N. B. De praecedentia religiosorum fuse agit R. P. Larraona in *Commentarium pro religiosis*, tom. IV.

109. - « Ex divina institutione, sunt in Ecclesia *clerici* a *laicis*

---

(1) An recte post suffraganeos locum habuerint, dubitari potest. Namque *Caeremoniale episc.*, L. I, c. 31. n. 15 simpliciter statuit ut episcopi praecedant secundum ordinem suae promotionis. Cfr de Praecedentia varia responsa apud Pallottini, *Collectio omnium Concl. et Resol. S. C. Cons.* t. XV, v. *Praecedentia.* n. 84 sq.

distincti, licet non omnes clerici sint divinae institutionis ; utrique autem possunt esse *religiosi* » (c. 107).

Ex ipso Christi instituto, Ecclesia est societas inaequalis, in qua alii Praelati, alii subditi sunt. Accessum autem ad potestatem a Christo collatam, Ecclesia ulterius determinavit.

Laici (λαικός ex λαός) sunt quibus omnis participatio potestatis sive iurisdictionis, sive praesertim ordinis deest ; *clerici* (κλῆρος seu sors, hereditas) [2], qui aliquam saltem partem alterutrius potestatis acceperunt. Religioso autem qua tali nulla competit potestas ecclesiastica, accessus vero ad eam permittitur viris qui debitas conditiones implent. Religiosi quod ad Ecclesiae *constitutionem* tertium praeter laicos et clericos statum *non* formant ; quia tamen iura et officia quaedam stabilia obtinent, canonice ad statum aliquem pertinent, sc. perfectionis acquirendae.

Hoc canone fit transitus ad primam partem Libri, quae est de Clericis.

PARS PRIMA · DE CLERICIS

(I. Creusen, S. I.)

Haec pars in duas sectiones dividitur, quarum prior iura et officia quae sunt omnibus clericis communia, altera quae sunt singulorum hierarchiae ecclesiasticae membrorum propria determinat.

SECTIO I · DE CLERICIS IN GENERE

Scriptores : d'Annibale, I, 87, ss. — Gasparri, *Tract. de sacra ordinatione*, I n. 1, ss. — De Meester, *Compendium* 19, n. 338, ss. — Hilling, N., *Das Personenrecht*. — Maroto, *Institutiones*, n. 484, ss. — Wernz-Vidal, S. I., *Ius canonicum*, II, n. 47, ss.

Notio clerici et hierarchiae

200. Ordo Codicis. — Ipsi sectioni de clericis in genere parva introductio praeficitur, praebens 1° definitionem clerici (c. 108, § 1), notionem generalem hierarchiae (c. 108, § 2) et iuris quo eius gradus constituuntur (c. 108, § 3) ; 2° principium theologicum de cooptatione in sacram hierarchiam sive ordinis, sive iurisdictionis (c. 109) ; 3° notionem Praelati, quia hi sensu stricto potiorem quendam locum in hierarchia iurisdictionis obtinent (c. 110).

1. Clerici dicuntur « qui divinis ministeriis per primam saltem tonsuram mancipati sunt » (c. 108, § 1).

Clerici sub vetere iure, *latiore* quodam sensu, ideoque *in materia favorabili*, intellegebantur omnes personae Deo publice addictae, i. e. praeter tonsuratos

---

(1) « Vel quia de sorte sunt Domini, vel quia ipse Dominus sors, id est pars clericorum est » (S. Hieron., *Epist. ad Nepotian.*, 5 = c. 5. C. XII, q. 1).

religiosi utriusque sexus, immo et novicii ; *in materia odiosa*, vox *strictiore* non proprio sensu adhibita, solos clericos *saeculares inferiores* designabat, exclusis episcopis, dignitatibus, canonicis qui dignitatibus aequiperabantur et Regularibus. — Iamvero ipse Codex duplicem sensum non distinguit : religiosis et noviciis privilegia communia clericorum communicat (c. 614) ; in poenis applicandis, Cardinales et episcopos a certis legibus eximit (c. 2227, § 2) ; in delictis definiendis, clericos minores et maiores, religiosos clericos vel laicos ipse distinguit (cf. c. 2376, ss.). Quare vox *clericus*, proprio sensu ubique intellegatur, nisi ex contextu contrarium constet, v. g. in rubrica tit. XXX, libro IV° (1).

2. Inter clericos duplex inaequalitatis et subordinationis causa est, sc. diversa participatio potestatis ordinis et iurisdictionis (c. 108, § 2). Saepe tamen strictiore sensu *de hierarchia* dicuntur qui altiorem quandam potestatem habent, sc. ordinem episcopalem vel iurisdictionem fori externi ; ceteri *sub* hierarchia constituuntur.

Hierarchia *abstracte* est sacer principatus ; *in concreto*, designat seriem personarum quae alterutra potestate, vario gradu, fruuntur.

1° Ordo est potestas perficiendi sacras functiones, praesertim ad altaris ministerium, vi ritus sacri a Christo vel Ecclesia instituti collata.

Ordo duplici elemento constat, sc. *potestate* circa res sacras et *ritu sacro*, cui ex institutione Christi vel Ecclesiae tamquam causae annectitur. Hinc coniuges ordinem non exercent cum sacramentum matrimonii conficiunt, nec laicus qui baptizat. Non enim vi potestatis *ritu sacro* collatae sacramentum conferunt. Ipse ritus sacer *ordinatio* nuncupatur. — Etsi tonsura non est ordo, sed praeparatio quaedam ad ordines (*Catech. rom.*, II, c. 7, q. 13), in Codice nomine *ordo* ipsa quoque venit, nisi contrarium constet (cf. can. 950).

2° Iurisdictio est potestas *publica* regendi subditos ad finem proprium societatis perfectae.

Qua *publica* est, differt a potestate *dominativa*, quae in societate imperfecta seu *privata*, sive naturali (familia) sive conventionali (societas herilis) exsistit. Ea enim potestas est qua Superior societatis in suo genere perfectae seu plene independentis subditos *regit* lege, iudicio, poenis. Cum subditis autem communicari potest maiore minoreve ambitu.

Iurisdictio ecclesiastica est potestas publica *regendi* fideles ad finem suum supernaturalem.

Qua potestas *regiminis* est, a potestate *ordinis* differt.

In Superioribus ecclesiasticis duplici titulo exsistit : 1° quia Christus Apostolis eorumque successoribus plenam potestatem contulit ea omnia praecipiendi quae recta vitae religiosae ordinatio postulat et solvendi fideles a vinculis libera actione contractis, modo iure divino dissolubilia sint, v. g. a poenis peccati, obligatione e voto, iuramento, matrimonio non consummato orta (cf. BILLOT, *De Ecclesia*, 3ª ed., p. 456, ss.) ; 2° quia praesunt societati humanae e divina institutione

(1) Sic quoque CLAEYS-SIMENON, *Manuale*, n. 263.

in suo genere supremae et perfectae (cf. supra, n. 1).

Divisiones iurisdictionis exponentur infra, n. 275, ss.

3° Potestas ordinis a potestate iurisdictionis realiter *distinguitur*, etsi cum ea intime *cohaeret*.

Potestas *ordinis* oritur ex ordinatione seu ritu sacro, qui, si fuerit sacramentum, potestatem ita continet ut, valide collata minui aut auferri nequeat. *Iurisdictio* autem oritur e missione canonica, quae in omnibus R. Pontifici inferioribus, saltem quod ad exercitii determinationem, ab homine procedit. Quare a legitimo Superiore augeri, minui et tolli potest.

Potest quis supremam ordinis potestatem habere, seu episcopatum, sine ulla *actuali* iurisdictione ; laico autem *per se* summa iurisdictio (Summi Pontificis) conferri potest, etsi iure communi solis clericis, immo sacerdotibus, conferatur. Ita saec. XVII° haud raro regimen dioecesis simplicibus clericis conferebatur, qui sacros ordines postea tantum vel numquam recipiebant.

3. Ex divina institutione *gradus* potestatis *ordinis* sunt episcopi, sacerdotes et ministri (c. 108, § 3).

Haec hierarchia potestatis ordinis est de fide definita (Trid., Sess. XXIII, *de sacra ordin.*, c. 6) ; sed non una sententia est de numero ordinum neque de sacramentali quorundam ex eis natura. *Diaconi* certo sunt ascribendi ministris qui divina institutione tertium hierarchiae gradum constituunt ; hodie communis sententia tenet *subdiaconatum* ecclesiastica tantum institutione tamquam gradum distinctum exsistere (cfr Gasparri, *De sacra ordinatione*, I, n. 33, ss.). Quia subdiaconi ad ministerium ipsius altaris accedunt et servitio Dei lege coelibatus firmius mancipantur, iste ordo inter maiores et sacros in Ecclesia occidentali recensetur ; in Ecclesia autem orientali, inter minores numeratur. Latiore quodam sensu, ministri vocantur ostiarii, lectores, exorcistae, acolythae.

Iurisdictionis duplex *gradus* est ex divina institutione, R. Pontificis et episcoporum (ibid.).

Ceteri clerici ab iis partem potestatis accipiunt iure ecclesiastico. Hanc divinam institutionem apte indicat divisio quam tituli VII et VIII huius libri prae se ferunt.

200bis. - Nemo in sacram hierarchiam sola populi vel Superioris saecularis voluntate cooptatur, sed vel ordinatione vel missione canonica. R. Pontifex a Deo immediate supremam iurisdictionis potestatem accipit, vi legitimae electionis (c. 109).

Haec, infra fusius explicanda, doctrinam referunt quam Dogmatici, praesertim contra placita Protestantium et Modernistarum, in tractatu de Ecclesia et de sacramento Ordinis tuentur (1).

201. - Praelati, in iure, proprie dicuntur clerici qui iurisdictionem *ordinariam* in foro *externo* obtinent (c. 110).

Praelati proprio nomine sunt v. g. episcopi, Vicarii generales, Auditores S. Rotae, Superiores etiam locales (2) in religione clericali exempta.

---

(1) Cfr Trid. S. XXIII, *de Ordine.* — Conc. Vatic. *De primatu R. P.* — Pius X, Enc. *Vehementer Nos*, 11 febr. 1906. — *S. Offic.* Decret. *Lamentabili* 3 iul. 1807 ; prop. 53, 54, 55.

(2) Communis sententia ante Codicem, quam post Cod. tuetur Larraona, C. M. F. *Comment. pro Religiosis* IV, 75. 76, reiciunt Chelodi, *Ius de personis*, p. 389. 3, Ojetti, *Per.* XVII, 229* ss. frustra nixus suppressa privilegiorum communicatione.

Praelati quoque vocantur clerici, quibus hic *titulus honoris* ob specialia merita vel ad augendam dignitatem a Sede Apostolica conceditur.

Principales sunt qui in Curia romana aliquam potestatem vel administrationem exercent, ut sunt *Praelati palatini* : Maior domus, Magister cubiculi (Maestro di Camera), Magister S. Palatii Apostolici. — Ad familiam pontificiam pertinent tum Praelati qui simplices functiones in S. Palatio sive ordinarie sive extraordinarie exercent, v. g. episcopi assistentes solio pontificio, Camerarii secreti S. Pontificis, etc., tum qui merum titulum habent, v. g. Praelati domestici S. Sanctitatis; Camerarii secreti supranumerarii, etc. (1). Ctr infra, ad c. 328, n. 396.

TITULUS I

DE CLERICORUM ASCRIPTIONE ALICUI DIOECESI
(cc. 111-117)

Scriptores : Wernz-Vidal, II, 90, ss. — Blat, *Commentarius*, in l. II, p. 46, ss. — Augustine, *A commentary*, in h. cc. — De Meester, *Compendium*, I, 347, ss. — Maroto, *Institutiones*, I, n. 492, ss.

202. - Causa cooptandi fideles in ordinem clericorum est necessitas vel utilitas Ecclesiae, non privata devotio, minus etiam privatum commodum. Porro, cum turpe sit clerico otiari et periculosum ex incertis eleemosynis vivere, iam ab initiis Ecclesiae sancitum est ne ordinarentur nisi qui, tamquam utiles ministri, certo titulo vel ecclesiae ascriberentur, cuius reditibus, si casus ferret, sustentarentur. *Vagi* iam tum dicebantur clerici nulli ecclesiae ascripti.

Ius novum per se prohibet quominus clerici vagi admittantur vultque omnes alicui dioecesi vel religioni ascribi. Ascriptio vel cooptatio in clerum dioecesanum vocatur *incardinatio* (c. 111).

Dioecesi implicite aequiperantur Vicariatus et Praefectura Apostolica, cum c. 111, § 1 clericos vagos regulariter non toleret et Vicarii Praefectique Apostolici clerum proprium constituere debeant (cc. 305. 307).

Modus communior incardinationis est collatio primae tonsurae, qua quis pro cuiuspiam dioecesis servitio promovetur (c. 111, § 2).

Postquam quis incardinatus alicui dioecesi fuerit, alii incardinari nequit, nisi explicite aut implicite excardinatus fuerit seu a clero illius dioecesis legitime dimissus fuerit.

203. - Clerici incardinari dioecesi possunt his modis :

1. Per receptionem primae tonsurae, qua quis pro cuiuspiam dioecesis servitio promovetur (c. 111, § 2) ;

Iuxta c. 956 et 969, Ordinarius loci non potest collatione tonsurae incardinare suae dioecesi laicum qui origine alius dioecesis est. Poterit tantum, si laicus maior natu in dioecesi ordinantis domicilium eligat iuramentoque firmet se in eadem perpetuo mansurum esse. Ita quoque S. d'Angelo, *Apollin.*, 1928, 181.

Licet quoque Ordinario *suum* subditum ordinare qui postea legitima excardinatione et incardinatione servitio alius dioecesis destinetur (c. 969, § 2). Ex

(1) Pius X, C. *Inter multiplices*, 21 febr. 1905. — Cfr D. Th., v° *Cour romaine*, III, c. 1931, ss. (Aliter Ojetti, S. I. *Per.* XVII, p. 229* 231*.

responso privato *Comm. I. C.*, 17 aug. 1919 (1), si quis a proprio episcopo pro servitio certae alius dioecesis ordinetur, statim isti dioecesi incardinatur. Prima specie, non is est sensus c. 969, § 2. — Potestne laicus, ad normam clerici, formaliter dimitti seu quasi-excardinari, ad normam decr. *S.C.C.*, 24 nov. 1906 (2)? Negative respondendum censemus, cum Codex hanc materiam totam ordinet; neque commodum illius excorporationis perspicimus. Contrariam sententiam tenent Claeys-Simenon, *Manuale*, n. 269.

Quaenam erit condicio iuridica illius qui tonsuram a Praelato non proprio illegitime receperit?

1° Si tonsura collata est a Vicario vel Praefecto Apostolico, qui charactere episcopali careat, ordinatio nulla est (c. 957, § 2);

2° si collata est ab episcopo, ordinatio est valida, quippe quae sit actus potestatis ordinis ab eo factus qui potestatem plenam et ordinariam habeat.

Porro si ordinans est episcopus titularis, nulla incardinatio inde oritur; idem dicendum, si collata est tonsura ab episcopo dioecesano non proprio, sine intentione incardinandi suae dioecesi.

Restat ut vir sic ordinatus aut ulterius ordinetur a suo episcopo proprio aut ab alio, in cuius dioecesi eligat domicilium cum iuramento perpetui servitii. Nulla excardinatio necessaria est, ut patet. — Si religionem ingressus fuerit, nulla difficultas erit, cum religioni postea per professionem ascribendus sit.

2. Acceptis a suo Ordinario litteris excardinationis perpetuae et absolutae, ab Ordinario autem alienae dioecesis litteris incardinationis pariter perpetuae et absolutae vel cum licentia scripta perpetui discessus e dioecesi (c. 112);

3. Obtento ab Ordinario alienae dioecesis beneficio residentiali cum consensu proprii Ordinarii *scripto* dato (c. 114);

4. Receptione simplici religiosi egressi e religione, si a benevolo episcopo pure et simpliciter recipiatur, vel etiam si, pro experimento receptus, transacto uno alterove probationis triennio, ab ipso dimissus non fuerit (c. 641, § 2).

Religioni quis ascribitur omni professione; sed ante professionem perpetuam haec ascriptio non est absoluta, cum per eam non amittatur dioecesis (c. 115. 585).

204. - Postquam quis dioecesi cuidam ascriptus est, ex eius clero exire potest *excardinatione* seu separatione expressa vel implicita a prima dioecesi.

1. *Expresse* quis excardinatur:

1° cum litteras excardinationis seu perpetuae et absolutae dimissionis e clero dioecesano ab Ordinario subscriptas recipit (c. 112);

2° cum Ordinarius consentit ut clericus sibi subditus beneficium residentiale ab Ordinario alius dioecesis accipiat vel ei in eundem finem licentiam concedit e dioecesi in perpetuum discedendi (c. 114).

2. *Implicite* seu ipso iure excardinatur clericus qui professionem religiosam perpetuam emittit (cc. 114. 585).

(1) Cf. *Monitore eccl.*, t. 32, 57. — *Per.* XII, 73. — (2) *A. S. S.*, t. 39, 600. — *Can. cont.*, 1907, 3 ss. — *Mon. eccl.*, t. 18, 339.

1° a legitimo Superiore concedatur ;

Iamvero Vicarius generalis non est competens sine mandato speciali neque Vicarius capitularis excardinationem concedere potest, « nisi post annum a vacatione sedis episcopalis et cum consensu Capituli » (c. 113) ;

2° litterae ab episcopo subscribantur ;

3° incardinatio in alia dioecesi sequatur (cc. 112. 116).

3. Excardinatio *expressa non valet*, nisi :

Estne scriptura necessaria ad validitatem in consensu ad recipiendum beneficium in alia dioecesi vel licentia in perpetuum abeundi datis ? Id potius assereremus, ex analogia cum condicione in rescripto contenta (c. 39) et cum *litteris* excardinationis (c. 112).

4. *Liceitas* excardinationis a *iustis* eius causis pendet (c. 116), quae possunt esse v. g. difficultas alendi clericum ; impedimenta quibus eius ministerium inutile vel nocivum redditur ; maior necessitas vel utilitas alius dioecesis, etc.

205. - 1. Ad validitatem incardinationis alieni clerici, requiritur :

1° potestas in Superiore recipiente.

Eodem modo restringitur potestas Vicarii generalis et Vicarii capitularis ac pro excardinatione (supra, n. 204, 2 ; c. 113) ;

2° facta ab Ordinario incardinante subscriptio litterarum quibus fit incardinatio (cf. n. 203, 2) ;

3° probabilius *scripto* data venia accipiendi beneficium residentiale vel in perpetuum abeundi (cf. c. 114 supra, n. 203, 3).

2. Ad *licitam* incardinationem alieni clerici, requiruntur : *a*) necessitas aut evidens utilitas dioecesis ; *b*) informationes de dotibus clerici, maxime si diversae linguae vel nationis sit ; *c*) declaratio clerici, iuramento firmata, se servitio novae dioecesis in perpetuum addici velle ad normam ss. canonum (c. 117).

TITULUS II

DE IURIBUS ET PRIVILEGIIS CLERICORUM

(cc. 118-123)

Scriptores : Blat. *Comm. in l. II*, p. 50, ss. — De Meester. *Compendium* I. 351, ss. — Maroto, *Institutiones*, n. 500, ss. — Wernz-Vidal, S. I., *Ius canonicum*, II, n. 68, ss.

206. - **Ordo Codicis.** - Ecclesia suis legibus magis determinavit quaenam facultates clericis *vi sui status* competerent. Haec autem sub communi rubrica (de iuribus et privilegiis clericorum) ponuntur. Magis stricte *privilegia* vocantur quae clericos eximunt a communibus quibusdam civium vel fidelium oneribus et subiectione. — Vi c. 614 « Religiosi, etiam laici ac novicii, fruuntur clericorum privilegiis de quibus in cc. 119-123 » ; idem valet de sociis societatum sine votis quae imitantur vitam religiosam (c. 680).

§ 1. DE IURIBUS CLERICORUM

207. - Haec iura communiter recensentur :

1. Habilitas exclusiva obtinendi potestatem ordinis aut iurisdictionis (c. 118).

Potestatem iurisdictionis recipiunt sive concessione officii ecclesiastici sive speciali delegatione. Pleraque tamen officia solis presbyteris ex iure hodierno concedi possunt, v. g. cardinalatus, episcopatus, officium parochi, etc.

2. Ius obtinendi *beneficia et pensiones* ecclesiasticas (c. 118).

Beneficium est ius percipiendi, vi officii, reditus ex dote officio sacro annexa (cfr infra Lib. III, P. v, t. 25, ad c. 1409).

Pensio ecclesiastica est ius percipiendi partem fructuum alicuius beneficii vel mensae, titulo non perpetuo (REIFFENSTUEL, in l. III, t. 5, n. 84, ss.). **Mensa** vocantur bona et reditus quae sunt destinata ad sustentationem ministrorum alicuius ecclesiae, Capituli, religiosorum, monasterii aut Praelati. Ad mensam non dicuntur pertinere bona quorum ecclesia, Capitulum, etc. solum dominium directum, non autem utile, habet (REIFFENSTUEL, in l. III, t. 18, n. 267).

3. *Iura honorifica.* Maioritati seu maiori dignitati correspondeat necesse est maior honoris significatio (c. 119). Ideoque :

a) clericis, praesertim sacerdotibus, nomen honorificum conceditur (Rev. D^{nus}, etc.) ; in ecclesia locus specialis (*presbyterium*) reservatur ; *b*) in conventibus vel processionibus prae laicis incedunt ; *c*) *vestem* specialem induunt (1), a qua gerenda laici et clerici indigni prohibentur (cc. 213, § 1 ; 683. 2304).

§ 2. DE PRIVILEGIIS CLERICORUM

208. - *De privilegio « canonis »* (cc. 119. 2343).

Quia clerici auctoritate publica Deo consecrantur, « omnes fideles... se sacrilegii delicto commaculant, si quando clericis realem iniuriam intulerint » (c. 119).

Praeterea persona clericorum contra omnem *iniuriam realem poena speciali* protegitur, qua plectuntur eorum invasores. Quisquis enim in eos « violentas manus » inicit, plectitur excommunicatione vario gradu pro dignitate personae laesae reservata et aliis poenis latae vel ferendae sententiae obnoxius est (c. 2343. *Epitome*, III, 542).

Iam a primis Ecclesiae saeculis (can. 26 Apost.), iniuria realis in clericos gravioribus poenis puniebatur (cf. c. 28, C. XVII, q. 4) ; excommunicatio vero S. Sedi servata a tribus Conciliis particularibus (Clarimont., 1130 ; Remig., 1131 et Pisan., 1135), in hoc delictum lata erat. Grassante errore Arnoldi de Brescia contra clericorum iura, necessarium fuit hanc poenam extendere. Inde :

(1) Cf. *N. R. Th.*, IX, 76, ss.

Privilegium canonis sic est dictum a celebri *canone* 15 « Si quis suadente diabolo », Conc. Later. II, a. 1139 ab Innocentio II celebrati. Tunc enim primum excommunicatione S. Sedi reservata clericorum persona contra iniurias reales in universali Ecclesia munita est. Textum canonis refert c. 29, C. XVII, q. 4. (Cf. PII IX C. *Apostolicae Sedis*, 12 oct. 1869, II, 2.)

Iniuria realis verbali opponitur et ob verba « violentas manus inicere », quae ex vetere iure sumuntur, designat *facta* iniuriosa quibus ipsa clerici *persona* laeditur ; non tamen requiritur ut eius *corpus* immediate attingatur, sed sufficit ut vel corpus mediate vel libertas aut dignitas violetur. Ita contra privilegium fecerit qui clerici vestes laceret, eum carcere detineat, currum, quo vehitur, violenter sistat, etc.

Prout delictum contra R. Pontificem, Cardinalem, Legatum vel episcopum, aut clericum episcopo inferiorem admittitur, **excommunicatio** specialissime vel specialiter S. Sedi aut Ordinario reservatur. Aliae praeterea poenae, latae vel ferendae sententiae, adduntur (cf. c. 2343. *Epitome*, III, 542).

209. - *De privilegio fori* (cc. **120**. 2341) (1).

1. Clerici forum privilegiatum habent neque licet eos, sive invitos sive volentes, etiam in causis temporalibus, sine venia competentis Superioris ecclesiastici, apud iudicem laicum convenire, « nisi aliter pro locis particularibus legitime provisum fuerit » (c. 120, § 1). Haec prohibitio gravibus poenis latae vel ferendae sententiae sancitur (c. 2341).

« **Convenire** » significat : cogere ut quis compareat coram tribunali tamquam debitor vel reus (2) ; quare iure canonico fideles non prohibentur vocare clericum quemlibet coram tribunali tamquam testem. Utrum hoc deceat necne, ex adiunctis iudicandum erit. Porro haec erat interpretatio iuris antiqui, quo plectebantur : « cogentes... iudices laicos *ad trahendum ad suum tribunal* personas ecclesiasticas » (3).

Canon minime prohibet persequi causam contra laicum inceptam, si is ordinetur ; aut contra clericum actione reconventionali uti ; aut convenire eum cuius nomine agere debet clericus tamquam tutor, procurator, etc.

Quod S. Paulus iam omnibus fidelibus suadebat vel praecipiebat ut lites suas inter se vel coram christiano arbitro dirimerent (1 Cor., 6, 1-8), potiore iure de clericis intellegendum fuit. A saec. IV° textus Conciliorum habemus, quibus forum privilegiatum clericorum vindicatur et sancitur (cf. cc. 43. 46, C. 11, q. 1). Imperatores autem christiani episcopis aliquam iurisdictionem, praesertim in causis civilibus, etiam in laicos concesserunt (cf. cc. 35. 36, C. 11, q. 1). Cum in regnis quae imperio Romano successerunt ius personale, non territoriale vigeret, haud difficile fuit privilegium fori conservare. Tolli coeptum est tum ob invalescens ius territoriale nationum, tum ob mutationem

(1) Cf. PII IX, C. *Apost. Sedis*, I, 7. — *S. Offic.* Litt. enc., 23 ian. 1886. — PII X, Mot. pr. *Quantavis diligentia*, 9 oct. 1911. — *Per.* VI, 105, ss. 190. — *Can. Cont.* t. 34, 1911, 687, ss. — *Collat. Gandav.* IV, 1912, 259, ss. — Cf. D. Th., v° For. — D. Ap., v° Immunités.

(2) Cf. CALVINUS, *Magnum lexicum iuridicum*, v° Convenire.

(3) Cf. LEHMKUHL, II, n. 1196. — *Per.* VI, 103.

rei politicae sub influxu reformationis. Post turbationem gallicam, in multis regionibus sive consuetudine sive Concordatis illud privilegium valde imminutum, aut omnino sublatum est. Sedulo tamen distinguendum est inter causas civiles et poenales ; quod ad istas enim multo minus consuetudo invaluit aut S. Sedes potestati civili in concordatis concessit.

2. *Venia* petenda est a S. Sede aut ab Ordinario loci in quo causa peragitur, pro varia dignitate clerici conventi.

Venia S. Sedis requiritur ad conveniendos Cardinales, Legatos S. Sedis, episcopos etiam titulares, Abbates vel Praelatos *nullius*, supremos religionum iuris pontificii Superiores, et, ob negotia ad eorum munus pertinentia, Officiales maiores Romanae Curiae (c. 120, § 2).

Verba « ob negotia ad ipsorum munus pertinentia » ad solos Officiales Curiae Romanae certo referuntur. Etenim in c. 2341 nullo commate a verbis praecedentibus separantur, neque conventio Cardinalis vel Legati S. Sedis umquam a venia Ordinarii loci pendere potest. Praeterea episcopus titularis, qua talis, vix munus proprium habere censendus est.

Officiales maiores sunt v. g. in Congregationibus romanis Praefectus, Secretarius et Subsecretarii ; in Tribunalibus romanis, Auditores, Procurator fiscalis, etc.

3. Verum hic maxime considerandus est varius modus quo privilegium istud formaliter agnoscitur vel practice viget.

Regiones sunt ubi forum ecclesiasticum ipsa lege civili agnoscitur. Sic in quibusdam regionibus Americae meridionalis. — In aliis locis civiliter non agnitum est sed practice urgetur. Solet tunc Ecclesia exigere ut laicus qui velit clericum convenire, ab Ordinario loci postulet licentiam, quae numquam denegabitur ; ut autem conveniat episcopum aut similem Praelatum, vult ut auctoritas S. Sedis interponatur. — In pluribus regionibus, v. g. in Austria, est per Concordatum (quod numquam qua tale viguit) formaliter, sed ex parte, abrogatum. — Sunt demum regiones ubi centenaria consuetudine est, saltem ex parte, abrogatum. Hanc consuetudinem ipsa Secretaria Status legitimam agnovit, a. 1911, pro Belgio, Hollandia, Germania (*Per.* VI, 190).

Ubique tamen subsistit obligatio naturalis cavendi sufficienti auctoritati ministrorum sacrorum, ita ut potius *censurae* cessent quam omnimoda *facultas* data sit, praesertim cum causa criminalis agitur. Et contra mentem Ecclesiae egerit qui, inconsulta S. Sede, episcopum in causa criminali etiam ut testem appellarit in iudicium. Quantum prudenter fieri potest, inculcandum quoque est ut iudices et [illegible] laici se licentia ecclesiastica muniant.

Demum quod ex parte laicorum tolerat Ecclesia, non permittit clericis. Quare generali prohibitione, saltem legum particularium, clericus clericum coram tribunali laico convenire vetatur sine venia sui Ordinarii.

4. Clericus sine debita licentia conventus potest « ratione necessitatis, ad vitanda maiora mala comparere, certiore tamen facto Superiore a quo venia obtenta non fuit » (c. 120, § 3).

[209]

210. - *De privilegio exemptionis seu immunitatis personalis.*

Privilegio immunitatis personalis clerici eximuntur a servitio militari et muneribus atque officiis publicis civilibus a statu clericali alienis (c. 121).

Exemptionem a servitio militari S. Sedes etiam nostro tempore suis clericis vindicare non desinit (1). Praeterea ne ad quaedam alia officia publica adigantur, in Concordatis vel Codicibus non nullis civilibus cavetur.

In Belgio, ex lege 5 aug. 1921 (ad tempus lata), qui se ad sacros ordines praeparant et religiosi : 1° eximuntur a servitio ordinario seu armato, primo ad tempus, dein in perpetuum ; 2° astringuntur servitio militari infirmariorum. In castris tamen a ceteris militibus secreti specialem institutionem accipiunt (2). — In plerisque regionibus, etiam haereticis, omnibus religionis ministris huiusmodi exemptio conceditur, quae in Gallia denegatur. — In Italia, vi Concordati art. 3 alumni theologiae vel unius e duobus posterioribus annis propaedeuticae praeparantis ad theologiam et novicii possunt petere ut obligationes servitii militaris sibi usque ad 26um aetatis annum differantur. Qui sacris initiati sunt aut professionem religiosam emiserunt, a servitio militari, nisi generalis fiat convocatio ad arma, eximuntur. Tunc sacerdotes exercebunt in exercitu ministerium sacrum, sub auctoritate Ordinarii castrensis. Ceteri clerici vel religiosi servitiis sanitariis addicentur. Sacerdotes qui curae animarum modo stabili vacant, etiam tempore belli ad exercitum non convocabuntur. — Clerici et religiosi a munere iurati eximuntur (ibid. art. 4).

In Germania lex stabilis exspectatur ; in Austria, nunc saltem clerici ipsa legis militaris natura a servitio liberantur (3).

In Belgio, ministri cultus excluduntur a muneribus iurati et iudicis, burgimagistri et scabini, deputati perpetui provinciarum.

211. - *De beneficio competentiae.*

Hoc privilegio cavetur ne clerici ob infortunia vel aes alienum redditibus ad honestam sustentationem necessariis priventur ; firma tamen remanet obligatio quam primum creditoribus satisfaciendi (c. 122).

De modo quo viget, consulendum est ius civile variarum regionum. In Belgio privilegium speciale pro clericis non exstat ; gaudebunt tamen lege quae omni

(1) Cf. Decr. S. C. *Consist. Redeuntibus*, 25 oct. 1918 (AAS, X, 1918, 481, ss. — *Per.* IX, 124, s.).

(2) Cf. *N. R. Th.*, 1922, 150, ss. ; 543, ss. — DE MEESTER, *Compendium*, I, n. 354.

(3) Cf. HARING, *Grundzüge des k. KR*, I, p. 192. — HILLING, *Das Personenrecht*, p. 82.

debitori necessaria ad honestam sustentationem bona intacta servat. In Germania et Austria certa pars redituum ab omni exactione est immunis.

§ 3. DE ORIGINE IURIDICA IMMUNITATUM

212. - Sententiae variae sunt de origine immunitatis *personalis* clericorum, R. Pontifici inferiorum, in causis *temporalibus*. — Alii referunt immunitatem ad solum *ius humanum*, sive civile (regalistae, liberales, etc.) sive ecclesiasticum (pauci canonistae) ; alii *immediate ad ius divinum* (multi canonistae (1)) ; alii *mediate ad ius divinum*, sc. ad ius ecclesiasticum, prout iure divino nititur (Bellarminus, Suarezius, nonnulli theologi medii aevi).

Nota non omnes eandem vim vocibus « ius divinum, ius naturale » tribuere, ita ut ex solis eorum verbis haud facile sententiam eorum eruas.

Asserta. 1. Immunitas a *solo* iure civili ortum non habuit ; nec a civili potestate, inconsulta aut reclamante Sede Apostolica, tolli potest (Syllabus, 30. 31).

2. Immunitas, quamquam in iure divino, sive naturali sive positivo, fundamentum habet, proxime et *formaliter* ex lege tantum Ecclesiae oritur (2).

Habet *fundamentum* in iure divino, ut probatur ex institutis V. Testamenti, textibus plurimis Decretalium, moribus plurimorum populorum, et ex iure divino Ecclesiae definiendi quae iura sibi competant ad implendam suam missionem. Immunitatem autem esse ex iure divino *immediato*, sive naturali sive positivo, nullo textu probatur inviete, et multis mutationibus ab Ecclesia in hac materia introductis parum consonat.

3. Clerici ab illis muneribus vel officiis, quae status sui dignitati vel libertati ministerii repugnant vel eos omnino dedecent, iure divino naturali eximuntur. Huiusmodi videtur esse servitium militare, praesertim tempore belli, pro sacerdotibus et illis qui proxime ad sacerdotium accedunt.

4. Ecclesiasticorum Superiorum, maxime R. Pontificis, est definire qualem immunitatem delectus, educatio, officia et dignitas clericorum requirant. Illorum enim Superiorum est *media* necessaria et congrua ad finem Ecclesiae obtinendum definire.

Exemplo sit privilegium fori in variis societatis civilis adiunctis.

5. Clerici a iurisdictione civili, iure divino, non eximuntur. Quamquam enim cultui consecrantur, personam quoque civilem gerunt. Poterit ergo privilegium fori plus minusve extendi ; item immunitas a tributis, quibus patrimonium privatorum oneratur.

---

(1) Cf. M. A. DE LUCA, *Prael. iuris can.* Romae, 1897, I, p. 180.
(2) CAVAGNIS, *Institutiones iuris publ. eccles.*, ed. 4, p. II, l. III, c. V, p. 324.

6. Privilegia quae clericis etiam solo *iure quaesito*, ex civilis potestatis concessione, competunt, si fuerint ab ecclesiastica auctoritate sancita, sine conventione cum Superioribus ecclesiasticis auferri non possunt.

Sua enim approbatione et sanctione Superior ecclesiasticus supremus ius illud legem suam facit.

§ 4. DE PRIVILEGIORUM CESSATIONE

213. - 1. « Memoratis privilegiis clericus renuntiare nequit » (c. 123).

Non enim principaliter in favorem solius privilegiati, sed ob causam publicam et per leges universales concessa sunt.

2. Amittuntur ab illis qui ad statum laicalem reducuntur aut privatione *perpetua* deferendi habitum ecclesiasticum plectuntur (ibid.). Cf. cc. 211, ss. ; 2300, 2304, 2305, 2358. Ad tuendam enim libertatem et servandum honorem *status* privilegia statuta sunt. Remissione poenae aut nova inter clericos admissione privilegia recuperantur.

TITULUS III

DE OBLIGATIONIBUS CLERICORUM

(cc. 124-144)

Scriptores : D'ANNIBALE, III, n. 145, ss. — F. CLAEYS BOÚÚAERT, *De canonica cleri saecularis oboedientia*, Lovanii, 1904. — DE MEESTER, *Compendium*, I9, n. 359, ss. — MAROTO, *Institutiones*, n. 529, ss. — VERMEERSCH, S. I., *Theol. mor.*, III, n. 15, ss. — WERNZ-VIDAL, S. I., *Ius canonicum*, II, n 87, ss.

214. - **Ordo materiae.** — Posito principio generali in c. 124. de singulis obligationibus clericorum et de mediis adhibendis ad eas melius servandas agunt cc. 125-144, iuxta hunc ordinem : 1° de exercitiis pietatis, cc. 125. 126 ; de oboedientia Ordinariis debita, cc. 127. 128 ; de mediis servandi augendique cognitionem sacrae doctrinae, cc. 129-131 ; de obligatione coelibatus et de mediis muniendi castitatem, cc. 132-134 ; de divino officio recitando, c. 135 ; de externa compositione, quod ad habitum, c. 136, functiones et oblectamenta, cc. 137-142 ; de residentia in propria dioecesi, cc. 143. 144.

215. - Principium generale. — Clerici laicis virtute et doctrina praeire debent, quia « *doctrina sine vita* ecclesiasticum doctorem arrogantem reddit, *vita sine doctrina* inutilem facit » (1).

Quae iam S. Paulus, praesertim in epistolis pastoralibus commendabat vel

---

(1) WERNZ, II, 174, II, veteres referens.

praecipiebat (1), RR. Pontifices (2) et Concilia tum universalia (3) tum particularia (4) urgere non destiterunt et Codex iterum sancit cc. 124-144.

« Clerici debent sanctiorem prae laicis vitam interiorem et exteriorem ducere » ; id enim requiritur tum grato animo ob dona specialia a Deo accepta, tum ob sanctitatem operum quibus ex officio vacant. Debent quoque laicis « virtute et recte factis in exemplum excellere » (c. 124), tum quia plerique laicos ex officio ad vitam christianam et perfectionem sui status hortari et instituere debent, tum quia laici exemplis clericorum sive ad bonum sive ad malum valde commoventur (5).

216. - *De exercitiis pietatis.*

1. Ordinariis cura imponitur ut clerici *singulos dies* sanctificent oratione mentali, visitatione SS. Sacramenti, rosario mariano et examine conscientiae ; *frequenter* quoque sacramentum paenitentiae recipiant (c. 125).

Lex directe *Ordinarios* locorum afficit, indirecte clericis intentionem legislatoris manifestat. Iuxta eos qui schematibus usi sunt, Legislator frequentiam confessionis pro clericis *omnibus* determinare noluit. At si *omnibus* religiosis (c. 595, § 1, 3°) et seminaristis (c. 1367, 2°) accessus saltem hebdomadarius indirecte praecipitur, minus frequens *confessio* sacerdotibus suaderi non posse videtur. — « Porro sacerdos qui sincere proficere vult in via perfectionis, quotidie, nisi vere impediatur, ad minus per dimidiam horam *orationi mentali* incumbat » (*Conc. Mechlinien.*, 1920, a. 246). — *Celebratio sacri* praecipitur pluries in anno, consulitur saltem singulis diebus dominicis et festis (Cf. c. 805). — Codex nihil continet de *die recollectionis*, quam in multis regionibus invexit pia consuetudo, iure particulari saepe sancita. « Etiam in votis est ut, ter vel quater saltem in anno, recollectio menstrua per totum diem vel maximam diei partem protrahatur, ita ut fervor secessus annui vere renovetur » (*Conc. Mechlinien.*, 1920, a. 246). De conferentiis seu recollectionis diebus a S. Vincentio a Paulo institutis, cf. Maynard, *Saint Vincent de Paul*, II, p. 51, ss.

2. *Exercitia spiritualia* (seu recessus spiritualis) praescribuntur omnibus sacerdotibus saecularibus tertio saltem quoque anno facienda (c. 126).

Ordinarius *annuum* secessum praescribere potest ; idque menti legislatoris esse consentaneum ostendit vox « saltem ».

Sacerdotes religiosi *quotannis* eis vacare debent (c. 595) ; item seminaristae (c. 1367, 4°). Ordinarii proprii est determinare eorum tempus et locum ;

(1) 1 Tim., III, 4. — 2 Tim., IV. — Tit., I, 7.

(2) X, III, tit. 1 *de vita et honestate clericorum* ; tit. 2, *de cohabitatione clericorum et mulierum* ; tit 50, *ne clerici vel monachi saecularibus negotiis se immisceant.* — V, tit. 24, *de clerico venatore* ; tit. 25, *de clerico percussore.*

(3) Trid. s. XXII, c. 1, de R. — S. XXIV, Prooem. et c. 6 de R. — S. XXV, cc. 1 et 14 de R.

(4) Conc. Mechl., 1920, a. 243, ss.

(5) Cf. Pius X, *Exhortatio ad clerum*, 4 aug. 1908.

et, in casu *particulari*, *iusta* de causa, dispensationem concedere quae *expressa* requiritur (ibid.) (1).

217. - *De oboedientia Ordinario debita.*

1. Clerici omnes speciali obligatione tenentur Ordinario proprio reverentiam et oboedientiam exhibendi (**c. 127**).

Causa obligationis oboedientiae in clericis saecularibus est *potestas iurisdictionis* episcopi in omnes suos subditos, cui accedit in presbyteris emissa in ordinatione *promissio* quae, si beneficiarii sint, saepe *iuramento* firmatur. Promissio ex fidelitate, iuramentum ex religione obligat. Addendane est obligatio *iustitiae* in iis qui titulo servitii dioeceseos ordinati sunt ? Id negant nonnulli.

Religiosi non exempti et, in casibus iure exceptis, religiosi exempti (c. 615) Ordinario loci oboedientiam debent ob eius potestatem iurisdictionis ; religiosi suis superioribus oboedire tenentur vi sui in communitatem ingressus et suae professionis ; praeterea religiosi in religione clericali exempta subiciuntur potestati iurisdictionis suorum Ordinariorum.

Materiam huius obligationis constituunt praecepta quibus Ordinarius ob bonum ecclesiae suae regimen ius commune urget aut in rebus generali tantum modo determinatis complet (2).

2. Clerici munus ab Ordinario impositum suscipere ac fideliter implere debent quotiens et quamdiu, id, eius iudicio, necessitas Ecclesiae requirit, salva legitimi impedimenti excusatione (**c. 128**).

Excusatio non admittitur nisi, etiam in comparatione cum urgenti necessitate Ecclesiae, grave incommodum appareat (3). Munus pastorale in iure communi per se tamquam extraordinarium habetur, quod non omnibus, salva contraria consuetudine, sine necessitate imponi possit.

218. - *De scientia sacra clericorum* (cc. 129-131).

Quo certius sacerdotes scientiam per studia inferiora, biennium philosophiae et quadriennium theologiae acquisitam conservent et perficiant :

1° Commendatur omnibus ne studia sacra intermittant (**c. 129**).

Haec studia inter optima remedia contra pestem modernismi recenset Pius X, C. *Pascendi*, 7 sept. 1907. De doctrina ad praedicandum verbum Dei neces-

---

(1) Cf. Pius X. litt. 27 dec. 1904 et Card. Vicarii litt. 25 ian. 1905 (*Anal. eccles.*, 1905, 61. 82). — *Conc. Mechlinien.*, 1920, a. 246 : « Maxime optandum est, ut omnis sacerdos, quandoque in vita, per longius tempus, v. g. decem dies, exercitiis spiritualibus sese tradat, non gregatim in recessu annuo communi, sed cum aliquot tantum confratribus. »

(2) Cf. Claeys Bouúaert, F., *De canonica cleri saecularis oboedientia*, Lovanii, 1904.

(3) Cf. S. C. C., *S. Ioan. de Mauriana*, 7 aug. 1910. — AAS, II, 1910, 911. — *Per.* V, 290.

saria, cf. BENEDICTI XV Const. *Humani generis*, 15 iun. 1917 (1) ; *S. C. Consist.* Instruct. *Ut quae*, 28 ian. 1917 (2) ; de studio asceseos et theologiae mysticae, cf. BENEDICTI XV epist. ad R. P. Marchetti, S. I., 10 nov. 1919 (3).

2° Praecipitur examen annuum saltem per triennium (c. 130) ; per quinquennium, si sint religiosi (c. 590).

Materia examinis non erit universa theologia ; sed singulis annis, opportuno tempore, ab Ordinario loci determinabitur, cuius erit quoque iustas exemptiones concedere. Scientiae sic exhibitae ratio habebitur in conferendis beneficiis (ibid.).

Sacerdotes qui in Universitatibus laicalibus studia perficiunt ab isto examine non sunt eximendi ; potiore enim iure solida scientia theologica ab eis requiritur (*S. C. Consist.* Decr. 30 apr. 1918) (4). Nihil tamen obstat quin triplex examen annuum differatur, donec omnia studia expleverint. — Parochi vel vicarii *curati* religiosi istud examen coram Ordinario loci eiusve delegato non subeunt, cum ad idem examen coram delegatis sui Superioris faciendum teneantur. Quod si Superior hanc sui muneris partem durante isto triennio neglexerit, Ordinarius ad S. C. de Religiosis recurrere debebit (Resp. *Comm. I. C.*, 14 iul. 1922, ad II) (5). Etsi in responso agatur de parochis vicariisque *curatis* et de examine quod iure communi praecipitur, ex analogia dicemus religiosos, qui munere vicarii adiutoris vel cooperatoris fungantur, per quinquennium non subiciendos examini quod istis vicariis iure particulari vel statutis dioecesanis imponatur. Post quinquennium tamen, cum praecipua responsi causa deficiat, Ordinarius poterit eos adigere ad periculum scientiae theologicae coram suo delegato faciendum.

Obligatio examinis subeundi poenis congruis ab Ordinario urgenda est (c. 2376. *Epitome*, III, n. 580).

3° Praecipitur participatio in collationibus seu conferentiis, praesertim de re morali et liturgica (c. 131).

Collationes, fere prouti nunc habentur, ab a. 1565 a S. Carolo Borromaeo inter clerum saecularem introductae sunt.

Collationes praescribuntur tantum *saepius in anno*. *Materia* est res moralis et liturgica ; sed aliae opportunae exercitationes addi possunt. Si conventus haberi difficile sit, mittenda erit scripta quaestionum solutio. — Collationibus *interesse debent*, nisi fuerint ab Ordinario expresse exempti, « tum omnes sacerdotes saeculares, tum religiosi licet exempti, curam animarum habentes et etiam, si collatio in eorum domibus non habeatur, alii religiosi qui facultatem audiendi confessiones ab Ordinario obtinuerunt » (c. 131, § 3).

« Curam animarum habentes » per se censendi sunt qui, ex officio *parochi* suscepto, auxiliarii episcopi facti sunt ad regendas saecularium animas. Curam animarum habere non censentur Vicarii cooperatores parochorum vel rectorum missionis vel quasi-parochorum.

---

(1) AAS, IX, 1917, 305. — *Per.* IX, 1, ss.
(2) AAS, IX, 1917, 328, n. 13, ss. — *Per.* IX, 31.
(3) AAS, XII, 1920, 29. — *Per.* X, 163.
(4) AAS, X, 1918, 237. — *Per.* IX, 119.
(5) AAS, XIV, 1922, 526. — *N. R. Th.*, 1923, 44. — *Per.* XI, 162.

Sacerdotes qui collationes, contra praescriptum c. 131, § 1, graviter neglexerint et moniti non resipuerint ab Ordinario puniendi sunt. Si de saecularibus agitur electio poenae prudenti Ordinarii arbitrio permittitur ; religiosos vero non curatos ab audiendis saecularium confessionibus suspendere iubetur (c. 2377. *Epitome*, III, n. 581).

219. - *De castitate et caelibatu clericorum.*

Triplex obligatio clericis in Ecclesia latina imponitur, sc. non nubendi, matrimonio licite contracto non utendi, servandi titulo speciali castitatem sui status.

1. *De ipsa lege caelibatus et castitatis* (c. 132).

1° « Clerici in *maioribus* ordinibus constituti a nuptiis arcentur et servandae castitatis obligatione ita tenentur ut contra eandem peccantes sacrilegii quoque rei sint », dummodo ordinationem libere receperint vel coacte susceptam ratihabuerint (cf. c. 214, § 1).

Etiam post Codicem disputant utrum obligatio castitatis perfecte servandae ex sola lege ecclesiastica an ex voto in ordinatione tacite emittendo oriatur. Huic posteriori sententiae, quam plerique tenebant (1), Codex favere videtur, cum omnia peccata, sine distinctione inter externa et interna, contra castitatem a clerico maiore admissa sacrilegii macula infici asserat.

Secundum P. Vermeersch (2), haec moraliter constant : 1° positiva Ecclesiae *lege*, suscepturis subdiaconatum in Ecclesia latina *imponitur votum* ; 2° si quis istud emittere noluerit, vi *legis* ecclesiasticae castitatem observare debet ; quare actus externi contra castitatem sacrilegii reatu inficiuntur, actus mere interni probabiliter lege non attinguntur ; 3° *nullitas matrimonii* a clerico in sacris attentati immediate a lege ecclesiastica proficiscitur.

Qui ordini sacro initiatus matrimonium, etiam civiliter tantum, attentarit, irregularis ex delicto fit (c. 985, 3°), et excommunicatione S. Sedi simpliciter reservata plectitur (c. 2388).

Ratio legis desumitur imprimis ex perfecta puritate mentis et corporis quae sacerdotem ob munus offerendi S. Sacrificii decet ; dein ex libertate quam caelibatus ad curam animarum praebet ; tandem ex auctoritate quam huiusmodi abnegatio apostolo vitae christianae et perfectionis conciliat (3). Quare Benedictus XV, *Alloc. Consist.* 16 dec. 1920 tentaminibus quorundam clericorum haec opposuit : « Itaque, VV. FF., quod pluries iam Nos ex occasione professi sumus, idem nunc sollemniter affirmateque testamur, fore numquam ut haec Apostolica Sedes sanctissimam eam maximeque salutarem legem caelibatus ecclesiastici aliqua ex parte extenuando mitiget, nedum aboleat » (4).

In plerisque ritibus Ecclesiae orientalis, *presbyteri* et *diaconi* matrimonio *ante* ordinationem contracto licite uti possunt, cum certis tamen restrictionibus ; *episcopi* creantur sacerdotes caelibes, vidui aut quorum uxor in monasterium ingressa sit. Porro, praesertim extra ecclesias ritus byzantini, in dies magis extenditur obligatio caelibatus imposita iis qui sacris ordinibus initiari volunt (5).

---

(1) Wernz, II, 199, ss. — (2) *Theol. mor.*, III, n. 30.

(3) Cf. H. Auffroy, S. I., *Le célibat des prêtres*, *Études*, t. 133, 1912, 5, ss. ; 206, ss.

(4) AAS, XII, 1920, 585. — *N. R. Th.*, 1921, 206. — *Per.* X, 137.

(5) Wernz, II, 199, II. — Janin, R., *Les Églises orientales et les rites orientaux*, pp. 357, 362, 374, 388, etc. — Cappello, S. I. in *Ius. pont.*. 1927, 58, 66.

2° Clerici *minores* matrimonium inire non prohibentur ; nisi tamen illud ob vim et metum invalide contraxerint, ipso iure ad statum laicalem reducuntur (c. 132, § 2).

3° Matrimonium, vivente uxore, impedimentum simplex ad ordines suscipiendos constituit (c. 987, 2°) ; dispensatio generatim non conceditur, nisi uxor in religionem ingredi velit ; coniugatus, etiam bona fide ad sacros ordines sine dispensatione promotus, eos exercere prohibetur (c. 132, § 3).

2. *De commercio cum mulieribus* (c. 133).

Clerici prohibentur feminam apud se retinere aut frequentare in quam vel suspicio mali cadere possit.

Huius prohibitionis finis est castitatem clericalem praemunire et praesertim omnem scandali speciem removere.

Etsi Codex quasdam mulieres designat quarum cohabitatio cum clerico propter artum consanguinitatis vinculum aut spectatam morum honestatem cum provectiore aetate coniunctam nulli suspicioni fore praesumenda est, pressiorem totius rei determinationem Ordinariis locorum expresse permittit.

Clerici qui ius commune vel particulare de hac re graviter post monitionem violaverint, possunt suspendi, immo paroecia privari (cf. cc. 2176-2181. *Epitome*, III, 367-369).

3. *De vita communi clericorum* (c. 134).

Clericis *vita communis* commendatur ; etenim pietati simul, castitati et labori multum favet. Haec vitae communitas, ubi consuetudine vel statutis nondum est introducta, ab Ordinario loci imponi nequit (1) ; ubi viget, urgeri potest.

220. - *Recitatio divini officii.*

Clerici in sacris, nisi legitime ad statum laicalem reducti fuerint, « tenentur obligatione cotidie horas canonicas integre recitandi secundum proprios et probatos liturgicos libros » (c. 135).

Haec obligatio nunc primum scripta lege ad *omnes* clericos in sacris extenditur, iuxta schema in Conc. Vaticano propositum (2).

Incipit haec obligatio ab *hora* suscepti ordinis. Pars antea recitata valet pro penso diei. In supputandis horis diei, licet *privatim* recitanti sequi tempus « locale sive verum sive medium, aut legale sive regionale sive aliud extraordinarium » (c. 33). Cf. supra n. 115. *Materiam gravem* communiter dicunt quae parvae horae respondeat : quod non ex materiae quantitate, sed officii deformitate iudicandum videtur. — Obligationi canonis satisfacit qui distractus quidem orat, vitans tamen actionem quae attentionem internam impediat. — Causas excusationis in nostra

(1) Cf. Wernz-Vidal, II, 113, e. — Bargilliat, *Praelectiones*, II, (ed. 36ª), n. 1178.
(2) Cf. Wernz, II, n. 194.

regione satis stricte interpretamur. Ordinariis dispensandi potestas specialis in iure non conceditur; in casu urgenti tamen dispensare poterunt ad breve tempus.

221. - *De exteriore corporis cultu.*

1. « *Omnes* clerici decentem *habitum ecclesiasticum*, secundum legitimas locorum consuetudines et Ordinarii loci praescripta, deferant, *tonsuram* seu coronam clericalem, nisi recepti populorum mores aliter ferant, gestent... » (c. 136, § 1).

Etsi obligatio gerendi habitum ecclesiasticum *per se gravis* est, quippe quae gravibus poenis sanciatur, *levitatem materiae* admittit diiudicandam ex fine agentis et adiunctis temporis et loci. Ita, secluso scandalo, gravis peccati non damnant eum qui per quinque sexve dies habitum saecularem induerit; neque poenis iuris communis coercentur, nisi qui saltem per mensem habitum ecclesiasticum deposuerint (cc. 188. 2379). Ad gerendam vestem oblongam nigri coloris, praesertim cum collari romano, iusta causa sufficit, v. g. itineris in exteras regiones, etc. — Usus vestis talaris in sacro c. 811 praescribitur. — Exclusa ratione particulari, clericis qui ne quasi-domicilium quidem in dioecesi habent, usus vestis talaris extra functiones sacras praescribi non potest, modo decentem suae regionis vestem ecclesiasticam deferant (1).

2. *Poenae* quibus lex de habitu et tonsura sancitur.

1° « *Clerici minores* qui propria auctoritate sine legitima causa habitum ecclesiasticum et tonsuram dimiserint, nec, ab Ordinario moniti, sese intra mensem emendaverint, ipso iure e statu clericali decidunt » (c. 136, § 3).

2° *Clerici maiores*, transacto inutiliter *mense* a monitione, ab ordinibus receptis sunt suspendendi (c. 2379).

3° Officio vel beneficio, quae ipso iure vacant, privantur clerici qui, intra mensem a monitione sui Ordinarii, habitum ecclesiasticum non resumpserint quem propria auctoritate et sine iusta causa deposuerint (c. 188, 7°).

3. Omnes clerici « *capillorum simplicem cultum* adhibeant » (c. 136, § 1).

Nullius licentia requiritur ad calvitiem *coma ficta*, modesta et tonsuram simulante, tegendam, etiam, ut nobis videtur, intra missam. Etenim ob istius usum nemo nostris diebus « tecto capite » incedere aestimatur. Minus tutum id dicit Wernz-Vidal (*l. c.*, II, n. 101, nota 92), cum Nuntiis Apostolicis tribuatur facultas « concedendi pro sacerdotibus suae iurisdictionis usum comae ascititiae tempore celebrationis missae, data vera eorum necessitate » (Facultates Nuntiorum, n. 35. Cf. Append. I huius tomi).

De barba silens Codex nullum ius aut privilegium confert; quare non cessarunt vigere consuetudines et statuta episcoporum de hac re (2).

---

(1) De usu vestis clericalis in regione Canadensi, cf. AAS, VIII, 1916, 148. — *Per.* VIII, 163. — De usu in dioec. Mogunt. Cf. *Arch. f. k. KR.*, 1928, 130.

(2) Cf. *S.C.C.*, 10 ian. 1920. AAS, XII, 1920, 143.—*N.R.Th.* 1920, 407. ss. *Per.* X, 150.

In Belgio, ex Conc. Mechlinien. IV[i], 1920, a. 131 : « 1° Omnes et singuli clerici, non exceptis extraneis in hac regione domicilium habentibus, tenentur, praeter tonsuram, togam talarem et collare romanum deferre ; vetantur autem barbam nutrire.

« 2° Si quando clericus ad exteram regionem, cum Ordinarii sui licentia, iter aggreditur, non prohibetur habitum ecclesiasticum illi regioni proprium induere.

« 3° Districte vetantur omnes et singuli clerici ne vestibus laicalibus induti in publicum prodeant, nisi in adiunctis omnino particularibus cum expressa proprii Ordinarii licentia.

« 4° Si quis clericus in maioribus constitutus, vestibus laicalibus ad finem inhonestum in publicum prodit, ipso facto suspensionem a divinis incurrit. »

4. Prohibetur *usus anuli*, nisi iure vel Apostolico privilegio concedatur (c. 136 2°).

Vi iuris, anulo uti possunt, etiam intra missam, Cardinales, episcopi, Abbates benedicti ; Praelati inferiores, etiam in functionibus sacris cum Pontificalia agunt ; extra sacras functiones, Doctores vel Magistri in s. theologia vel iure canonico ; ex apostolico privilegio, etiam in Sacro, Protonotarii Apostolici de numero participantium ; extra missam, Praelati romani inferiores, etc. (Cf. cc. 811, § 2 ; 325 ; 1378, etc.).

De usu tabaci, rotarum, rhedae automobilis, etc. non est cur in commentariis iuris communis loquamur, cum tam variae leges particulares de iis ferendae sint.

222. - *De officiis, artibus et oblectamentis prohibitis* (cc. 137-142).

In his canonibus, agitur de officiis artibus et oblectamentis quae, etsi in se forte prorsus honesta, a clericis tamen frequentari vel assumi nequeunt, aut saltem non nisi caute vel de Superiorum licentia.

I. Quia statum clericalem dedecent, clerici prohibentur :

1° *Exercere artes indecoras* (c. 138).

Tales artes ubique habentur officia cauponum et tabernariorum. De artibus quibus clericus victum honeste lucrari possit, iuxta receptos mores iudicandum est.

2° *Arma gestare*, nisi quando iusta timendi causa subsit ; quod praesertim de aperta delatione valet (c. 138).

3° *Vacare aleatoriis ludis*, pecunia exposita (c. 138).

Non omnis ludus aleatorius prohibetur, qui, si nulla pecunia exponatur, vix ultra tempus debitum protrahetur.

4° *Indulgere* etiam *quietae* venationi aut *clamorosam* umquam *exercere*.

Dum moderatus quietae venationis usus permittitur, clamorosa (à cor et à cris ; chasse à courre) prorsus prohibetur. Ordinarii locorum venationem cum sclopeto omnino prohibere possunt, si et quamdiu iusta causa adsit, v. g. ad abusus eradicandos. Sed hanc prohibitionem censura munire non licet, nisi ob causas *graves* et *speciales* (1).

5° Interesse spectaculis, choreis et pompis « quae eos dedecent, vel quibus clericos interesse scandalo sit, praesertim in publicis theatris » (c. 140).

(1) Cf. *S. C. C.*, Gnesnen. et Posnanien., *Circa venationem*, 11 iun. 1921. — AAS, XIII, 1921, 498. — *Per.* X, 354. — *N. R. Th.*, 1922, 154.

De his oblectamentis statuta dioecesana vel decreta Conc. provincialis consulenda sunt. *S. C. Consistorialis*, decr. 31 mart. 1916 et declar. 10 dec. 1917, confirmavit et extendit prohibitionem Conc. Baltimorensis III ne clerici convivia cum choreis, etiam ad opera pia fovenda, promoverent; addidit clericis non licere choreis etiam diurnis, etiam sine conviviis aut in « pic-nics » institutis interesse (1). Hae prohibitiones, pro America septemtrionali latae, secundum mentem responsi prudenter applicandae sunt (2).

Pompae sunt sollemnes apparatus funerum, nuptiarum, cultus publici; quo verbo designari quoque potest agmen, concursus populi ordinatus ad sollemnia politica, etc. celebranda. Ut scias quaenam pompae clericos dedeceant, finis praesertim et genus hominum respicienda erunt. Quare clerici, praecipue qui dignitate quadam insigniuntur, pompis ob festum patrium ordinatis interesse non indiscriminatim prohibendi sunt.

Conc. Mechlinien. IV, 1920, a. 136, haec habet :

« Circa hanc legem statuimus et declaramus sequentia :

« 1° Sub gravi praecepto omnibus ac singulis clericis non exceptis extraneis in hac regione domicilium vel quasi-domicilium habentibus, prohibetur ne in publico theatro spectaculis, choreis aliisve pompis intersint.

« Sub hac prohibitione non comprehenditur casus peculiaris quo theatrum ceteroquin publicum a societate quadam catholica, Ordinario loci consentiente, ad spectaculum dandum locatione tenetur.

« 2° Iidem vetantur in locis publicis vulgo *cinema* dictis interesse spectaculis, nisi haec sub directione sacerdotis a Superioribus probati agantur.

« 3° Si quis clericus, in maioribus ordinibus constitutus, graves illas prohibitiones transgreditur, ipso facto suspensionem a divinis incurrit. »

6° *Ingredi* sine necessitate aut alia iusta causa ab Ordinario loci probata *tabernas* aliaque similia loca.

Tabernae sunt domus ubi merces venales prostant. Ex usu satis liquet in lege ecclesiastica agi tantum de tabernis in quibus omne genus potus omnibus promiscue et minutim propinatur. Immo ob usum romanum vocis, non censendus est prohibitus iure communi ingressus in omnes tabernas, sed in illas quas homines praesertim inferioris condicionis frequentant (*bettole, cabarets, bars*) (3). Attamen sunt dioeceses in quibus consuetudo vel statuta diocesana severiorem usum induxerunt qui servandus est. Nullibi interdicitur ingressus in honestas tabernas ubi cibi viatoribus apponuntur (*hôtels, restaurants, pâtisseries ; trattoria, ristorante*). Ubi severior usus viget, *iusta causa* erit iter, invitatio ad prandium exsequiarum, visitatio amici aut propinqui in taberna habitantis, etc. Cf. Conc. Mechlinien., 19..0, art. 133.

223. - II. De his quae vitanda sunt, tamquam a statu clericali aliena (c. 139).

A. Triplex classis negotiorum vel officiorum distinguitur, prout eorum exercitium vel susceptio indulto Apostolico aut licentiae Ordinarii aut, pro locorum diversitate, alterutri approbationi subicitur.

1. Sine apostolico indulto, clerici prohibentur (c. 139, § 2) :

1° *Medicinam* aut *chirurgiam exercere.*

Praebere remedia quorum cognitio, praeparatio et usus specialem pharmaco-

---

(1) AAS, VIII, 1916, 147; X, 1918, 17. — *Per.* VIII, 161; IX, 43.

(2) Cf. Vermeersch, *Theol. Moralis*, III, n. 18, f.

(3) Vermeersch, *o. c.*, III, n. 18, e.

polarum scientiam non supponit, neque ecclesiastico neque civili iure prohibetur. — Neque medicinam exercet, qui, praesertim privatim, methodum utendi balneis et lotionibus docet. — Minime vetatur cura, etiam ad normam artis medicae, proximis vel familiaribus adhibita. — Religiosi qui ex Instituto curam infirmorum suscipiunt, ex approbatione Constitutionum ea omnia facere possunt quae gravem incisionem vel adustionem non requirunt ; quae, in urgenti necessitate, si prudenter fieri possunt, ipsa caritatis lege honestantur vel praecipiuntur. — Etsi chirurgiam iam non exercet qui caesaream operationem in muliere certo mortua fecerit, plerumque ob gravem legis civilis prohibitionem aut ob periculum scandali a clerico omitti poterit vel debebit (1).

2° Agere tabelliones seu publicos notarios, nisi in curia ecclesiastica.

Prohibitio quod ad forum civile nunc strictior ad *omnes* clericos extenditur, quod ad forum ecclesiasticum e iure tollitur ; immo notarii in quibusdam causis ecclesiasticis, clerici aut etiam sacerdotes esse debent (Cf. cc. 372, §§ 1 et 3 ; 373, § 3).

3° Assumere officia publica quae exercitium iurisdictionis laicalis vel administrationis secum ferant, v. g. iudicis, burgimagistri, scabini, praefecti provinciae, etc.

2. Sine licentia sui Ordinarii, clericis non licet :

1° « Inire *gestiones bonorum* ad laicos pertinentium aut officia saecularia quae secum ferant onus reddendarum rationum » (c. 139, § 3).

Hoc canone mitigatur disciplina non ita pridem decr. *S. C. Consist.* d. 18 nov. 1910 introducta, quae ad huiusmodi onera suscipienda vel retinenda apostolicum indultum requirebat (2). Hanc mitigationem confirmavit resp. Comm. I. C., 3 iun. ad I (3). Attamen, vi litt. circ. *Secret. Status*, 6 iun. 1923 (4), clerici dioecesium Italiae et insularum adiacentium indulto S. C. Concilii indigent ad huiusmodi negotia retinenda.

2° Exercere *munus procuratoris* aut *advocati* « nisi in tribunali ecclesiastico, aut in civili quando agitur de causa propria aut suae ecclesiae ».

Clericis, etiam maioribus, olim licebat causas proximorum et miserabilium personarum coram tribunali laico tueri. Ob verba « in causa propria » et quia hic canon cum vetere iure partim non concordat, cum De Meester (I, 381, 3°, b), contra Maroto (I, n. 568, B) censemus licentiam Ordinarii, etiam ad causam proximorum tuendam, esse necessariam.

3° Habere partem ullam, vel ad *testimonium* ferendum, *in laicali iudicio criminali*, gravem personalem poenam prosequente.

Si necessitas ferendi testimonii e lege civili oritur, licentia Ordinarii exquirenda est, si e lege caritatis, non ita (Contra Maroto, I, 568, C). — Poena *personalis gravis* opponitur mulctae et diuturnum carcerem vel mortem designat.

3. Pro locorum adiunctis, licentia S. Sedis vel Ordinarii loci neces-

(1) Cf. *S. O.*, decret. 13 dec. 1899. — *N. R. Th.*, 1900, 544.
(2) AAS, II, 1910, 910. — *Per.* V. 261.
(3) AAS. X, 1918, 344. — *Per.* IX, 149 et 151.
(4) Cf. *Monit. eccl.*, 1923, 304.

saria est ad sollicitandum vel accipiendum *munus Senatoris* vel *deputati* (c. 139, § 4).

Licentia S. Sedis necessaria est in regionibus in quibus pontificia prohibitio intercesserit, uti olim in Bosnia-Herzegovina ; in aliis locis, sufficit licentia Ordinarii proprii et loci in quo fit electio.

Ex resp. *Comm. I. C.*, 25 apr. 1922 (1), etiam si vi Constitutionis civitatis. Cardinales, archiepiscopi et episcopi de iure sunt senatores, aliqua S. Sedis approbatio huius privilegii debuit intercedere, ut eius specialis venia non requiratur. — Praeterea Ordinarius praecepto sive peculiari sive communi, actionem politicam interdicere potest et debet viris ecclesiasticis qui in ea explicanda non se confirmant instructionibus S. Sedis (2).

B. « *A fide iubendo,* etiam de bonis propriis, clericus prohibetur, *inconsulto* loci Ordinario » (**c. 137**).

Fide iubere est se facere sponsorem alienae obligationis, seu eam implendam suscipere, si debitor principalis non stet promissis. — Ratio legis est ne clericus pecuniariis negotiis implicetur, bona imprudenter amittat, ad respondendum ultra vires et cum damno famae teneatur, etc. — Prohibitio non est absoluta, quia caritate fidei iussio interdum praecipi potest.

C. *De militia voluntaria.* Ecclesia clericos a servitio militari immunes esse semper declaravit, ut supra n. 210 vidimus, illudque capessere omnino vetat. Ubi vero privilegium istud violatur, non prohibet quin clericus, praevia Ordinarii *sui* licentia, tempus servitii sponte praevertat, quo citius liber evadat et obligationes sui status, v. g. studia melius obeat. Contra prohibitionem **c. 141** fecerit clericus qui servitio auxiliari infirmarii, administrationis, astrictus, se ad servitium ordinarium, i. e. cum armis, sponte et sine venia sui Ordinarii offerret.

Clerici cum ipsam patriam auxilio spirituali et cura infirmorum, non armis, tueri debeant, potiore iure vetantur « intestinis bellis et ordinis publici perturbationibus opem quoquo modo ferre » (ibid.).

Verba « ordinis publici perturbationibus » prae verbis « politicis contentionibus » electa sunt, ne Codex videretur clericos ab omni immixtione in res politicas removere velle ; saepe enim contentiones politicae in bonum vel detrimentum religionis satis directe vergunt. Clericis tamen suadendum est ut, proponendis principiis caritatis et iustitiae contenti, partibus saltem iis inter quas catholici dividuntur, quam minime adhaereant : « omnia enim omnibus » fieri debent. Praesertim post bellum, S. Sedes consilia et praecepta de hac re plurima dedit (3).

« Clericus minor qui contra praescriptum § 1 sponte sua militiae nomen dederit, ipso iure e statu clericali decidit » (c. 141, § 2).

---

(1) AAS, XIV, 1922, 313. — *Per.* XI, 126.
(2) *SCC.*, Resp. 15 mart. 1927. AAS., XIX, 1927, 138. — *N. R. Th.*, 1927. 468. — *Per.* XVI, 28.
(3) LEONIS XIII, ep. 20 aug. 1901 ad ep. Bohem. et Morav. (*Lettres Apost.* de S. S. Léon XIII, VII, 112) ; BENEDICTI XV, ep. 8 sept. 1916, ad Canaden. AAS, VIII, 1916, 894. – *Epist.* 7 iun. 1918, de quaestione scholastica in regione Canadensi, AAS, X, 1918, 440. *Per.* IX, 104. — *Epist.* 18 dec. 1919, de subiectione et oboedientia potestati civili, AAS, XII, 1920, 32. *Per.* X, 165. — *Epist.* 10 febr. 1921, de quaestione flandrica. AAS, XIII, 1921, 127, *Per.* X, 269. — *Epist.* 16 iun. 1921, de ratione a clero servanda in Polonia. AAS, XIII, 1921, 424. *Per.* X, 342.

224. - *De negotiatione clericis prohibita.*

« Prohibentur clerici per se vel per alios negotiationem aut mercaturam exercere, sive in propriam sive in aliorum utilitatem » (c. 142).

Canon 142, cum veterem disciplinam vix non iisdem verbis referat, ex veteris iuris auctoritate atque ex receptis apud probatos auctores interpretationibus, est aestimandus (c. 6, 2°). Sic restrictiones vel distinctiones explicantur, quibus utemur (1).

1. Notiones. Dum mercatura potius emptionem-venditionem mercium designat, negotiatio latius patet et omnes operationes lucri studio factas significat.

Ex diversis responsis *S. C. C.* Canonistae varias negotiationis formas definierunt, quarum aliae prohibitae, aliae licitae essent.

Negotiatio *quaestuosa* (*lucrativa* sensu stricto) dicitur, si res ea intentione *emantur* ut *non mutatae* vendantur *carius*. Negotiatio *industrialis* est quotiens res labore humano mutatae cum lucro commutantur. Triplicem formam induere potest, sc. : *a*) res emuntur ut ope conductorum opificum mutatae vendantur (quae forma *stricte* industrialis dicitur) ; *b*) venduntur res proprio labore mutatae, sive : α) propriae, v. g. fructus fundi proprii, sive : β) ad id coemptae.

Sub negotiatione *cambiaria* intellegunt operationes proprias eorum qui cambio faciendo vacant. Pleraeque non sunt nisi negotiatio quaestuosa ope titulorum (obligationum vel actionum) vel monetae facta.

His addendae sunt negotiatio *oeconomica* et *politica*. Prior consistit in permutatione lucrativa suorum bonorum, nullo labore proprio mutatorum ; altera seu politica, est coemptio rerum quae determinatae communitati, v. g. incolis pagi, paroeciae, collegii vendendae sint. Haec est quaestuosa vel non, pro fine principali ob quem peragitur, i. e. cum vel sine intentione lucri.

2. Praescripta iuris. Ex vetere disciplina et recepta doctrina, c. 142 ita efferri potest : non licet clericis exercere negotiationem quaestuosam vel industrialem stricte dictam, sive per se sive per alios, etiam in aliorum tantum utilitatem, nisi urgeat gravis necessitas propria vel proximorum, quorum sustentatio ipsis incumbit.

Quando venduntur res ad id coemptae et a conductis opificibus mutatae, negotiatio industrialis iisdem pro clericali vita et officio incommodis obnoxia est atque quaestuosa ; duplex alia forma non est nisi honesta rei administratio vel modus honestissimus quaerendi proprio labore quae sunt victui necessaria, nisi propterea obligationes status neglegantur.

Conductis operariis non videntur aequiperandi alumni quos ad varias artes exercendas informant clerici vel religiosi, etiam si illis modicum stipendium tribuatur. Licebit igitur res opera eorum mutatas ita vendere, ut scholae lucrum acquiratur, quo pensio magistrorum solvatur. Negotiatio oeconomica et formae negotiationis industrialis quae ad eam reducuntur minime prohibentur. Negotiatio *politica* ex modo et fine diiudicanda est. Si finis a lucro diversus et a statu

(1) Cf. Monin, A., *Le clergé et les opérations financières. L'Action catholique*, 1920, 449, ss.

clericali non alienus accedat, non videtur cur prohibeatur. Quare negotiari quaestuose non censentur clerici qui scholaribus libros, codices, etc. vendunt; qui in loco peregrinationis imagines, statuas, coronas emendas offerunt, etc. Lucrum moderatum permittitur quo solvantur impensae vecturae, pensionis eius qui rem gerit, etc. Vitetur tamen sedulo omnis species turpis lucri.

Prohibetur *exercitium negotiationis*, quod repetitos actus seu consuetudinem supponit. Quare non omnis actus negotiationis ipso iure vetatur neque deliquerit qui raro, etiam in re gravi, negotiatus sit.

Ratio legis haud difficulter perspicitur. Negotiatio et mercatura innumeris curis animum implicant; interdum iuris per iudicia exigendi necessitatem imponunt; lucri temporalis cupiditatem sapiunt et creant; quae omnia a statu clericali et religioso quantum abhorreant, nemo non videt.

Si *gravis necessitas* non est praesens aut personalis aut vitae, sed status, licentia petenda erat olim in Italia a S. C. Concilii, alibi sive a S. C. C. sive ab Ordinario. Cum Codex discrimen inter Italiam et alias regiones nullibi efferat, D. MONIN, (*l. c.*, p. 13) censet rem ab Ordinario ubique dirimi posse. Ceterum de vera dispensatione a lege non agitur, sed de iudicio circa gravitatem causae. Cum enim de *exercitio* negotiationis agitur, vix non erit tempus ab ipsa S. Sede dispensationem in casu minoris necessitatis petendi. Si clericus negotiationi ex haereditate acceptae sine gravi incommodo statim renuntiare nequit, eam *per alios* exercere licebit *ad tempus* quod *Ordinarius*, de hac re interrogatus, determinaverit (Cf. BENEDICTUS XIV, C. *Apostolicae servitutis*, 25 febr. 1741).

3. Quia clerici *per alios* negotiationem exercere prohibeutur, quaestio acriter, praesertim saeculo XIX°, agitatata est, num titulos bancarios acquirere et retinere possent. Distinctione opus est. Duae sunt species titulorum valde diversae : *obligationes* nempe et *actiones*, quae dicuntur.

Obligatio est titulus quo constat aliquem certam pecuniae summam certo fenore et ad tempus determinatum mutuam dedisse. Fenus est mediocre, sed periculum sortis, saltem iis qui terminum praefixum exspectare possunt, fere nullum est. Porro qui obligationes detinet, nullam prorsus partem in negotiis ope istius pecuniae gerendis habet. Quare clerici ex sententia communi obligationes acquirere et detinere possunt, etsi vetantur ope earum ludis bursae vacare, qui negotiatio quaestuosa sunt.

Actio est titulus quo possessor partem in negotiatione acquirit. Res autem geritur nomine et periculo eorum qui titulos detinent ab administratoribus quos illi instituerunt. Actiones simul spem lucri et periculum sortis maiora quam obligationes praebent. Si negotiatio ea est quam clerici per se gerere possent, i. e. industrialis lato sensu, omnes admittunt licentiam coemptionis actionum ; si fuerit quaestuosa (societates commerciales, mensae nummulariae, etc.) vel industrialis

stricte dicta, alii negant, affirmant alii liceitatem. His astipulamur, quamdiu S. Sedes aliud non definiverit.

Rationes sunt : quia in societatibus uti nunc constituuntur, qui actiones detinent nullam partem immediatam in negotiatione habent, ita ut communiter negotiari non censeantur, neque rei bene vel male gestae meritum vel dedecus in ipsos refundatur ; quia huiusmodi remota participatio possessores actionum per se minime sollicitos de varia rei fortuna habet ; quia ultima S. Sedis responsa (1) istos clericos non inquietandos esse asserunt.

Duplex condicio liceitatis additur : 1° non possunt partem in re gerenda assumere ; 2° non licet actiones eo fine emere ut carius vendantur. Aliae condiciones per se intelleguntur, sc. ; 3° ut parati sint stare decretis S. Sedis ; 4° ut nullam partem habeant in societatibus minus honestis.

Conventibus sociorum, seposito scandalo et potius per alios interesse licebit, ut honestos administratores eligant, non ut negotia moderentur.

225. - *De commoratione clericorum in dioecesi.*

Residentia *stricto sensu* est commoratio assidua in loco officii vel beneficii. Hic de residentia *lato sensu* seu de habituali intra fines dioeceseos commoratione agitur.

Si officium vel beneficium curatum est, ipso iure divino aliqua residentia praecipitur, cum pastor oves suas cognoscere earumque necessitatibus providere debeat, quod, per alium etiam idoneum, semper fieri vix potest.

Cum clerici vagi non admittantur (c. 111) et sub oboedientia Ordinarii manere debeant, ita ut munus ab eo impositum suscipiendum et fideliter implendum sit (c. 128), nulli eorum licet « a sua... dioecesi per notabile tempus sine licentia saltem praesumpta Ordinarii proprii discedere » (c. 143).

Clericis curatis et canonicis lex residentiae iure communi stricte est definita et ex iustitia urget (Cf. cc. 338. 465) ; aliis norma can. 143 et 144, quam ius particulare determinare potest, praestituitur.

Causae a residentia excusantes sunt christiana caritas (v. g. ad visitandum infirmum), urgens necessitas (v. g. valetudinis curandae), debita oboedientia, evidens Ecclesiae vel Reipublicae utilitas ; a petenda tamen licentia non eximunt.

In decr. S. C. *Consist.*, *Magni semper*, 30 dec. 1918 (2), de clericis in Americam migrantibus, n. 11, breve tempus dicitur quod semestre non excedat. At illud tempus opponitur discessui qui perpetuus vel ad plures saltem annos duraturus praevidetur. Quare ex his verbis definitio temporis *notabilis* erui nequit. *Notabilis absentia* in iure non definitur. Trium mensium absentia certe notabilis est, cum etiam in casu maxime favorabili longior non concedatur (cf. c. 418). Maroto, I, p. 515 ex sententiis episcoporum de schemate huius canonis absentiam *ultra unum mensem* notabilem habet ; quod ex litt. circ. *S. Congr. Consist.*, 7 mart. 1925 confirmari potest, cum *longum tempus* definiat quod mensem superet (3). Iure particulari hoc tempus magis definiri potest.

(1) Decret. *S. O.*, 17 nov. 1875. — Resp. *S. O.*, 18 apr. 1885. — *S. C. de P. F.*, Resp. 7 iul. 1893.
(2) *S. C. Cons.*, decr. 30 dec. 1918. AAS, XI, 1919, 39. — *Per.* X, 38.
(3) Cf. *Mon. eccl.*, 1925, 97.

Licentia legitime *praesumpta* stricte est quae, si peteretur, daretur; continetur enim in voluntate habituali Superioris ut inferiores secundum adiuncta id agant quod eorum condicioni sit consentaneum. Non confundenda est cum licentia tacita. Licentia quae e consuetudinibus, ex silentio statutorum, ex commisso officio, ex alia licentia eruitur, non est praesumpta, sed tacita aut implicita.

Ita sine licentia vel ex licentia tacita seminaristae poterunt per totum tempus feriarum in aliena dioecesi degere aut iter facere; qui officium magistri vel deputati in alia dioecesi cum venia sui Ordinarii suscepit, nullam licentiam discedendi petere debet, etc.

Licentia ab Ordinario sine iusta, etsi non gravi causa denegari nequit; is enim quem nullum officium vel beneficium ab Ordinario collatum in dioecesi retinet, nisi oboedientiae se subtrahat, si etiam ad notabile tempus discedat, nullum Superiori detrimentum affert.

Quamdiu quis excardinatus non est, ad serviendum dioecesi incardinationis paratus esse debet; quare iusta causa sufficit ut Ordinarius eum etiam cum licentia profectum revocet. « Naturalis aequitas » tamen servanda est, v. g. si clericus officium vel beneficium in alia dioecesi accepit, si impensis mutandi domicilii satisfacere nequeat, etc. (**c. 144**). (1).

Ordinarius loci non potest sine iusta causa clericis alienis commorationem in sua dioecesi vetare; prohibitio enim commorandi in aliquo loco poenam constituit (cf. c. 2298, 7°). Immo, si cui beneficium contulerit, ulteriorem commorationem prohibere non poterit, nisi ab eo beneficium ad tramitem iuris sustulerit.

Clerici saeculares qui ex Europa vel ex mediterraneis oris in Americam vel in insulas Philippinas iter semestre non excedens instituere cupiunt, dimissorialibus sui Ordinarii in forma specifica datis et beneplacito a Legato S. Sedis vel a S. C. *Consistoriali* concesso indigent. Normae etiam strictiores statuuntur de clericis ex Europa in Americam ad longius tempus vel in indefinitum migrantibus et de sacerdotibus qui agricolis vel operariis ad tempus in aliam regionem, etiam intra Europam, migrantibus, ad praestandum sacrum ministerium, se iungunt (2). Ordinarii Italiae suis clericis qui Romae commorari cupiunt, litteras commendatitias ad tempus ultra mensem dare non possunt, nisi monito Vicario Urbis et accepto eius consensu (3).

---

(1) Quomodo haec *naturalis aequitas*, quae est elementum subiectivum et correctivum iuris, differat ab *aequitate canonica* (c. 20) quae est elementum morale, obiectivum, quo apte principia iuris ad supplendam lacunam adhibentur, cf. S. D'ANGELO prius in *Per.*, XVI, 210*, dein in *Apollin.*, I, 1928, 363, s.

(2) S. C. *Consist.*, decr. *Magni semper*, 30 dec. 1918. — AAS, XI, 1919, 39, — *Per.* X, 38, ss.

(3) Cf. Litt. circ. *S. C. Cons.*, 7 mart. 1925. — *Mon. eccl.*, 1925, 97.

TITULUS IV

DE OFFICIIS ECCLESIASTICIS
(cc. 145-185)

Scriptores : Wernz, II, n. 239, ss. — Blat, O. P. *Commentarium*, II, in h. cc — Maroto, *Institutiones*, I, n. 578, ss. — De Meester, *Compendium*, I, 393. — Wernz-Vidal, S. I., *Ius canonicum*, II, n. 139, ss.

226. - Ordo materiae. — Cum plerique clerici, saltem saeculares, ad ordines promoveantur ut officium suscipere possint et plerisque potestas iurisdictionis ob istud conferatur, de officiis in genere disserendum est, antequam de potestate clericorum et praesertim de officiis in specie agatur. Dum veteres sub hoc titulo de constitutione beneficiorum et de iuribus obligationibusque ex eorum acquisitione ortis tractant, Codex aliter materiam disposuit. Quae enim constitutionem officiorum spectant, praesertim vel unice propter annexum ius ad reditus definiuntur ; quare ad titulum de beneficiis (L. III, tit. XXV) ea reiecit. — Iura et obligationes clericorum aut sunt omnium communia et iam proposita sunt ; aut ex *tali* officio oriuntur, quae hic praetereunda ; aut ob ius ad reditus beneficii exsistunt suntque sub titulo de beneficiis proponenda (cf. c. 146).

Proposita officii definitione (cc. 145. 146), sub duplici capite de eorum acquisitione (cc. 147-182) et amissione (cc. 183-195) agendum est.

227. - 1. « Officium ecclesiasticum *lato sensu* est quodlibet munus quod in spiritualem finem legitime exercetur, *stricto* autem sensu est munus ordinatione sive divina sive ecclesiastica stabiliter constitutum, ad normam sacrorum canonum conferendum, aliquam saltem secum ferens participationem ecclesiasticae potestatis, sive ordinis sive iurisdictionis » (c. **145**, § 1).

Officium stricte dictum his notis distinguitur : est *munus sacrum*, tum quia finem supernaturalem respicit, tum quia sive a Christo sive ab Ecclesia est statutum ; *stabile* est, stabilitate sc. *obiectiva*, ita ut ex institutione Christi aut iure ecclesiastico constituatur in Ecclesia modo perpetuo certus potestatis spiritualis gradus, certus iurium spiritualium complexus clerico conferendus aut semper aut quotiens adiuncta iure definita recurrunt, puta munus episcopi, Vicarii capitularis, administratoris dioecesis, etc. ; eius *collatio* certis *iuris communis* regulis determinatur, etiamsi beneficentia privatae personae erigi potuit, neque a beneplacito Superioris omnino pendet ; annexam habet aliquam saltem *potestatem*, sive ordinis sive iurisdictionis.

Huiusmodi officia, stricte sumpta, sunt episcopatus, munus parochi, Superioris regularis. — Munus autem confessarii (qua talis), sacristae, antistitae religiosarum non est officium, nisi lato sensu.

2. « In iure officium ecclesiasticum accipitur stricto sensu, nisi aliud ex contextu sermonis appareat » (c. 145, § 2).

Quod omnino notandum est ; in locis ubi de officiis sermo est, non valebit : ubi lex non distinguit, neque nos distinguere debemus. Verbum certe lato sensu accipitur in rubrica l. V, tit. XIX, *de abusu potestatis vel officii ecclesiastici*,

cum canones de muneribus quoque spiritualibus loquantur, quibus nulla potestas ordinis vel iurisdictionis annectitur, v. g. antistitae religiosarum.

228. - Officia dividuntur : 1° In *beneficialia* et *non-beneficialia* (c. **146**).

Officium beneficiale est cui a potestate ecclesiastica annexum est ius perpetuum percipiendi reditus ex bonis Ecclesiae. De his beneficiis, cf. Lib. III, part. V, tit. XXV.

2° In *maiora* et *minora*. Illa conferunt potestatem saltem quasi-episcopalem, v. g. officium Provincialis in Ordine religioso ; cetera sunt minora.

3° In *saecularia* et *religiosa*, prout clericis saecularibus aut religiosis reservantur. Prioris speciei est v. g. officium Vicarii generalis, in dioecesi quae religioni non est commissa.

Aliae divisiones minoris sunt momenti vel ad beneficia pertinent.

Caput I. - De provisione officiorum ecclesiasticorum

229. - **Ordo materiae**. Propositis provisionis canonicae necessitate, definitione (c. 147) et divisione (c. 148), normae quae de omni provisionis forma valent praestituuntur (cc. 149-151).

Dein Codex de singulis provisionis formis sub singulis articulis agit, remisso lectore quod ad institutionem praesentati ad L. III, p. V, tit. XXV de *beneficiis ecclesiasticis*, cap. IV, *de iure patronatus*, cc. 1448-1471.

Successio hereditaria in Ecclesia penitus excluditur ; *adoptio* successoris utrum a R. Pontifice fieri possit necne scriptores acriter disputant. Episcopo hoc ius adoptionis concedi potest speciali indulto, sed tunc institutioni successoris aequivalet. De *sorte* nulla mentio in Codice facta est ; non exclusam tamen eam censemus, dummodo unanimi electorum consensu et de personis ceteroquin dignis adhibeatur.

230. - Provisio canonica definitur « concessio officii ecclesiastici a competente auctoritate ecclesiastica ad normam sacrorum canonum facta » (c. **147**, § 2).

Complectitur triplicem actum : designationem personae, concessionem tituli seu ipsius officii cum suis obligationibus et iuribus, introductionem in possessionem (1).

231. - *De formis provisionis* (c. **148**, § 1).

1. Quattuor modi provisionis faciendae exsistunt :

1° *libera collatio*, quando fit personae a Superiore ecclesiastico libere designatae (cc. 152-159) ;

2° *institutio* canonica personae quae a patrono praesentatur aut a persona privilegiata nominatur (cc. 1448-1471) ;

Iuri patronatus Ecclesia iam non favet. Codex enim illud in posterum non concessum iri, et quae exsistant, quantum fieri potest, spiritualibus suffragiis commutanda esse statuit (cf. c. 1458).

(1) Wernz, II, 284.

3° *confirmatio* electionis (cc. 160-178) vel *admissio* postulationis (cc. 179-182) a collegio factae;

4° *simplex electio* ab electo acceptata, ubi confirmatione Superioris non indiget (cc. 160-178).

Verba *provisio*, *collatio* et *institutio* in vetere iure tamquam synonyma non raro adhibebantur ad designandam concessionem officii in genere. In Codice, *collatio*, *conferre* de *libera* collatione per oppositionem ad necessariam collationem seu *institutionem* adhibentur, v. g. cc. 148, 332, 1466, etc. (1).

2. Cum concessio officiorum ecclesiasticorum ad regimen spectet cuius potestatem perfectam et a nulla alia auctoritate dependentem Christus Superioribus Ecclesiae commisit, officium ecclesiasticum illicite, immo et invalide, ipsis invitis conceditur (**c. 147**, § 1).

Quodsi principes saeculares potestatem civilem vel alia privilegia cum officiis ecclesiasticis quibusdam coniunxerunt, nullo immediatae concessionis iure inde potiti sunt, etsi aequitas et caritas postulant ut officium, ipsis inconsultis, non conferatur.

Provisio remanet canonica, etsi actu *speciali* Superioris ecclesiastici non perficiatur; talis actus ex privilegio, dispensatione, lege fundationis, praescriptione (cf. c. 1446) omitti potest.

Ius Ecclesiae usurparunt multi Principes christiani a saec. IV° ad XIX^m; idem ius negarunt iurisperiti in controversia de investituris, dein fautores regiminis popularis in Ecclesia, ut Marsilius Patavinus, et saec. XVI° Novatores; tum Gallicani et Regalistae, tandem fautores Iosephinismi vel absolutae Status potestatis in Borussia vel in America meridionali. Sed de his cf. Dogmaticos et scriptores historiae ecclesiasticae.

3. Persona designata per electionem et praesentationem acquirit *ius ad rem* quod alteri cedi nequit, apud Superiorem autem urgeri potest; idem ius conferunt libera collatio nondum acceptata et ius optandi pinguiorem praebendam; *ius in re* obtinetur per confirmationem, institutionem, acceptationem collationis, optionem. Ex postulatione, supplicatione vel commendatione nullum ius oritur.

Quanti momenti sit distinctio inter designationem personae et actum tituli collativum manifestavit perseverantia quacum Pius PP. X verba « *nobis* nominaverit » loco simplicis « nominaverit » inseri voluit in Bullas institutionis episcoporum a gubernio civili Galliae nominatorum (2).

232. - *Normae generales quod ad provisionem.*

Superior officium *licite* non confert, nisi ei quem idoneum cognoverit; nec *valide* (si inferior sit S. Pontifice), nisi officium ad normam iuris vacaverit.

I. *De probatione idoneitatis.*

Idoneitas est complexus qualitatum quae a iure communi vel particulari aut

(1) Cf. *Monit. eccl.*, 1923, 323.
(2) *Livre blanc du S. Siège*, 1905, Ch. VI. — Cf. *Rev. quest. act.*, t. 84, p. 36, ss.

a lege fundationis ad officium obtinendum requiruntur. Defectus idoneitatis non est idem atque indignitas, quae oritur ex praesentia vitii ob quod candidatus ab officio excluditur, v. g. censurae, etc. (1).

Ubi Superior ecclesiasticus, R. Pontifice inferior, officio libere providet, de idoneitate promovendi ad normam iuris iudicare debet, v. g. per concursum (c. 459, § 4) vel per examen (cc. 459, § 3, 3° ; 471, § 2 ; 877, etc.).

Quando promovendus ab aliis est designatus, de eius idoneitate constare debet « *proprio* Ordinario » i. e. ipsi Ordinario tituli collatori, qui examen, etiam si iure non praecipiatur, imponere poterit (**c. 149**).

II. *De vacatione officii conferendi.*

1. Vacare dicitur officium ecclesiasticum quod titulari aut possessore caret (WERNZ, II, 313). Vacat *de iure,* quando vi iuris in re nemo id obtinet ; *de facto,* quamdiu ob non impletas *possessionis* condiciones non detinetur.

Officium vacare potest : 1° *de iure et de facto*, si nemo illud vi iuris in re obtinet neque actu possidet ; 2° *de facto tantum*, *non de iure*, si vi iuris in re ad aliquem pertinet, quin actu detineatur ; 3° *de iure tantum*, *non de facto*, si quis sine titulo proprietatis illud possessione detinet.

Intrusus stricte dicitur qui officium invalide collatum vel arbitrarie usurpatum detinet.

Officia vacant *de iure* ad normam cc. 183, ss.

2. Nisi officium *de iure* vacet, neque eius concessio neque eius promissio ullum ius sive in re sive ad rem confert. Provisio autem subsequenti vacatione non convalescit (**c. 150**).

Quare nulla fuerit concessio paroeciae in quam parochus ad aliud officium translatus, nondum ius in re amiserit, capta alius officii possessione (cf. c. 194, § 1) ; nec talis concessio sine novo et speciali Ordinarii actu convalescet. Quod est animadvertendum, ubi Ordinarius simul pluribus paroeciis translatione parochorum providere vult.

3. Si officium vacat *de iure, non de facto,* duplex condicio implenda est ut legitime conferatur, nempe : 1) ut « rite secundum sacros canones declaratum fuerit eam possessionem non esse legitimam », et 2) « de hac declaratione mentio fiat in litteris collationis » (**c. 151**).

Declaratio illegitimae possessionis niti potest declaratione vacationis ad normam cc. 2150, 2153, § 3 ; 2161, 2167, § 2, etc., aut sententia iudiciali quae actionem possessoriam dirimat (cf. c. 1693, ss).

Estne duplex condicio in canone praescripta ad *validam* collationem implenda ? Affirmativa responsio iure anteriore nititur (cf. SCHMALZGRUEBER, in l. III, t. VIII, n. 13) et usu particulae « dummodo » insinuatur. Eam BLAT (*o. c.*, p. 93) probabiliorem habet. — Attamen censebant scriptores declarationem ad validam collationem non esse necessariam, ubi illegitimitas possessionis erat *notoria* (SCHMALZGRUEBER, *l. c.*, n. 14).

(1) Cf. EICHMANN, *Das Strafrecht des Codex I. C.*, p. 220.

Art. I. - De libera collatione

233. - In hoc articulo, nigrum certe rubro latius patet, nam quidam canones praescripta in omni provisione servanda ponunt, v. g. cc. 153, § 1 ; 154 ; 156, § 1.

Definitio. Libera collatio est provisio officii ecclesiastici vacantis a competenti Superiore, pleno iure facta.

Collatio *libera* opponitur *necessariae*, vid. ex necessitate iuris, v. g. ad praesentationem, electionem, aut ad mandatum Superioris. — Dicitur *pleno* iure i. e. solo Superioris iure facta. Ius istud potest esse proprium, v. g. in R. Pontifice, in episcopis, etc. aut niti speciali titulo, v. g. in Legatis a latere.

S. Pontifex omnia officia libere conferre potest, etsi collatio officiorum minorum iuxta divinam Ecclesiae constitutionem episcopis regulariter permittenda sit. — Ex officiis quae R. Pontifex confert, alia per se ad ipsum spectant, sive ut successorem S. Petri, v. g. episcopatus, sive ut episcopum Urbis, v. g. paroeciae Urbis ; alia iure quod dicitur *reservationis* (cf. cc. 232. 329. 1431. 1435, etc.).

Reservationes particulares non videntur ante medium circiter saec. XII in usu fuisse ; sed earum usus satis invaluit ut in Decretales Gregorii IX non paucae litterae de reservationibus agentes insertae fuerint. Primus autem Clemens IV lege universali reservationes generales constituit. Earum numerum auxerunt Pontifices Avenionenses. Ex illo tempore vigebant reservationes quaedam in Regulas Cancellariae (Cf. supra, n. 33) insertae, quarum aliae etiam nunc vigent, v. g. reservatio dignitatum in Capitulis (c. 396, § 1), aliae Codice omnino sunt sublatae, v. g. officiorum quae « mensibus reservatis » vacabant (1).

Quaenam officia a solo R. Pontifice conferantur, cf. c. 1435. *Epitome,* II, n. 767.

234. - *De collatore Ordinario.* « Loci Ordinarius ius habet providendi officiis ecclesiasticis in proprio territorio » (c. 152).

Hoc ius pars est quaedam praecipua regiminis spiritualis quod Ordinarii locorum, praesertim episcopi, in suo territorio obtinent. Quare *per se* est generale, et exceptiones demonstrandae sunt. Hae autem nituntur sive iure communi, v. g. quod ad primam Capituli dignitatem, sive privilegio, ut ius patronatus.

Ius providendi officiis *ad iurisdictionem voluntariam* pertinet (cf. infra n. 278) ; quare ab Ordinario loci extra territorium, non tamen ante officii possessionem legitime captam exerceri potest. Sede vacante, eius exercitium satis stricte iure communi limitatur (cf. c. 455) vi principii « Sede vacante nihil innovetur » (c. 436).

Vicarius generalis speciali mandato indiget ut quaevis officia conferat (ibid.).

235. - 1. *De qualitatibus promovendi.*

Promovendus debet esse : 1° *clericus,* cum iis participatio potestatis reservetur (cc. 153, § 1 ; 118) ;

---

(1) Cf. Wernz, II, 329, ss.

2° *idoneus*, i. e. nulla qualitate carens quae iure sive communi sive particulari aut lege fundationis requiritur (ibid.) ;

Hae qualitates sunt v. g. aetas (cc. 331, § 1, 2° ; 504, etc.) ; bona fama (cc. 232, § 2, 1° ; 331, § 1, 4°, etc.) ; ordo (cc. 232, § 1 ; 331, § 1, 3° ; 367, § 1, etc.) ; scientia (cc. 331, § 1, 5° ; 367, § 1, etc.).

Defectus qualitatis provisionem tantum irritabilem facit, nisi ipso iure communi vel particulari nulla declaretur (c. 153, § 3) ; ita *sacerdotium* ad valorem requiritur in eo cui officium curatum committitur (c. 154).

3° *dignior*, i. e. qui, *omnibus* perpensis, alios ceteroquin dignos praestantia qualitatum *certo* superet (c. 153, § 2) ;

Ob defectum huius praestantiae provisio fere numquam irrita est, neque irritari potest.

4° *sacerdotio* auctus, si officium curam animarum in foro sive externo sive interno secum fert (**c. 154**).

Ius vetus exigebat tantum ut presbyteratus infra certum tempus post provisionem reciperetur.

236. - *De tempore collationis.* Facienda est saltem intra sex menses ab habita vacationis notitia, nisi tempus ipso iure determinetur aut agatur de paroecia cuius bonum prorogationem provisionis postulet (**c. 155**. Cf. c. 458).

237. - *De collatione officii cum alio incompatibilis.*

1. *Notio.* « Sunt incompatibilia officia quae una simul ab eodem adimpleri nequeunt » (**c. 156**, § 2).

Sunt enim obligationes quibus idem simul satisfacere nequit, v. g. legi residentiae in duobus locis, curae totali animarum in duabus paroeciis, etc. Quando reditus officio annectuntur, oritur nova incompatibilitas, sc. e prohibitione, sanctione nullitatis munita, possidendi duo beneficia quorum alterutrum ad honestam clerici sustentationem sufficit (c. 1439).

2. *Prohibetur* collatio eidem facta duorum officiorum incompatibilium (c. 156, § 1). Sed valet collatio, etiam si officium beneficiale sit.

At officium prius possessum simul cum novo incompatibili *retineri* nequit. Etenim vi c. 188, 3°, qui officium cum priore incompatibile acceptaverit eiusque pacificam possessionem obtinuerit, tacite priori renuntiat, quod, ipso iure renuntiationem acceptante, ipso facto vacat. Ex c. 1439, nemo est habilis ad acceptanda *et* retinenda duo beneficia incompatibilia. — Interpretatio certior fit ex c. 2396 qui praesumentem *retinere* prius officium *vel* beneficium cum priore incompatibile, utroque ipso iure privat.

3. S. Sedes non vult, nisi conscia, alterum officium ei conferre, qui iam unum cum illo incompatibile detinet. Quare *rescriptum S. Sedis*

concedens alterum officium cum priore incompatibile *non valet*, nisi mentio prioris in supplici libello facta fuerit aut clausula derogatoria adiciatur.

Talis clausula erit vel expressa mentio prioris beneficii, vel etiam « motu proprio », « ex certa scientia », etc.

Intentio tamen S. Sedis non est ut utrumque officium retineatur, ideoque, nisi de speciali dispensatione a c. 188 mentio fiat, capta pacifice possessione novi officii, prius ipso iure ex tacita renuntiatione vacat (c. 156, § 3).

238. - 1. A beneficio liberae collationis quaedam *personae* in certis casibus omnino *excluduntur*, sc. « officium vacans per renuntiationem vel per sententiam privationis, nequit ab Ordinario qui renuntiationem acceptavit aut sententiam tulit, valide conferri suis aut renuntiantis familiaribus, consanguineis vel affinibus usque ad secundum gradum inclusive » (c. 157).

Familiares alicuius sunt qui sub eodem tecto degentes cum eo relationes dependentiae habent. — Non omnes consanguinei excluduntur, sed usque ad secundum gradum, utique in linea tum recta (qui casus rarus erit), tum collaterali.

2. Si quis ius exercuerit conferendi officium loco alterius neglegentis vel impotentis, nullam inde in nominatum potestatem obtinet (c. 158).

Ita Vicarius capitularis quem metropolita loco Capituli neglegentis nominaverit, ab illo maiorem quam secus haberet dependentiam non patitur.

3. « Cuiuslibet officii provisio scripto consignetur » (c. 159).

Hoc praescriptum salvo iure particulari, liceitatem, non validitatem, collationis afficit.

Art. II - De electione

239. - **Ordo materiae.** Canon 160 dicit in quibusnam electionibus normae sequentes servandae sint. In cc. 161-178 agitur : 1° de praeparatione, tempore, loco electionis (cc. 161-163) ; 2° de electoribus (cc. 164-167) ; 3° de forma electionis (cc. 168-173), via ordinaria (cc. 168-171) aut per compromissum (cc. 172. 173) ; de iuribus et officio electi (cc. 174-177) ; de provisione officii ubi ius eligendi amissum est (c. 178).

I. PRAENOTIONES

240. - 1. Electio sensu proprio est « personae idoneae ad ecclesiasticum officium vacans per eos, quibus ius suffragii competit, canonice facta vocatio » (WERNZ, II, 352).

Electio sensu lato omnem legitimam personae ad officium designationem significat, ut ex multis Codicis textibus eruitur. Ita eliguntur a R. Pontifice Cardinales (c. 232, § 1), ab episcopo Vicarii foranei (c. 446, § 1), interdum a Superiore maiore religionis oeconomi (c. 516, § 4) aut magister noviciorum (c. 560), etc. Definitio a WERNZ (*l. c.*) data cum praescriptis Codicis stricte cohaeret neque

aliis verbis complenda videtur ; etsi enim electio effectus non sortiatur, nisi confirmata vel acceptata, id quod confirmatur vel acceptatur est electio stricte dicta (Aliter MAROTO, I, n. 608).

Electio multiplici modo differt a libera collatione, praesentatione, nominatione ; opponitur quoque postulationi, qua persona de iure non idonea Superiori competenti designanda proponitur. — Etsi officium per se stricto sensu intellegitur, eaedem tamen formae servandae sunt ubi suffragiis subditorum designantur Superiores qui sine iurisdictione veram communitatem regunt (Cf. cc. 145, § 2 ; 507, § 1).

Quando agitur de officio ecclesiastico stricte dicto, ius eligendi laicis numquam confertur, quibus tamen ius praesentandi conceditur.

Eligitur semper R. Pontifex ; in paucis locis fit electio episcoporum ; quae forma universalis est pro supremo Moderatore religionum, Vicario capitulari, etc.

2. Electionis triplex est forma, sc. scrutinium, compromissum, quasi-inspiratio.

Scrutinium est electio in qua singuli ad designandam personam vocandam suo suffragii iure utuntur ; **compromisso** electores ius suum in unam pluresve personas transferunt ; **quasi-inspiratio** vocatur spontanea, unanimis et viva voce facta unius electi proclamatio.

II. DE ELECTIONIBUS IURIS COMMUNIS

241. - « Romani Pontificis electio unice regitur Const. Pii X *Vacante Sede Apostolica*, 25 dec. 1904 ; », quam Pius XI Motu proprio *Cum proxime*, 1 mart. 1922, in paucis punctis correxit (cf. infra n. 297) ; « in aliis electionibus ecclesiasticis serventur praescripta canonum qui sequuntur, et peculiaria, si qua sint, pro singulis officiis legitime statuta » (c. 160).

Ex titulo « de officiis ecclesiasticis », ex definitione c. 145, § 2, ex textu canonis 160 et plurium ex sequentibus canonibus, eruitur regulas iam proponendas adhibendas esse quotiens *officium ecclesiasticum*, stricto sensu sumptum, suffragiis *collegialiter* latis confertur.

Omissa electione R. Pontificis quae suas normas peculiares habet, praescripta canonum sequentium observanda erunt in electione episcopi (c. 329, § 3), Praelati *nullius* (c. 321), Vicarii capitularis (c. 433, § 2), oeconomi capitularis (c. 433, § 2), Superiorum maiorum in religione clericali exempta, qui capitulariter designantur, etc.

Immo ex c. 507, § 1, in *omni* religione, « in electionibus quae a Capitulis fiunt, servetur ius commune de quo in can. 160-182... ».

Quare ad normam cc. 160-182 designabuntur, si capitulariter eliguntur, Superiores, consiliarii, oeconomi, procuratores. — Superiores *minores locales* fere semper a Superioribus maioribus libere constituuntur ; quod ad Superiores provinciales quaedam diversitas inter religiones viget.

III. DE TEMPORE ET PRAEPARATIONE ELECTIONIS

242. - Tempus electionis faciendae est « trimestre utile computandum ab habita notitia vacationis officii », nisi aliud iure cautum fuerit (c. 161).

Quia tempus *utile* conceditur, dies quibus electionem facere de iure vel de facto impossibile fuerit, non computantur. — Tempus istud *iure* communi vel particulari, non libera electorum vel Superiorum voluntate, contrahi vel prorogari potest.

Ita Vicarius capitularis intra octo dies ab accepta notitia vacationis constituendus est (c. 432, § 1) ; quaedam religionum constitutiones tempus ad electionem novi Moderatoris maius permittunt.

Sanctio neglegentiae est ius liberae provisionis collatum Superiori ecclesiastico cui ius confirmandae electionis vel ius providendi successive competit.

Deputatio v. g. Vicarii capitularis, Capitulo neglegente, devolvitur ad metropolitam ; si de Sede metropolitana agitur, ad antiquiorem ex episcopis suffraganeis (c. 432, § 2). Superior iste debet personam idoneam libere designare.

243. - *De convocatione.*

1. Convocatio a *praeside* collegii facienda est ; nisi aliud definiat ius particulare, quo modus convocationis determinatur, locus et tempus ab eodem determinantur (**c. 162**, § 1).

Usus istius praescripti in religionibus iuris dioecesani confirmatur responso Comm. I. C., 2 iul. 1921 (1), iuxta quod « ius statuendi locum ubi Capitulum generale celebrandum sit » ad moderatricem generalem spectat, non ad Ordinarium domus principis, si congregatio per plures dioeceses diffusa sit.

2. Convocandi sunt omnes qui ius suffragii habent (c. 162, §§ 2-4).

Salvo praescripto speciali, electores per se iuri suo renuntiare possunt, immo morali obligatione debent, si propter aetatem, infirmitatem, distantiam locorum, exercitium iuris foret aliis nocivum.

Electio non est *nulla* ob defectum convocationis, nisi plures quam tertia pars electorum neglecti *et* ideo absentes fuerint ; ius est tamen cuilibet electori, qui ob istum defectum absens fuerit, exigendi intra triduum a recepta electionis notitia ut electio a Superiore competenti irritetur.

Convocatio est ipso iure nulla, si facta fuerit antequam vacet officium ad vitam concessum (c. 162, § 5).

Idque valebit etiam si possessorem officii mortuum esse bona fide crediderint. Quando officium ad tempus conceditur, ipso iure facienda est convocatio antequam officium vacet, ne qui illud detinet ultra tempus iure statutum illud exerceat.

244. - Elector absens procuratorem constituere nequit, contra atque ius antea vigens statuebat (2), aut suffragium per epistolam ferre. Utrumque tamen iure particulari concedi potest (**c. 163**).

---

(1) AAS, XIII, 1921, 481. — *N. R. Th.*, 1922, 44.
(2) C. 42, X. *de electione et electi potestate*, I, 6.

Utraque prohibitio validitatem suffragii afficit ; quod constat tum vetere iure, tum verbis adhibitis « exclusa facultate ferendi suffragium.... ». — « Lex peculiaris » de qua hic, possunt esse privilegium S. Sedis, constitutiones a S. Sede approbatae, consuetudo legitime praescripta. Si suffragium per epistolam feratur, potiore iure servandae erunt normae de scrutatoribus, ne suspicionibus vel fraudibus ansa praebeatur.

IV. DE ELECTORIBUS

245. - 1. Ius ferendi suffragium habent quicumque de collegio die ac loco electionis praesentes sunt, neque iure communi vel particulari voce activa privantur (**c. 163**).

2. Ab electione excluduntur :

1° Qui sunt collegio extranei, salvis privilegiis legitime quaesitis (**c. 165**) ;

Ex c. 165 videntur ipsi electores, etiam unanimi consensu, extra casum compromissi, extraneo, sive clerico sive laico, ius eligendi conferre non posse (*Cf.* WERNZ, II, 354).

2° Incapaces actus humani ;

3° Iure ecclesiastico « impuberes ; censura vel infamia iuris affecti, post sententiam tamen declaratoriam vel condemnatoriam » (**c. 167**, § 1) ;

Ita solvitur controversia de iure excommunicati vitandi et tolerati.

4° « Qui sectae haereticae vel schismaticae nomen dederunt vel publice adhaeserunt » (c. 167, § 1, 4°) ;

C. 542, 1° « sectae adhaerere » idem est atque a vera religione ad sectam transire (cf. *Resp.* Com. I. C., 16 oct. 1919 — *Per.* X, 101) ; idem hic significare potest, etsi tunc a verbis « nomen dederunt » vix differre videatur.

5° « Carentes voce activa, sive ob legitimam iudicis sententiam sive ex iure communi aut particulari » (c. 167, § 1, 5°).

Vox activa est ius suffragii ferendi ; vox *passiva* ius ut quis eligatur.

Notandum est suffragium eorum, etsi nullum sit, electionem non irritare, excepto suffragio excommunicati per sententiam, si Capitulum eius censuram cognoscens eum libere et modo graviter culpabili admiserit (c. 167, § 2). Suffragium tamen, cum nullum sit, electo nihil prodest ; quare, si fuerit ad maiorem suffragiorum numerum necessarium, scrutinium iterandum est (ibid.).

246. - 1. Nemo, ob diversos titulos, plura suffragia proprio nomine ferre potest (**c. 164**).

Quo canone non prohibetur quin : 1° suffragium praesidis duplici suffragio aequivaleat, ita ut dubiam electionem solo suffragio suo certam reddat ; 2° elector

unico titulo, v. g. quia est Provincialis, duplex suffragium ferat ; 3o elector unum proprio nomine, alterum qua procurator suffragium ferat (1).

2. Nemo sibi suffragium valide dare potest (c. **170**).

V. DE FORMA ELECTIONIS

247. - Ante electionem interdum iuramentum de digno vel digniore eligendo praecipitur (cf. c. 506, § 1) ; id non exigitur ad valorem. Si electores suffragio dando condiciones ante electionem apposuerint, tamquam non adiectae censentur (c. **169**, § 2).

Hae condiciones *capitula* vel capitulationes vocabantur ; in electione R. Pontificis speciali modo prohibentur. Cf. *Epitome*, III, n. 530.

A. DE FORMA SCRUTINII

248. - 1. *Deputatio scrutatorum.*

Duo saltem scrutatores, ad suffragia colligenda, inspicienda et publicanda ante electionem eligendi sunt, nisi iure particulari iam deputati sint (c. **171**, § 1).

Sumendi sunt e gremio collegii ; ante electionem debent praestare iusiurandum de munere fideliter implendo et de secreto servando, sive per electionem sive post eam, circa ea quae in comitiis acta fuerint.

Deputatio scrutatorum sub vetere iure ad *validam* electionem requirebatur (Wernz, II, 371, 1). Etsi textus canonis 171 nullum verbum irritans contineat, sine deputatione scrutatorum vix servabuntur condiciones validi suffragii, v. g. secretum.—Plures quam duo scrutatores eligi aut statutis deputari possunt, at non debent (sic dicimus cum Maroto, I, n. 633 contra Wernz-Vidal, II, n. 257), cum praeses electionis tertium supplere possit. In hac deputatione, normae canonicae electionis non sunt omnes servandae, ne fiat processus in infinitum ! — Iusiurandum a religiosis quoque mulieribus praestandum est ; idem dicendum de scrutatoribus qui iure particulari aut communi (c. 506, § 2) designantur. Id e cc. 171 et 507, § 1 deducimus.

Secretum servandum est de iis quae ad electionem ipsam pertinent, v. g. de numero suffragiorum, scrutiniorum, etc.

2. *Suffragiorum inquisitio sive scrutinium.*

Scrutinium debet fieri :

a) *secreto,* sive scripto sive oretenus coram praeside et scrutatoribus.

Nullus Codicis textus exigit ut suffragium scripto tantum detur ; haec erit tamen, ut patet, forma longe communior. Si quis scribere nesciat, ex veteris iuris normis, suffragium secreto coram scrutatoribus proferat.

Suffragium electoris qui in ipsa domo infirmitate ab accessu impediatur, scriptum a scrutatoribus exquiratur, nisi iure particulari aliter provideatur (c. **168**).

---

(1) Cf. *Per.* XII, (13).

b) *diligenter*, ita ut singula suffragia bene inspiciantur et annotentur ;

c) *singillatim*. servato praecedentiae ordine (**c. 171**), sive eo qui generatim in collegio seu communitate viget, sive speciali, si quod pro comitiis est statutum. Facultas enim ordinandi praecedentiam c. 106, 5° propriis constitutionibus vel usibus permittitur.

d) *libere*. Suffragium latum ab electore ad id metu gravi aut dolo, directe vel indirecte, adacto, est ipso iure nullum (**c. 169**, § 1).

Indirecte metus incuti poterit, v. g. si elector sciat a superiore quodam gravia mala communitati impendere, nisi eligatur persona ipsi benevisa, quam commendavit.

« Si laici contra canonicam libertatem electioni ecclesiasticae quoquo modo sese immiscuerint, electio ipso iure invalida est » (**c. 166**).

e) per suffragia *certa, absoluta, determinata* (c. 169, § 1, 2°).

Nullum est suffragium dubium, condicionatum, alternativum vel indeterminatum.

Collecta suffragia statim numerentur ; si numerus eorum superet numerum electorum, nihil est actum (c. 171, § 3).

3. *Publicatio scrutinii.*

Postquam de iusto suffragiorum numero constiterit, suffragia, in urna prius reposita, extrahuntur singula atque inspecta a praeside et scrutatoribus publicantur sive a praeside, sive a scrutatore et annotantur. Omnibus alta voce pronuntiatis, fit collatio suffragiorum ut quot quisque rettulerit, renuntietur. Dein praeses, non alius, declarat quid actum sit et quid agendum supersit, vel si quis legitimum suffragiorum numerum obtinuerit, eum electum pronuntiat ; qua pronuntiatione, quae proinde omnino necessaria est, ipsa electio absolvitur (**c. 174**). Suffragia peracto scrutinio comburantur, nisi plura in eadem sessione scrutinia habeantur ; quo casu post sessionem comburi possunt (c. 171, § 4).

4. Absoluta electione, acta ab actuario accurate describantur « et saltem ab eodem actuario, praeside ac scrutatoribus subscripta, in collegii tabulario diligenter asserventur » (c. 171, § 5).

249. - Praestat colligere vitia quibus *electio* ipso iure *nulla* fit :

Electio est ipso iure *nulla* : *a*) si plures quam tertia pars electorum non sunt legitime convocati et ideo abfuerunt (c. 162) ; *b*) si, absque privilegio, suffragium dedit qui non est de collegio (c. 165) ; *c*) si laici sese electioni immiscuerint contra libertatem canonicam (c. 166) ; *d*) si constet, dempto suffragio electoris inhabilis, electum non rettulisse requisitum suffragiorum numerum, aut si scienter admissus sit excommunicatus per sententiam condemnatoriam vel

declaratoriam (c. 167) ; *e*) si numerus suffragiorum superet numerum electorum (c. 171).

Nullum est suffragium datum ob vim gravem aut dolum aut non secreto ; - dubium ; - condicionatum ; - latum in favorem personae indeterminatae (c. 169) vel sui ipsius (c. 170).

B. DE FORMA COMPROMISSI

250. - Compromissum est actus quo illi, quibus ius suffragii in electione competit, facultatem eligendi expresso et unanimi consensu pro hac vice in unum pluresve idoneos transferunt, qui nomine omnium ex recepta facultate eligant (c. 172, § 1).

Haec forma usurpatur, sive ad componenda discidia sive quia plura scrutinia in cassum cesserunt.

Compromissum iure communi permittitur, sed numquam imponitur.

Quaeres num statuta vel constitutiones compromissum post certum scrutiniorum numerum aut ex suffragiis certi numeri electorum, praescribere possint, v. g. si duae tertiae partes electorum id decernant.

In electionibus quae officium stricte dictum aut aequivalens (v. g. munus Moderatricis generalis) pro fine habent, id negandum censemus, tamquam contrarium c. 172, § 1, qui canone 507, § 1 servandus dicitur. Si de muneribus agatur, quorum titulares ex sola iuris particularis dispositione capitulariter eliguntur, affirmative respondendum. Etenim constitutiones vel statuta quae sola ius concedunt, eius quoque fines determinare possunt.

251. - 1. Compromissarii debent ad validitatem electionis esse sacerdotes, si agatur de clericali collegio (c. 172, § 2), neque umquam ad eligendum clericum laici esse possunt, salvo indulto Apostolico. Possunt eligi intra vel extra Capitulum, numero pari vel impari.

In Instituto cuius professi sunt partim laici, partim clerici, articulus constitutionum posset laicum ut compromissarium admittere.

2. *Condiciones* si nullae adiectae fuerint, servetur ius commune ; si adiciantur iuxta vel praeter ius, ad validitatem servandae sunt ; si contra ius, pro non appositis habeantur (c. 172, § 3).

3. Nullus compromissarius potest valide sibi suffragium suum decernere (c. 172, § 4).

252. - *Cessat* potestas compromissariorum, si electores eam, re integra, ad se revocant ; si condicio licita compromisso addita servata non fuerit; absoluta electione. — Si electio valida fuerit, electus a collegio admittendus est ; si compromissarii electionem invalidam fecerint, ius eligendi ad collegium redit (c. 173).

C. DE FORMA QUASI-INSPIRATIONIS

253. - Quasi-inspiratio exsistere censetur cum nullo praecedente tractatu de persona speciali, omnes electores, communiter et nemine dissentiente vel haerente, aliquam personam, ab uno forte propositam,

tamquam digniorem et a se electam proclamant (Cf. C. *Vacante Sede Apostolica*, n. 55).

De electione quasi per inspirationem nulla in Codice mentio reperitur, praeter C. *Vacante S. A.*, n. 55. Praeterea contraria est canoni 169, § 1, 2°, qui nullum declarat suffragium non secretum. Ergo, excepta electione R. Pontificis, novo iure excluditur.

VI. DE PROCLAMATIONE, INTIMATIONE ET CONFIRMATIONE ELECTIONIS

254. - 1. Is electus habeatur qui partem absolute maiorem suffragiorum rettulit aut, in tertio scrutinio, relative maiorem, aut post tertium scrutinium, si suffragia aequalia fuerint, qui suffragium praesidis rettulit, nisi is paritatem dirimere noluerit : quo casu habeatur electus qui est senior ordine ; inter aequales ordine, senior prima professione ; inter aequales tempore professionis, senior aetate (**cc. 174**. 101, § 1, 1°).

Ius tamen commune vel particulare alias normas statuere potest.

2. Electus statim a praeside proclamandus est (c. 174).

Vix dicendum est praesidem, quicumque ille sit, suffragia secum auferre non posse, ita ut post examen eorum a se solo vel cum aliis quibusvis institutum, nomen electi manifestet. — Haec nominatio, *si* suffragiis vere conformis est, non erit invalida, sed graviter illicita ; si suffragiis non respondet, quamvis bona fide et ex fine supernaturali facta, ipso iure nulla est. Quare Superior sic designatus omni prorsus potestate caret, quae tamen ob errorem communem ab Ecclesia suppleri potest.

3. Si electus praesens est, distincta et *explicita* intimatio non requiritur, cuius locum proclamatio tenere potest ; si absens est, electio ipsi illico est intimanda (**c. 175**).

Electus, salvo iure particulari, ad electionem acceptandam non obligatur.

Renuntiatio omne ius ex electione quaesitum perimit neque revocari potest ; renuntiantem tamen rursus eligere possunt vocales quibus electio est infra mensem a cognita renuntiatione iteranda (**c. 176**, § 1).

255. - Acceptatio cognitionem legitimae intimationis praecedere non potest ; « saltem intra octiduum utile a recepta intimatione » manifestanda est ; « secus [electus] omne ius ex electione quaesitum amittit » (c. 175).

Canon 175 libertatem accipiendi aut recusandi electionem supponit. Quae libertas iure particulari restringi vel penitus tolli potest, ut ex multarum religionum constitutionibus patet (1). Haec imminutio libertatis contra ius commune non est, sed praeter illud ; nullus enim canon, ne c. 175 quidem, illam libertatem omnibus tribuit

---

(1) Cf. *Comm. pro relig.*, II, 1921, 340.

Acceptatio confert electo :

a) *Ius ad rem*, si electio confirmatione indiget (c. 176, § 2). Ante confirmationem, electus ad quemlibet actum administrationis inhabilis est (c. 176, § 3).

b) *Ius in re plenum*, si electio confirmatione non indiget.

256. - Confirmatio petenda est saltem intra octiduum a data acceptatione, i. e. saltem ante finitum octavum post acceptationem diem. Omissio petitionis sine iusto impedimento omne ius in officium perimit (c. 177, § 1).

Confirmatio idoneo et legitime electo negari nequit ; scripto danda est (c. 177, §§ 2. 3) ; electo plenum ius in re confert, nisi aliud in iure caveatur, v. g. si requiritur capta possessio, benedictio, etc.

VII. DE AMISSIONE IURIS AD ELECTIONEM

257. - Ius eligendi in Capitulo perimitur :

1° Si electio intra praescriptum tempus non est facta ;

2° Privatione poenali, v. g. suspensione ab officio in Capitulum lata (cc. 2255, § 2 ; 2279).

His casibus, « libera officii provisio ad eum Superiorem devolvitur a quo confirmanda esset electio vel cui ius providendi successive competit » (c. 178).

Art. III. - De postulatione

258. - Notio. Postulatio est actus quo electores a Superiore competenti petunt ut ad officium admittere velit virum aptiorem, suis suffragiis designatum, cuius electioni canonicum obsit impedimentum, a quo dispensari possit et soleat (c. 179).

Postulatio iure communi electoribus est licita, sed iure particulari prohiberi potest ; compromissariis non conceditur nisi vi mandati expressi (ibid.).

Etiam si electio confirmatione non indiget, electores nequeunt non idoneum sine dispensatione competentis Superioris eligere ; quare eius designatio normis postulationis subicitur (ibid.).

Nomen *postulatio* a Gratiano primum, dein praesertim a Compilatione antiqua tertia Innocentii III hanc formam electionis specialem designat. Antea varias formas petitionis designabat quibus assensus Superioris ecclesiastici, immo saecularis, ad electionem petebatur.

259. - *De forma postulationis.*

1. *De numero suffragiorum.*

Postulatio, ut valeat, maiorem saltem suffragiorum partem exigit. Si postulatus cum electo concurrat, i. e. unus postuletur, alius eli-

gatur, isti ius magis favet, cum omnes dotes iure requisitas habeat. Itaque in concursu postulationis et electionis, postulato duae tertiae partes suffragiorum necessariae sunt ut electum evincat (c. 180, § 1).

Quare si in primo et secundo scrutinio postulatus in concursu cum electo duas tertias partes non obtinuerit, iteranda est electio. Si idem in tertio scrutinio acciderit, postulatus omnino excluditur ; competitor, si unicus est, eligitur. Inter plures ille electus habetur, qui maiorem quam alii partem suffragiorum retulit. Ius tamen particulare exigere potest ut, etiam in tertio scrutinio, eligendus partem absolute majorem suffragiorum obtineat. Quo casu, inter electos renovatur scrutinium.

Exemplo iuris communis sit Capitulum 24 electorum, quorum alii Titium postulent, alii Caium solum vel cum Rufo eligant. Supponemus omnia suffragia valide data. Nisi Titius saltem in tertio scrutinio 16 suffragia obtinuerit, eligetur Caius qui solus novem suffragia rettulerit, vel forte 6 vel 5, dum Rufus tria vel quattuor obtinet (1).

2. *Postulatio* valebit quotiens verba electoris voluntatem postulandi clare exprimunt, etsi, dubius de canonica candidati idoneitate, usus sit verbis quae electionem vel postulationem exprimant.

Verbum « *postulo* » vel aequipollens valet pro sola postulatione ; verba « *eligo vel postulo* » et aequivalentia vim electionis habebunt, si absit impedimentum, postulationis, si adsit (c. 180, § 2).

Quare censemus iam valere formulas : « *postulo eligendo* vel *eligo postulandum* », quas irritas ad normam iuris veteris declarabat Wernz, II, 396 ; ob suam ambiguitatem melius vitantur.

260. - *De petitione admissionis.*

Postulatio, ut valeat, *dispensationem* a iure communi vel particulari supponit. Igitur :

1° Praesentanda est Superiori ad dispensandum competenti, et quidem ei qui ius electionem confirmandi habet, si simul dispensare possit (c. 181, § 1).

Nisi legitime impediantur electores, postulationem intra octiduum ad Superiorem mittere debent ; secus tum postulatio nulla fit, tum ius eligendi pro hac vice amittitur.

2° Electores praesentatam postulationem revocare non possunt, nisi Superiore consentiente (ibid. § 4).

3° Superior cum ad dispensandum non cogatur, postulationem repellere potest (ibid. § 3).

Obligatio *moralis* acceptandae postulationis ex adiunctis oriri potest.

261. - *De admissione aut reiectione postulationis,*

1° *Admissio* postulationis confert postulato *ius ad rem.* Saltem intra

---

(1) Cf. Resp. *Comm.* I. C., 1 iul. 1922, AAS, XIV, 1922, 406. — *N. R. Th.*, 1923, 42. *Per.* XI, 127.

octiduum a recepta admissae postulationis notitia, consensum praestare debet, sub poena amissionis omnis iuris (c. 182, § 2). Acceptatione plenum *ius in re* obtinet (ibid. § 3).

Si electio confirmatione indigeat neque Superior confirmans idem sit qui postulationem admiserit, postulato confirmatio suae electionis petenda erit. R. Pontifex enim dispensando ut postulatio valeat, electionem eo ipso non confirmat.

2° *Reiectio* postulationis ius eligendi collegio restituit, nisi : *a*) intimationem postulationis tempestivam neglexerit (c. 181, § 2) ; aut *b*) scienter postulaverit virum detentum impedimento in quo dispensari non soleat (c. 182, § 1).

Codex de postulatione plura aliter atque ius praecedens statuit, sc. circa formam ferendi suffragii, prioritatem consensus Superioris, intimationem postulato faciendam, etc.

Caput II. - De amissione officiorum ecclesiasticorum

262. - **Ordo materiae.** C. 183 est generalis et indicat modos quibus officium ecclesiasticum amitti potest ; dein agitur de modis in specie, sc. de renuntiatione (cc. 184-191) ; de privatione (c. 192) ; de translatione (cc. 193. 194) ; tandem electoribus negatur omne ius ad tollendum quovis modo officium a persona quam designarunt (c. 195).

263. - *Amissio officii*, stricto sensu est cessatio tituli seu dominii et iuris possessionis in titulari. Fit :

1° Per *liberam cessionem* seu *renuntiationem.* Quae renuntiatio condicio novae provisionis esse potest (cf. c. 2154, § 2).

2° Per *coactam seu necessariam vacationem*, quam imponit sive ius commune aut particulare sive decretum Superioris competentis. Privatio aut translatio potest esse poenalis vel mere administrativa (cc. 2321. 2322, etc. ; 2147, ss.).

3° *Lapsu temporis praefiniti.*

Officium non amittitur lapsu temporis, nisi iure communi aut particulari ad tempus definitum concedatur. Immo, nisi contrarium ex iure communi aut particulari appareat, officium ad tempus concessum usque ad designationem novi titularis valide exercetur.

Munus examinatoris synodalis, elapso a nominatione decennio, ipso iure amittitur (« *officio cadunt* », c. 387, § 1). E contra, consultor dioecesanus (c. 426, § 1), Superior minor localis (c. 505) valide officio funguntur, donec removeantur. De officio Supremi Moderatoris, cf. commentarium c. 505.

4° *Resolutione iuris Superioris, unice* (c. 183, § 2) :

a) si lex ita caveat, v. g. officium Vicarii generalis (c. 371) ;

b) si officium concessum est cum clausula « *ad beneplacitum nostrum* » vel alia aequivalenti.

Aequipollens est formula quae voluntatem *personalem* concedentis designat ; quare officium concessum *ad beneplacitum S. Sedis*, Sede vacante, non amittitur.

5° Numquam ex voluntate eorum qui officii titularem electione postulatione, aut praesentatione designarunt (c. **195**).

I. DE RENUNTIATIONE

264. - Renuntiatio est libera dimissio officii ecclesiastici.

Distinguitur *expressa* et *tacita* ; illa fit manifestatione voluntatis per verba aut scripta competenti Superiori legitime facta ; tacita oritur ex facto libero, honesto aut graviter culpabili, quod natura sua vel iuris praescripto cessionem officii secum fert.

265. - *Persona renuntians* debet ad validitatem renuntiationis : *a*) esse *compos sui*, sc. capax actus plene liberi ponendi (c. **184**) ; *b*) *iure habilis*. Nulla est ergo renuntiatio beneficii a novicio facta (c. 568), aut beneficii quod est titulus ordinationis, non servatis condicionibus in c. 1485 praescriptis.

266. - *Actus renuntiationis* : 1° ut sit *licitus*, debet habere *iustam* causam (c. 184).

Iusta dicitur causa, non gravis, quia satis est ut pro momento officii, rationabilis appareat ; interdum tamen, ut sit iusta, gravis vel gravissima esse debebit. Causae iustae sunt infirmitas mentis aut corporis, malitia plebis, votum ut aptior designetur, etc.

2° Ut sit *validus*, debet esse : *a*) *libere positus* (c. **185**).

Vitiatur ergo metu gravi *et* iniusto, sive quod ad substantiam sive quod ad modum, atque errore *substantiali*.

Propter vocem « substantiali », admitti potest nullitatem pleno iure eo solo dolo induci qui errorem substantialem producat. Error accidentalis locum dare poterit rescissioni, si causa deferatur ad Superiorem qui nominationem vel electionem confirmare debet, vel qui alio titulo sit competens.

b) *immunis a simonia* (c. 185) ;

c) factus sive scripto sive oretenus *coram duobus testibus* (c. **186**) ;

d) *personaliter* aut vi mandati *specialis* factus (ibid.).

Documentum factae renuntiationis praecipitur in archivo Curiae servari (ibid.).

267. - *De admissione renuntiationis.*

Renuntiatio generatim consensu legitimi Superioris indiget (c. 187) ; c. 188 determinantur casus quibus tacita renuntiatio ipso iure admittitur ; c. 189 causam et tempus acceptationis definit.

1. Paucae renuntiationes acceptatione non indigent, v. g. officio

R. Pontificis (c. 221), beneficio minori ad ingrediendum in religionem, officio Vicarii capitularis (c. 473, § 1).

Renuntiatio quae acceptione non indiget ei facienda est « a quo clericus officium accepit vel qui eius locum tenet » (c. 187, § 1).

Vicarius capitularis v. g. renuntiationem Capitulo facere debet (c. 443, § 1).

2. Quae indiget acceptatione, ad valorem ei Superiori facienda est qui officium contulerit concessione libera, confirmatione electionis, admissione postulationis, institutione praesentati (c. 187, § 2).

Sufficit acceptatio Superioris qui electionem postulati confirmavit, quando diversus est ab eo qui postulationem dispensatione validam fecit. Consensus patroni vel electorum non est necessarius.

3. *De causa et tempore acceptationis.*

Superiores prohibentur acceptare renuntiationes sine proportionata *causa*; acceptare vel reicere intra mensem iubentur (c. 189).

Quamdiu autem renuntians actum suum non revocaverit, Superior renuntiationem legitime acceptat (Resp. C.I.C., 14 iul. 1922, ad III (1)).

268. - *De tacita renuntiatione* (c. 188).

Facta quae ipso iure et sine declaratione vacationem officii ob tacitam renuntiationem inducunt, sunt sequentia:

1° *Emissio professionis religiosae.* Beneficii tamen vacationem non inducit, nisi post triennium aut, si sit paroeciale, post annum (c. 584).

2° *Neglectus aditus ad officium* intra tempus utile.

3° *Acceptatio* et capta pacifice possessio alius *officii* cum priore *incompatibilis.*

Incompatibilia sunt v. g. duo officia curata (cf. supra n. 237).

4° *Defectio publica a fide catholica.*

Deficit a fide qui eius fundamenta pertinaciter negat aut qui dicto factove omne vinculum cum religione catholica abrumpit, v. g. adhaesione sectae haereticae vel schismaticae. Delictum est publicum, cum est in maiore parte communitatis notum aut mox cognosci debet (Cf. *Epitome*, III, 384, 3, 1°. 513, 2).

5° « *Matrimonium*, etiam civile tantum, ut aiunt, contractum ».

6° *Inscriptio* spontanea *in militiam saecularem* contra praescriptum c. 141, § 1 (Cf. supra, n. 223, c).

7° *Depositio* spontanea et sine iusta causa *habitus ecclesiastici*, si intra mensem a monitione ab Ordinario accepta resumptus non fuerit.

8° *Residentiae* debitae *desertio* protracta sine responsione ad legitimam Ordinarii monitionem (cf. c. 2168, § 2).

269. - *De effectibus renuntiationis.*

1. *Officium vacat* statim ac renuntiatio est legitime facta, si accepta-

(1) AAS, XIV, 1922, 727. — *Per.* XI, 162. *N. R. Th.*, 1923, 45.

tione non indiget, aut postquam acceptatio, si requiritur, renuntianti est significata (c. 190, § 1).

2. Datur *locus paenitentiae*, quamdiu renuntiatio non est legitime absoluta, non autem postea, etsi renuntians alio titulo idem officium accipere possit (c. 191, § 1).

« Legitime facta » (c. 190, § 1) significat « legitime absoluta, finita », ut certum est ex eodem resp. C. I. C., 14 iul. 1922, ad III. — Quare quamdiu significatio *necessariae* acceptationis non est recepta, locus est paenitentiae.

3. Renuntians debet permanere in officio, donec de acceptatione certum nuntium acceperit (c. 190, § 2). Illud obire iam nequit a momento quo iuxta regulas supra statutas vacat.

4. Renuntiatio absoluta tempestive manifestanda est eis qui officio providere debent (c. 191, § 2).

II. DE PRIVATIONE OFFICII ECCLESIASTICI

270. - 1. « Privatio officii incurritur sive ipso iure sive ex facto legitimi Superioris » (c. 192, § 1).

Ius commune privationem decernit ipso facto incurrendam, sive ob factum honestum sive ob factum criminosum, aut pronuntiandam a legitimo Superiore, sive administrative sive iudicialiter.

2. Casus privationis ipso facto incurrendae in canone 188 de renuntiatione tacita continentur ; poena privationis latae sententiae ob factum criminosum paucis casibus, haud paucis vero ferendae sententiae decernitur (cf. c. 2343 et in lib. V°, P. III, passim).

3. In casibus privationis ab Ordinario decernendae, distinguendum est inter officia inamovibilia et amovibilia ; inter paroecias et alia officia.

Nemo officio *inamovibili* sine processu administrativo aut iudiciali privari potest. Casus quibus processus administrativus adhibendus est in lib. IV°, P. III enumerantur ; extra illos casus, ordo iudicii est servandus (c. 192, § 1). — Si officium est *amovibile et paroeciale*, servandae sunt normae in lib. IV°, P. III statutae ; si *non* est *paroeciale*, nulla forma specialis processus servanda est. Manet obligatio causae iustae, prudentiae et servandae aequitatis.

Paroeciale non habetur munus gerendi paroeciam quod ex consuetudine sit prorsus ad nutum revocabile, vel, ut in quibusdam Brasiliae partibus, ad annum confertur.

Officium non vacat antequam a Superiore fuerit titulari intimata, i. e. authentice manifestata privatio, cuius effectus recursu ad S. Sedem non suspenditur. (c. 192, § 3).

III. DE TRANSLATIONE AD ALIUD OFFICIUM

271. - Translatio est clerici de uno ad aliud officium ex competentis Superioris auctoritate canonice facta mutatio.

Dum vetere iure vox « translatio » solam mutationem episcopi designabat, in iure Codicis saepius de mutatione parochorum usurpatur. Translatio supponit revocationem ab uno officio ecclesiastico per promotionem ad aliud, seu amissionem unius officii et provisionem alius. Inde sequuntur normae translationis.

Translatio potest esse libera seu de consensu translati facta aut coacta, sive ob causam legitimam absque culpa sive in poenam delicti.

272. - *Principia.*

1. Superior transferens debet habere potestatem acceptandi renuntiationem vel privandi titulo prioris officii et promovendi ad alterum (**c. 193**, § 1).

2. Causa translationis liberae quaelibet iusta sufficit, translationis coactae eadem fere erit ac pro privatione isque providendi modus qui supra in privatione est definitus. Addendus est casus parochi a paroecia quam *utiliter* regit ob bonum alius paroeciae transferendi ; cuius casus normae speciales cc. 2162-2167 praestituuntur (c. 193, § 2).

3. Effectus translationis.

1° Prius officium *per se* vacat, cum clericus alterius officii possessionem capit (**c. 194**, § 1).

Si antea vacaret, clericus omni reditu ex officio ad tempus privaretur ; si postea non vacaret, saepe incompatibilia officia occuparet.

Ius autem commune vel particulare aliud decernere potest.

Sedes episcopalis vacat, non tamen plene, ab intimata translatione ad aliam dioecesim (cf. c. 430, §§ 1. 3).

Immo Superior legitimus potest praescripto particulari decernere ut vacantia prioris officii cum occupatione alterius non connectatur.

Haec accurate notanda sunt cum plures simul paroeciae translatione parochorum conferuntur. Provisio enim officii de iure non vacantis nulla est neque subsequente vacatione convalescit (c. 150, § 1).

2° « Reditus prioris officii translatus percipit donec aliud occupaverit » (c. 194, § 2) (1).

TITULUS V

DE POTESTATE ORDINARIA ET DELEGATA

(cc. 196-210)

Scriptores : d'Annibale, I, n. 71, ss. — Lega, *De Iudiciis*, I, n. 38, ss. — Wernz, II, Prooemium, n. 2, ss. — De officio delegati, n. 551, ss. — Maroto, *Institutiones*, n. 573, ss. 694, ss. — De Meester, *Compendium*, I, n. 435, ss. — Prümmer, *Manuale*, q. 86, ss. — Wernz-Vidal, S.I., *Ius canonicum*, II, n. 365, ss.

273. - 1. **Ordo materiae.** In hoc titulo, qui summi momenti est et usus

(1) c. 195 allegatur supra, n. 263, 5°.

continui, Codex agit de potestate ordinaria et delegata iurisdictionis (cc. 196-209) et ordinis (c. 210).

Tradita *divisione* potestatis iurisdictionis (cc. 196. 197), Codex exponit quomodo *acquiratur* (cc. 189. 199) ; quomodo *interpretanda* sit (c. 200) et *exerceatur* (cc. 201-206) ; quomodo *cesset* et deficiens *suppleatur* (cc. 207-209) ; — c. 210 de delegatione potestatis Ordinis agit.

274. - 2. *De vi rubricae.* Rubrica de potestate iurisdictionis aut Ordinis unice intellegenda est, ut ex nigro seu ex singulis fere huius tituli canonibus clare eruitur (Contra Maroto, I, 694).

Principia tamen his canonibus statuta alii potestati procul dubio applicari possunt. Etenim potestas assistendi matrimoniis, quae iurisdictio non est, *delegatur* (cf. cc. 1096, § 1 ; 1098) ; de eius possessione et usu valent principia de errore communi (Cf. Epitome, II, 392, 1°). Sed potestas testis authorizabilis est potestas *publica.*

Quid de potestate dominativa Superioris communitatis dicemus ? Codex enim nullum expressum praescriptum de potestate Superioris invalide electi aut ob vitium occultum invalide agentis continet, cum tamen e valido legitimi Superioris consensu validitas quorundam actuum iuridicorum pendeat, v. g. alienationis rei pretiosae (c. 534, § 1), admissionis ad professionem vel eius receptionis (c. 534, § 1, 2°, 6°), etc. Quia, « si certa de re desit expressum praescriptum legis... norma sumenda est... a legibus latis in similibus ; a generalibus iuris principiis... », ut c. 20 explicite asserit, principia hoc titulo expressa potestati dominativae in communitatem ex analogia iuris applicari posse censemus.

Huc facit quod d'Annibale (I³, n. 79, nota 74) e iure romano et canonico depromit « Sane error communis supplet ea quae status et conditionis personarum sunt, quoties iure, seu civili seu canonico, his opus est, ut aliquid valide fieri possit ; nec eget titulo colorato : velut in eo qui publice *liber.... civis.... paterfamilias.... uxor.... clericus.... testis* idoneus.... *heres.... patronus* beneficii.... *maritus....* habetur.... ».

I. DE NOTIONE IURISDICTIONIS

275. - Iurisdictio ecclesiastica est potestas publica *regendi* homines baptizatos in ordine ad finem supernaturalem, missione legitima determinatis hominibus a Christo vel eius Ecclesia concessa (cf. supra, n. 185, 2, 3).

Dividitur ratione suae *efficaciae,* in iurisdictionem fori externi et fori interni ; ratione *tituli* seu causae proximae, in ordinariam et delegatam ; ratione *modi* quo exercetur, in contentiosam et voluntariam.

A. DE IURISDICTIONE FORI EXTERNI ET INTERNI

276. - « Potestas iurisdictionis... alia est fori externi, alia fori interni, seu conscientiae, sive sacramentalis sive extra-sacramentalis » (c. 196).

1. Forum (vel forus) est « exercendarum litium (seu potius, negotiorum quae auctoritate iudicis vel Superioris finiuntur) locus » (Sic D'ANNIBALE, I, 25).

Forum externum illud est quod respicit primario et per se bonum *publicum* seu commune, et versatur in regendis actibus socialibus fidelium ; ad forum internum pertinent primario et per se actiones privatae fidelium, in eoque bonum *privatum* seu conscientiae singulorum primario attenditur (cf. supra, n. 4).

Ad forum externum pertinent actiones quibus fideles in facie Ecclesiae iusti aut rei fiunt, ad internum actiones qua iusti aut rei sunt coram Deo.

Iurisdictio fori externi exercetur publice habetque suos effectus iuridicos et sociales, dum iurisdictio fori interni privatim, plerumque occulte, exercetur, nec ullos publicos effectus, nisi ex concessione Superioris, habet. Sic censura, cuius absolutio in foro interno tantum concessa est, a Superiore fori externi urgeri potest, nisi concessio absolutionis probetur aut saltem legitime in foro externo praesumatur (c. 2251). — Iurisdictio fori interni ad bonum commune refertur quatenus potestate *publica* obtinetur et ordinatur, etsi ad bonum privatum primario exercetur.

2. Iurisdictio fori interni vocatur sacramentalis, cum in solo paenitentiae sacramento vel eius occasione, sive iure divino sive iure ecclesiastico, exerceri potest.

Iure divino, peccata in tribunali tantum paenitentiae remittuntur ; iure ecclesiastico, confessarii, qua tales, potestate delegata ad dispensandum aut ad absolvendum a poenis saepe in solo actu confessionis uti possunt (Cf. cc. 1044. 2250, § 3 ; 2254. 2290).

B. DE POTESTATE IURISDICTIONIS ORDINARIA ET DELEGATA

277. - Definitio. « Potestas iurisdictionis ordinaria ea est quae ipso iure annexa est officio ; delegata, quae commissa est personae » (**c. 197**, § 1) (1).

1. Ordinaria potestas his notis distinguitur : 1° annectitur *officio* stricte dicto seu muneri sacro de se in perpetuum erecto, v. g. officio Cardinalis, episcopi, Vicarii generalis, parochi, Superioris regularis, etc.; 2° haec connexio *iure*, sive communi sive particulari, scripto aut consuetudinario exsistit.

Episcopi residentiales potestate ordinaria condunt statuta, sive in Synodo dioecesana sive extra eam (c. 362) ; dispensant in legibus suis vel decessorum suorum (c. 82) ; iudicant causas spirituales suorum subditorum in prima instantia (c. 1572) ; reservant sibi casus (c. 893), etc.

Ubi deficit alterutra condicio, potestas est delegata, v. g. potestas iure facta simplici confessario dispensandi ab impedimentis matrimonii (c. 1044. 1045, § 3) vel absolvendi a censuris reservatis (c. 2254).

(1) Cf. HILLING, N., *Begriff und Umfang der potestas ord. und deleg. nach geltendem Kirchenrecht*, in *A. f. k. KR.*, 1924, 181, ss.

Confessarius enim, qua talis, *officium* stricte dictum non habet. Delegatam potestatem tribuunt facultates habituales episcopo dioecesano concessae, quia actu particulari, non *iure* conceduntur.

2. Delegata potestas est « quae commissa est personae » (c. 197, § 1).

Potestas delegata potest committi cuidam personae :

1° sive iure sive concessione particulari Principis seu Ordinarii ;

Potestatem iure delegari posse certum est e vetere et e novo iure.

In vetere enim iure, quaedam facultates Ordinariis locorum ipsa lege concedebantur, quas « tamquam delegati a S. Sede » vel « etiam tamquam delegati a S. Sede » exercere debebant aut poterant (Trid. sess. VI, c. 3 de ref. ; s. XXII, cc. 5, 6, de ref.).

In novo iure, canone 1603, § 2 potestatem iure delegari explicite asserit, cum Apostolica Signatura videat « ex potestate delegata de petitionibus per supplices libellos ad Sanctissimum porrectis ad obtinendam causae commissionem apud Sacram Rotam ».

Huiusmodi potestatem, ut patet, in novis quoque S. Sedis legibus concedi posse non ambigitur (Cf. Vidal, *Ius canonicum*, II, n. 306), immo concessa est in decreto *S. C. de Sacr.*, *Catholica doctrina*, 7 maii 1923 (1).

Praeterea Codex iurisdictionem concedit iis qui nullum officium, ne latiore quidem sensu obtinent, v. g. omni sacerdoti iurisdictionem ad absolvendum fidelem in periculo mortis (c. 882), sacerdoti qui matrimonio non delegatus assistit potestatem dispensandi in impedimentis (c. 1044), etc. Quae iurisdictio procul dubio a iure delegata dicenda est.

2° sive ratione officii seu dignitatis sive ob industriam personae, (cum a Principe seu Ordinario conceditur).

Haec quoque distinctio sub vetere iure communis, in Codice retinetur, uti ex c. 310, § 2 constat.

Facultates habituales Ordinariis concessae, ratione officii seu dignitatis ipsis delegantur, nisi ex natura rei vel concessionis forma industria personae electa appareat. Hoc vel inde apparet quod, salva contraria dispositione, resoluto iure Ordinarii, ad eius successorem transeunt (c. 66, § 2).

De his constat inter omnes veteris et novi iuris commentatores, si excipias quod facultas iure ad universitatem causarum *delegata*, contra atque d'Annibale I, 73, volebat, vere ordinaria iam dici nequeat.

Controversia autem fervet de natura non paucarum facultatum quae in Codice Ordinariis locorum, parochis aliisve officium habentibus conceduntur, v. g. c. 1043, ss. quod ad impedimenta matrimonii ; c. 1245 de temporibus sacris, etc. Estne dicenda talis potestas ordinaria an iure delegata ?

Ordinariam dicemus omnem potestatem iure concessam ei qui verum officium obtinet, v. g. Ordinariis, parochis, etc., nisi contrarium ex ipso textu appareat, ut in c. 1603, § 2.

Rationes sunt : 1° Codex procul dubio a vetere iure discrepat eo quod nullibi

(1) AAS, XV, 1923, 389, ss. — *Per.* XII, 104, ss. — Cf. *Epitome*, III, n. 279, 2, b. — Hilling, *Die Wiedereinfuhrung der Delegation a iure in das geltende Kirchenrecht*, in *Arch. f. k. KR.*, 1923, 130.

Ordinarios tamquam delegatos a S. Sede agere dicat, contra atque ius vetus haud raro asserebat, v. g., Conc. Trid. sess. VI, c. 3, de ref. ; s. XXII, cc. 5. 6, de ref.

2° In dubio, veteres commentatores ordinariam habebant omnem potestatem perpetuo dignitati vel officio iure annexam. Ita PIRHING, *Ius canonicum*, I, tit. 31, IX et tit. 29, s. III, LIV. SANCHEZ, *De Matr.*, II, d. 40, n. 13, ss. REIFFENSTUEL, I, t. 29, nn. 11. 34.

3° Simplex Codicis definitio sic videtur optime servari. Haec definitio divisionem completam omnino innuit quae, cum in propria huius materiae sede statuatur, non ideo est deserenda quod difficilius forsan cum ea concilientur opiniones quaedam veterum aut unus canon.

Scriptores quidam huic interpretationi praesertim opponunt quosdam potestatis actus, v. g. dispensationem super iure communi a parocho, immo ab Ordinario loci concessam, ad *naturam* eorum officii non pertinere, ideoque ordinariam non recte vocari, sed iure delegatam habendam esse (1).

Respondemus : 1° A clara Codicis definitione sine gravi causa non est recedendum.

2° Iam SANCHEZ (*l. c.*) aliique veteris iuris commentatores actus huiusmodi potestati ordinariae addicunt.

Immo D'ANNIBALE, I⁵, n. 231, tum Ordinarios, tum parochos in casibus allatis « velut ordinario iure suo » aut simpliciter « iure suo » dispensare asserit.

3° Cum verba iuridica non ex sola notionum analysi, sed ex voluntate quoque Legislatoris sensum accipiant, non est cur ex mera potestatis ordinariae notione diversos iurisdictionis actus potestati ordinariae aut delegatae addicamus, prout ad essentiam officii pertineant aut ei ab extrinseco adiungantur. Quare istud distinguendi inter utramque potestatem principium non admittemus (2).

3. « Potestas ordinaria potest esse sive propria sive vicaria » (**c. 197**, § 2).

Potestas *propria* est quae a Superiore principaliter obtinetur et proprio nomine exercetur ; *vicaria* quae exercetur quidem vi proprii officii sed vice et nomine alterius.

Vicariae potestatis naturam Codex nec definit nec explicat. Cum tamen potestatem Vicarii generalis *ordinariam* simpliciter vocet, videtur liti de natura huius potestatis finem imposuisse. *Vicarius* autem dicitur qui vices gerit alterius in eodem loco et eodem tribunali, quo consuevit ipse Ordinarius sedere. Qua nota a iudice delegato differt (Cf. REIFFENSTUEL, in l. 1, t. 28, nn. 17, ss.).

Porro minus placet sententia cl. MAROTO (*Institutiones*, I, p. 674), qui censet episcopos potestate vicaria dispensare in legibus Ecclesiae universalibus, quia

(1) Cf. FUSTER, S. J., De la podestad ordinaria y delegada « a iure », RAZON Y FE, t. 62, 364 ; t. 64, 91. — OIETTI, I., *De natura potestatis Ordinariorum*, in *Gregorianum*, VI, 1925, 436, ss.

(2) Cf. VIDAL, *Ius canonicum*, II, n. 360.

haec potestas ad ipsam officii naturam non pertineat eique quodam modo extrinsece adiungatur. Antea enim pro ordinaria simpliciter habebatur (cf. D'ANNIBALE, I, 231). Atque mirum videtur dicere episcopos in hac re vice et nomine S. Sedis agere.

Idem asserit de potestate quam secundum ius episcopi quandoque in exemptos exercent, quia antea dicebantur tunc agere « tamquam S. Sedis delegati ». Et, ut ait, correctio iuris qua haec potestas nunc ordinaria fit, restringenda est : minor autem correctio iuris est si hanc potestatem dixeris vicariam. Cum tamen vicaria potestas, haud secus ac propria, late sit interpretanda (c. 200, § 1), lis erit *practice* minoris momenti.

4. Voces « potestas mandata, potestas quasi-ordinaria », quae sive in iure sive in scriptoribus inveniebantur, a Codice iam prorsus exsulant. Perfecta est divisio in potestatem ordinariam et delegatam, quibus vicaria non tamquam tertia species additur ; neque post has definitiones videtur esse cur ad iurisdictionem mandatam aut quasi-ordinariam recurratur (1).

C. DE IURISDICTIONE IUDICIALI ET VOLUNTARIA

278. - Ex obiecto, iurisdictio dicitur iudicialis seu contentiosa, aut voluntaria seu non-iudicialis.

Iudicialis est qua iura controversa dirimuntur, ideoque *contentiosa* quoque vocatur. Multi scriptores iudicialem potestatem definiunt eam quae exercetur servatis formis iudicii. Id recte intellegendum est : nam princeps, etiam ad dirimenda iura controversa, formis in iure praescriptis non tenetur. Et arbitri, cum controversiam solvunt, etiam ex aequo et bono, voluntariam exercere potestatem dici nequeunt.

Voluntaria iurisdictio est qua iura, quibus nemo contradicit, tribuuntur. *Gratiosa* vocatur quando conceduntur indulgentiae, privilegia et favores (Cf. REIFFENSTUEL, I, t. 29, n. 8. LEGA, *de iudiciis*, I2, n. 43).

II. DE IURISDICTIONIS ACQUISITIONE

279. - *De adeptione iurisdictionis ordinariae.*

Iurisdictio ordinaria acquiritur adeptione officii stricte dicti cui annectitur. — Non omnes tamen qui iurisdictionem ordinariam habent, in iure Ordinarii vocantur. Nam :

« § 1. In iure nomine Ordinarii intelliguntur, nisi quis expresse excipiatur, praeter R. Pontificem, pro suo quisque territorio episcopus residentialis, Abbas vel Praelatus *nullius* eorumque Vicarius generalis, Administrator, Vicarius et Praefectus Apostolicus, itemque ii qui praedictis deficientibus interim ex iuris praescripto aut ex probatis

(1) Quia verba in vetere iure minus definiebantur, HINSCHIUS, P., *System des KR.*, I, p. 183, divisionem hanc bimembrem derelinquendam esse censebat. Etiam nunc F. CLAEYS BOUÚAERT, in *Coll. Gand.*, VII, 1920, pp. 204, ss. potestatem *quasi-ordinariam* esse nomenque sua utilitate non carere censet. Quam tamen ad ordinariam, non ad delegatam, iam certo pertinere dicit.

constitutionibus succedunt in regimine ; pro suis vero subditis Superiores maiores in religionibus clericalibus exemptis. — § 2. Nomine autem *Ordinarii loci* seu *locorum* veniunt omnes recensiti, exceptis Superioribus religiosis » (c. 198).

Ordinarii vocantur ii tantum qui potestatem ordinariam in foro *externo* obtinent, exceptis tamen Superioribus minoribus localibus religionis clericalis exemptae.

Locorum Ordinarii sunt, praeter R. Pontificem, Ordinarii quorum iurisdictio tantum vel etiam certo territorio definitur.

Nomine Ordinarii intelleguntur, vi huius canonis, Capitulum, sede vacante, usque ad legitimam nominationem Vicarii capitularis ; Vicarius Capitularis ; Pro-vicarius et Pro-praefectus apostolici, deficiente vel impedita ad normam c. 429, § 1 iurisdictione Vicarii vel Praefecti ; Vicarius Superioris generalis in Ordinibus, defuncto aut deficiente Generali ; Vice-Provincialis ; non autem Visitatores in religione clericali exempta, nisi stabili munere fungantur (1).

Officialis, qui non simul Vicarius Generalis est, nomine Ordinarii non venit. Quia tamen « constituit unum tribunal cum episcopo » (c. 1573), quando S. Rota aut aliud romanum dicasterium negotium iudicialiter tractandum Ordinario committit, res Officiali directe quoque committit (2).

280. - *De adeptione et concessione iurisdictionis delegatae* (c. 199).

1. Potestas ordinaria alteri per se ex toto vel ex parte demandari seu delegari *potest,* nisi aliud *expresse* in iure caveatur.

Delegatio *totius* potestatis eidem personae in perpetuum fieri non potest, quod institutioni alius iudicis ordinarii aequivaleret. — Vi canonis 401, canonicus paenitentiarius potestatem suam ordinariam ad confessiones audiendas delegare non potest. Idem de iurisdictione parochi, post motam controversiam, decrevit *Comm. I. C.*, 16 oct. 1919 (AAS, X, 1919, 477).

2. Iurisdictio delegata a S. Sede per se subdelegari *potest ;* ab aliis Ordinariis concessa subdelegari *habitualiter* nequit.

3. Iurisdictio delegata subdelegari potest :

a) Etiam *habitualiter,* si a S. Sede delegata fuerit, non electa industria personae.

Princeps enim delegatum quasi legatum suum et magistratum facit. — Tacite eligitur industria personae, si dicatur committi *negotium difficile et arduum ;* non item, si dicatur delegati conscientiam onerari vel de eius prudentia fiduciam esse specialem (Cf. Sanchez, *de Matrimonio,* VIII, 27, 43 ; d'Annibale, 1, n. 72, nota 20).

b) *In singulis casibus,* si ab alio Ordinario delegata est ad universitatem negotiorum. (Cf. Claeys-Boúúaert, *Ius pont.*, 1928, 183, s.)

Dicitur delegata *ad universitatem negotiorum,* « cum mandatur vel omne vel certum aliquod genus negotiorum », ut puta causas matrimoniales. Excluduntur

(1) Cf. Vermeersch, S. I., *De religiosis.* I, n. 412. 3. Contra Peijska, *Ius can. relig.* p. 231.

(2) Cf. *Mon. eccl.*, 1925, 85.

negotia in individuo determinata (d'ANNIBALE, I, 73). — Potestas delegata vel subdelegata *in singulis casibus* pro *unico* actu valet; *habitualiter* concessa, valet pro numero casuum definito vel pro omnibus casibus per certum tempus.

c) *Si expresse* id in delegatione fuerit *concessum.*

4. A iudice delegato semper subdelegari potest *articulus non iurisdictionalis* seu merum ministerium quod cognitionem causae non requirit, ut est recipere a testibus iuramentum, beneficii resignationem acceptare, etc. (**c. 199**, § 4).

5. Iurisdictio subdelegata iterum delegari numquam potest, nisi haec facultas *expresse* concessa fuerit ab eo qui ex potestate *ordinaria* delegavit (c. 199, § 5).

Ita missionarius, cui Vicarius Apostolicus facultates sibi a *S. C. de P. F. delegatas* subdelegavit, eas ipse alii, ne ad actum quidem, iterum subdelegare potest, nisi S. C. de P. F. id expresse concesserit (1).

III. DE INTERPRETATIONE IURISDICTIONIS

231. - « § 1. Potestas iurisdictionis *ordinaria* et ad universitatem negotiorum delegata, late interpretanda est; *alia* quaelibet stricte; cui tamen delegata potestas est, ea quoque intelliguntur concessa, sine quibus eadem exerceri non posset. — § 2. Ei, qui delegatum se asserit, incumbit onus probandae delegationis » (**c. 200**).

Facultates *habituales* concessae ad certum tempus aut numerum casuum, cum privilegiis praeter ius accenseantur, latae sunt interpretationis (Cf. cc. 66, § 1; 68. 50. Supra, n. 131). — Vi § 1, qui v. g. potestatem absolvendi haereticum accepit, eius abiurationem recipere potest, etsi dicatur facienda coram delegato Ordinarii. Notandum est tamen non plus censeri concessum quam delegans ipse potest vel iuris dispositiones permittunt.

IV. DE USU IURISDICTIONIS

232. - 1. *Ratione personarum.*

Iurisdictio directe in solos subditos exercetur (**c. 201**, § 1).

Subditi sunt origine, commoratione in territorio vel in plerisque casibus domicilio aut quasi-domicilio.

Indirecte exercetur in peregrinos ratione delicti commissi, rei sitae, etc. Cf. infra l. IV, t. 1, de foro competenti.

Iudicialis potestas exerceri nequit in proprium commodum aut extra territorium, secus ea quae *voluntaria* seu extra-iudicialis est (ibid. §§ 2. 3).

Huic regulae sunt suae *exceptiones*: quod *locum* attinet, potestas *ordinaria* absolvendi a peccatis et censuris exerceri potest erga sub-

---

(1) Cf. VERMEERSCH, *Commentaria de formulis facultatum S. C. de P. F.*, n. 4... *Per.* XI, (75).

ditos ubique terrarum (cc. 401, § 1 ; 881, § 2) ; vi c. 1637 iudex, quem vis impedit ne in territorio suo iurisdictionem exerceat, potest illam extra illud exercere, certiore facto Ordinario loci. — Quod *personam* spectat, rerum natura excluditur usus iurisdictionis erga seipsum, ubi iudex simul reus est vel in foro sacramentali tantum agere potest.

2. *Ratione fori* (c. 202).

Actus potestatis concessae pro foro externo valet pro interno, non autem e converso. Restrictio potestatis ad forum internum sacramentale expressa sit oportet, nisi ipsa rei natura aliud constet, ut si agatur de peccatorum absolutione.

Ita, urgente mortis periculo, *confessarius* in solo actu sacramentalis confessionis super impedimentis matrimonii ad normam c. 1044 dispensare potest. In eodem casu *parochus* vel *sacerdos* quilibet ad assistendum vocatus in utroque foro dispensat.

3. *Ratione ambitus potestatis* (c. 203).

Qui delegationis fines excedit nihil agit. Modus autem utendi facultate, nisi tamquam condicio praescribatur, valorem actus non tangit.

4. *Ratione recursus ad Superiorem* (c. 204).

Simplex recursus ad Superiorem maiorem non suspendit iurisdictionem voluntariam inferioris. — Huic tamen non licet iam se immiscere illi negotio, nisi ex gravi urgentique causa et statim monito Superiore.

5. *Ratione multiplicis delegationis.*

Delegata potestas ad idem negotium perficiendum delegari pluribus potest **in solidum**, aut collegialiter, prout singuli totam potestatem obtinent aut ab omnibus simul iunctis (nisi aliud *expresse* dicatur) exercenda est. In dubio « praesumitur (delegatio) facta in solidum in re voluntaria, collegialiter in re iudiciali » (c. 205, § 1).

Delegatorum in solidum primus qui negotium occupavit alios excludit, quamdiu potest et vult illud expedire (ibid. § 2). — Si successivis rescriptis plures delegati fuerint, ille negotium expedire debet qui priore rescripto, non revocato, est institutus (c. 206. Cf. supra, n. 136, ss.).

V. DE CESSATIONE ET SUPPLETIONE IURISDICTIONIS

283. - 1. Ordinaria iurisdictio, cum ipsi officio annectatur, eo amisso tantum proprie cessat (c. 208).

Officium autem non amittitur resoluto iure concedentis, nisi id iure fuerit statutum, v. g. de Vicario generali (c. 371), vel officium ad beneplacitum personae concedentis fuerit concessum (c. 183, § 2).

Iurisdictio *silet*, i. e. eius vis suspenditur, durante legitima appellatione quae *in suspensivo* concedatur. Saepe vero appellatio in *devolutivo* tantum conceditur : quo casu subditus mandata Superioris interim observare debet.

Excommunicatus tamen, etiam vitandus, et suspensus, sive definitive officium amiserit, sive appellationem interposuerit, versanti in periculo mortis validam absolutionem a peccatis et censuris impertitur (cf. cc. 2261. 2284).

2. Potestas delegata exstinguitur (c. 207, § 1):

1° « Expleto mandato »;

V. g. in negotio iudiciali, ubi sententia, etiam iniusta, exsecutioni mandata est.

2° « Elapso tempore aut exhausto numero casuum pro quo concessa fuit »;

Tempus ad normam c. 34, § 3 computandum est. Sic iurisdictio concessa decurrente die 15 augusti 1924 pro tribus annis, exspirat in fine d. 15 augusti 1927.

Notabilis exceptio huic regulae apponitur, sc. « Potestate pro foro *interno* concessa, actus per inadvertentiam positus, elapso tempore vel exhausto casuum numero, validus est » (ibid. § 2).

Quod a S. Paenitentiaria olim in pagellis concedebatur, id iam iure communi ad omnem fori interni, sive sacramentalis sive extrasacramentalis, potestatem extenditur.

Si facultas ad *certum numerum* iterum petatur, censemus ex eo numero casus per inadvertentiam positos detrahendos non esse. Valide enim positi sunt vi prorogationis vel suppletionis c. 207, § 2. Si prorogatio facultatis *ad tempus* petatur, dicunt prorogationem ab elapso prioris facultatis tempore ex stylo Curiae computari. Quod rei naturae satis consentaneum est.

3° « Cessante causa finali delegationis »;

Cessat causa finalis, cum negotium ob quod potestas concessa est absolutum est aut impossibile factum; cum munus, propter quod erat concessa, cessavit. V. g., cessat potestas absolvendi Caium, si data fuerit ut iste posset contrahere cum Titia et haec decesserit.

4° « Revocatione delegantis delegato directe intimata aut renuntiatione delegati deleganti directe intimata et ab eodem acceptata »;

Directe potest intimari sive inter praesentes sive per litteras aut per procuratorem vel nuncium.

5° « Non autem resoluto iure delegantis, nisi in duobus casibus de quibus in c. 61 »;

Hi duo casus sunt: *a*) cum agitur de gratia concedenda peculiaribus personis in rescripto expressis et res integra est; *b*) cum ex clausulis id apparet, v. g si dicatur concessa potestas « ad beneplacitum nostrum ».

6° In iis qui *collegialiter* delegati sunt, cum unus deficit, « nisi aliud e tenore delegationis constet » (ibid. § 3).

Per se enim ad *validitatem* actus qui collegialiter delegati sunt, *simul* omnes procedere debent (c. 205, § 3).

284. - *De iurisdictione suppleta.*

« In errore communi aut in dubio positivo et probabili sive iuris

sive facti, iurisdictionem supplet Ecclesia pro foro tum externo tum interno » (c. 209).

1. Hic agitur de actu iurisdictionis ordinariae aut delegatae, etiam numquam concessae, pro foro externo aut interno.

2. Supplere *iurisdictionem* est conferre in singulis actibus necessariam ad valide agendum potestatem quam Superior vel iudex neque ex officio neque ex delegatione obtinet. Quare neque ante actum neque post illum potestas illa exsistit et Superior vel iudex recte dicitur carere potestate (sc. *habitualiter*), etsi *actum* sine potestate non ponat.

Iamvero Ecclesia iurisdictionem supplere potest aut ut Superiores qui seriam dubitandi causam habent, ob certitudinem validitatis securiores agant, aut ne fideles qui bonae fidei sunt, ob errorem aut malitiam Superioris damna patiantur.

3. Error est iudicium falsum, dum *ignorantia* carentiam tantum cognititionis et iudicii per se notat. Error *communis* « est, si eo loco, ubi aliquis iurisdictionem exercet, ea praeditus esse publice aestimetur ; seu facti error versetur, seu iuris, dummodo error iuris sit probabilis » (D'ANNIBALE, I, 79). — *Error iuris* per se nemini prodesse potest, nisi probabilis sit, i. e. iis rationibus innixus quae virum prudentem et honestum movere possunt. Benignius admittitur probabilis error iuris in impubere, in muliere, in milite ; non tamen error circa ius facile et in certo populo per se omnibus notum.

Locus in quo error communis dicitur est dioecesis, paroecia, Capitulum, communitas religiosa in cuius membra iurisdictio exercenda est. *Communis* est error qui maiorem huius communitatis partem afficiat.

Quaeritur utrum ad errorem communem *factum* erroris multorum requiratur an satis sit poni *fundamentum* huiusmodi erroris, ita ut multis *necessario errandum* sit. Sub vetere iure plerique auctores primum exigebant et iure quidem, nam error non videtur dicendus *communis*, nisi multi *iam* errent, cum error iudicium sit. Sed exempla eorum fere semper titulum coloratum supponebant, qui facile multos de facto decipiet.

Nos autem errorem *interpretativum* seu *de iure* (non *de facto*) exsistentem sufficere censemus. Nam, posito publice facto quod prudentes quoque in errorem inducit, hic publicus, non privatus erit, atque Ecclesia, quae ob bonum commune iurisdictionem supplet, non censenda est permittere ut multi, immo pauci fructu validi exercitii iurisdictionis careant, quia plerique non simul, sed alii post alios in errorem inciderunt (1). Hanc sententiam quam dubii aliquando innuimus, tamquam certam nunc habemus. Eam BUCCERONI (2) iam ante

(1) P. VERMEERSCH, *Theol. mor.*, III², n. 459 exigit ut causa erroris iam a multis cognoscatur. Nos non ita.

(2) *Casus Conscientiae*, II (ed. 6ª), n. 129, 5, p. 169.

Codicem tenebat, nunc incunctanter proponunt CAPPELLO (*De matrim.* n. 665), WERNZ-VIDAL, (*Ius can.* II, 381, JOMBART (*N. R. Th.*, 1923, 173), *Ami du Clergé*, 1925, 101, ss., SCHAEPMAN (*N. K. St.* 1928, 45.)

Exemplo sit religiosus qui nuper ex alia dioecesi veniens in templo novi domicilii confessiones audit, in confessionali cui eius nomen appositum est, oblitus tamen petendae iurisdictionis ab Ordinario huius loci. Procul dubio omnes fideles in civitate credunt omnes religiosos qui sic publice confessiones audiant, iurisdictionem habere. Vi huius erroris statim supplet Ecclesia, neque exspectandum est donec multi fideles ecclesiam frequentarint eiusque nomen in confessionali animadverterint.

Cum iurisdictio revera suppleatur, *valide* exercetur etiam erga paucos qui carentiam iurisdictionis habitualis norunt. Isti tamen illicite eius exercitium provocant, nisi causa gravis adsit. Quod non ambigitur.

Ante Codicem multi probabilius censebant Ecclesiam non supplere in errore communi sine titulo colorato. **Titulus** est actus quo ius nititur ; *coloratus* vocatur, si colorem seu speciem veritatis habeat, quia vitio occulto laborat conferens, accipiens vel ipse actus collationis, v. g. si occulta excommunicatione vel suspensione delegans tenetur.

4. **Dubium** est status mentis inter duas aut plures sententias haerentis. *Positivum* est, si ad affirmandam iurisdictionem ratio adest ; et *probabile*, si ratio alicuius momenti seu gravis sit : ita ut probabilis sive iure, sive facto sit iurisdictio. *Negativum* est, si ad affirmandam iurisdictionem ratio nulla afferri potest, neque certa ad negandam. Ab ignorantia actuali non differt.

Dubium *iuris* versatur circa exsistentiam vel ambitum *legis*, dubium *facti* circa exsistentiam condicionum quas lex certo requirit ut actus sit validus, licitus praescriptus, prohibitus.

Exempla sint : dubium *iuris positivum* et *probabile* est, si graves auctores iurisdictionem affirmant, contradicentibus aliis aeque peritis. Dubium *facti positivum*, si dubito utrum iurisdictio mihi mandata sit pro tribus an duobus annis, et solet in tali dioecesi pro tribus annis concedi. Dubium facti *negativum*, si dubito utrum ad primam an ad tertiam fer. IV octobris perduret, quia mox prima, mox tertia feria IV^a renovatur neque recordor qua hebdomada iurisdictio mea fuerit renovata.

In errore communi aut in dubio positivo et probabili usus iurisdictionis semper *validus* est. In dubio negativo, cum Ecclesia non suppleat, validitas actus a sola rei veritate quae ignoratur, pendet.

5. *Licet* uti iurisdictione suppleta :

a) In dubio positivo et probabili iuris et facti, sine gravi causa.

Sola enim causa illiceitatis esset dubium de valore actus, quod supplente Ecclesia tollitur. Causam gravem requirebant antea pro usu iurisdictionis in dubio *facti*, etiam probabili, ob dubium effectum sacramenti.

b) *In errore communi*, si gravis necessitas paenitentis adest aut ex omissione actus grave damnum sacerdoti imminet.

Nemini enim licet exercere potestatem quam non habet. Ecclesia autem supplet tantum ne fideles, bona fide agentes, decipiantur. — Si gravis necessitas adest, Ecclesia non censetur urgere *prohibitionem* cum gravi damno clerici aut fidelium. Quare iam abest omnis species usurpationis. — Cum actus sit *certo* validus, subditus nullo modo monendus est

In dubio negativo, licet actum iurisdictionis, si gravis est necessitas, sub condicione ponere.

Ex caritate enim iuvare licet alium quantum potes. Cum tamen *valor* actus dubius maneat, subditus est per se monendus ut postea, si possit, novo actu valorem prioris certum faciat.

6. Iurisdictio praesumpta de futuro nihil operatur ; quare usurpari licite nequit.

Attamen, si de actu agitur qui *ratihabitione* confirmatur, v. g. de collatione beneficii, licet ob gravem causam iurisdictione praesumpta uti (D'ANNIBALE, I, 81) ; id non obtinet in absolutione, in assistentia matrimonii, etc.

285. - Potestas ordinis alii demandari seu *delegari* nequit, nisi id *expresse* fuerit iure vel indulto concessum (**c. 210**).

Potestas ordinis alia est iuris divini i. e. a solo Deo procedit, alia ab Ecclesia confertur. Prior vi ordinationis episcopatus, sacerdotii, diaconatus recipitur ; posterior in subdiaconatu (iuxta communissimam sententiam) et ordinibus minoribus confertur. Iuris quoque humani est potestas quae, etsi *per se* ad episcopatum pertineat, eius characterem non requirit, sc. potestas confirmandi, conferendi minores ordines, consecrandi certas res.

Patet solam potestatem iuris humani alii demandari posse. Huiusmodi delegatione in iure facta, simplex sacerdos, qui Vicarii vel Praefecti Apostolici ad normam c. 309, § 4, vices gerit, potest consecrare calices, confirmare et ordines minores conferre.

TITULUS VI

DE REDUCTIONE CLERICORUM AD STATUM LAICALEM

(cc. 211-214)

Scriptores : WERNZ, *Ius Decretalium*, II, nn. 228, ss. — BLAT, *Commentarium*, in hos cc. — DE MEESTER, *Compendium*, I, 383, ss. — MAROTO, *Institutiones*, II, nn. 732, ss. — WERNZ-VIDAL, S. I., *Ius canonicum*, II, nn. 384, ss.

286. - Reductio ad statum laicalem est actus quo clericus, vetito iam usu potestatis ordinis, iura status clericalis omnia amittit eiusque obligationibus omnibus aut quibusdam non tenetur, salva obligatione caelibatus in clerico maiore non coacte ordinato.

« Sacra ordinatio » i. e. ea quae pars certa sacramenti ordinis est, semel valide recepta numquam irrita fit ; Ecclesia autem eam potestatem, quam iuxta sententiam hodie praevalentem ipsa sola confert, semel concessam auferre non vult.

Qui in ordine sacro constituti sunt, ex solius supremae potestatis dispositione ad statum laicalem reduci, et ad clericalem postea redire possunt ; clerici minores non indigent nisi interventu Ordinarii.

287. - De *causis reductionis.*

1. *Clericus maior* non potest ex libera voluntate ad statum laicalem redire, sed :

1° Ex gratia S. Sedis, quae nulli sine gravibus causis conceditur (**c. 211**, § 1).

2° Ex decreto vel sententia iudiciali, ob coacte receptam ordinationem (ibid. Cf. cc. 214. 1993-1998).

In casu coactae ordinationis, obligationes potius non contractae censentur quam auferuntur.

3° Ex sententia degradationis ob delicta gravissima in iure taxative definita (ibid. Cf. *Epitome*, III, 499, 3).

2. *Clericus minor* potest redire ad statum laicalem libere vel coacte :

1° Ex sua ipsius voluntate, sed debet monere Ordinarium loci, qui eum ad ulteriores ordines recipiendos cogere nequit (c. 211, § 2) ;

2° Decreto Ordinarii loci, ob iustam causam, si nempe clericus prudenter praevidetur non posse cum decore status clericalis ad ulteriores ordines promoveri (ibid.) ;

3° Ex causis a iure statutis, sive in poenam sive ob actum qui praesumptionem renuntiationis statui clericali creat. E. g. si clericus habitum ecclesiasticum et tonsuram ad normam c. 136, § 3 (supra, n. 221, 2) dimiserit, si sponte et illegitime militiae saeculari nomen dederit (c. 141, § 2), si nuptias libere inierit (c. 132, § 2), si post professionem dimissus fuerit (cc. 648. 669, § 2), etc.

288. - Ut iterum inter clericos admittatur :

1. Clericus minor indiget licentia Ordinarii dioecesis cui incardinatus erat per ordinationem. Licentia vero non concedenda est, nisi post diligentem inquisitionem et congruum, iudicio Ordinarii, experimentum (**c. 212**, § **1**).

Si quis ergo post receptos ordines minores ad statum laicalem redierit, antequam religionem clericalem ingrediatur, saltem prudens erit petere ab Ordinario dioecesis cui incardinatus fuerat, ut removeat canonicum impedimentum ad ordines suscipiendos (cf. commentarium ad c. 542, 2°, in fine). Qua licentia accepta, candidatus vel religiosus statim tonsuram gestare poterit.

2. Clericus maior indiget licentia S. Sedis (c. 212, § 2).

289. - 1. De *effectibus reductionis ad statum laicalem* (**c. 213**).

Ipso facto amittuntur officia, beneficia, iura ac privilegia clericalia ; salva obligatione caelibatus in clerico maiore, non coacte ordinato, cessant obligationes status clericalis quae cum nova condicione non sunt compatibiles, nisi ex rescripto aut decreto plura definiantur.

Clerico redacto ad statum laicalem licet militiam saecularem capessere, aliaque munera quaelibet honesta obire, a quibus soli clerici prohibentur.

2. *De effectu coactae ordinationis* (c. 214).

Etsi ordinatio coacte seu ob metum gravem recepta, valida sit, eius tamen onera, cum gravissima sint, Ecclesia non vult imponere nisi libere assumpta. Sed haec exemptio, iure statuta, iudiciali sententia aut decreto declaranda est.

Si quis autem ordines, *remoto metu*, exercuerit, ordinationem suam ratam habuisse videtur. At potest fieri ut etiam tunc ita egerit, quia nescivit se libertatem vindicare posse vel id facere non est ausus. Ratihabitio enim cognitionem libertatis ab obligatione supponit. Quo in casu difficilior, at non impossibilis, probatio ipsi incumbet permanentis suae reluctantiae.

Causa ab ipso clerico, etiam religioso, apud S. C. *de Sacramentis* est introducenda, cuius est definire utrum ordine iudiciario an disciplinari pertractanda sit. Causa introducta, clericus statim ab ordinibus exercendis est prohibendus. (1) — Duae sententiae conformes requiruntur, si iudiciariae sint, ut liber evadat ab oneribus sacrae ordinationis. In linea disciplinari, etiam si sufficiens coactio vel defectus ratihabitionis non plene evincatur, interdum supplicatur Sanctissimo pro dispensatione, quae tunc facilius subdiaconis vel diaconis quam sacerdotibus conceditur (cf. cc. 1993-1998).

SECTIO II - DE CLERICIS IN SPECIE

290. - Connexio materiae. Propositis iis quae omnibus clericis sunt communia, iam ad varios gradus utriusque hierarchiae, ordinis sc. et iurisdictionis, veniendum est. Christus autem duplicem gradum hierarchiae iurisdictionis *immediate* instituit, supremum sc. R. Pontificis et inferiorem episcoporum. Iure tamen ecclesiastico alii clerici huius duplicis potestatis participes efficiuntur. Ideo duobus titulis tota haec sectio absolvitur.

Cum vero plerique Superiores ecclesiastici, sive singulares sive collegialiter sumpti, praeter R. Pontificem, potestatem certo territorio annexam exerceant, quaedam de divisione orbis terrarum in territoria ecclesiastica hic praemittuntur.

DE DIVISIONE TERRITORII ECCLESIASTICI (cc. 215-217)

291. - 1. Distinguuntur regiones *iuris communis* a terris *missionum*; dum illae sunt in quibus hierarchia perfecte constituitur, in his aut nullo modo aut imperfecte tantum et quasi inchoative est constituta vel restituta. Territoria iuris communis in dioeceses dividuntur; in terris missionum, si paucas dioeceses excipias, Vicariatus

(1) Textum *Instructionis* quam sequi debet Ordinarius in causa examinanda cf. *Arch. f. k. KR.*, 1927, 562. — De relatione c. 214 cum c. 1072 cf. ARENDT, in *Ius pont.*, 1928 63, s.; 168, s.

apostolici et Praefecturae apostolicae constituuntur. Fit quoque ut territorium missionis Superiori plerumque religioso committatur, donec Praefectura apte erigi possit.

Tandem abbatiae et Praelaturae *nullius* in utrisque territoriis, praesertim tamen in prioribus, erectae sunt (1).

2. Dioecesis est territorium cui episcopus, tamquam proprius et ordinarius pastor praeficitur ; ex pluribus dioecesibus ad eandem regionem pertinentibus *provincia* ecclesiastica constituitur. *Abbatiae* et *Praelaturae nullius* (sc. dioecesis) sunt territoria ab omni dioecesi separata, quorum clerus et populus Praelato (ut plurimum) regulari subduntur. *Vicariatus* et *Praefecturae apostolicae* sunt divisiones territoriales missionum, quibus Praelati, nomine R. Pontificis, praesunt.

Διοίκησις seu habitatio separata, territorium distinctum, in imperio romano pars Praefecturae praetorii erat, plures provincias continens. Hoc sensu intellegitur in c. 2, Conc. Constantin. (a. 381), et c. 9, Conc. Chalcedonen. (a. 451) ; territoria minora in canonibus Conciliorum Africanorum primum designat. — Quod dioecesim vocamus, apud Graecos voce παροικία, in iure canonico antiquo *paroecia* dicebatur (2).

Haec omnia territoria ecclesiastica sunt personae morales et non collegiales ; quare solius est potestatis ecclesiasticae ea erigere, mutare et supprimere. Iure divino, haec erectio, mutatio, suppressio non ad episcopos, qui inter se aequales sunt, sed ad Sedem Apostolicam vi primatus pertinet (**c. 215**, § 1).

Etsi iam post IV saeculum RR. Pontifices in erigendis dioecesibus partes habuere, quae maiores labentibus annis factae sunt, exclusivum ius suum in hoc negotio a saec. XI° exercent (3). Quod ius Pius IX contra liberales errores in Syllabo, prop. 51 vindicavit (4).

Cum tamen constitutio dioecesium vel aliorum beneficiorum consistorialium auxilium potestatis civilis fere semper requirat, res in pluribus Concordatis ex pacto componitur (5).

Decurrente anno 1927, numerabantur in Ecclesia latina 1073 sedes episcopales residentiales, quarum 629 in Europa (282 in sola Italia) erant ; 39 Abbatiae et Praelaturae nullius, 218 Vicariatus apostolici, 87 Praefecturae apostolicae (6).

3. « In iure nomine dioecesis venit quoque Abbatia vel Praelatura nullius ; et nomine episcopi Abbas vel Praelatus nullius, nisi ex natura rei vel sermonis contextu aliud constet » (c. 215, § 2).

Ex natura rei aliud constabit quotiens de actu potestatis ordinis agetur, iure divino episcopis reservati, v. g. de conferendis ordinibus maioribus.

---

(1) Cf. ARENS, B. S. I., *Manuel des missions catholiques*, p. 22, ss.

(2) D. Th. v° Diocèse (Fourneret).

(3) Urbanus II, ad Rainald. Rem. archiep., a 1092 (MANSI, Conc. XX, 670).

(4) DENZ., 1751.

(5) Cf. Concordat de Lettonie, art. II, VI, VII ; AAS, XIV, 1922, 577 (*N. R. Th.*, 1923, 132). — Convention avec le gouvernement du Congo belge, 26 mai 1909 (MERCATI, *Raccolta*, p. 1096).

(6) Cf. *Annuaire pontifical catholique*, 1928. 477, ss.

292. - *De divisione territorii in paroecias vel quasi-paroecias.*

Legislator vult ut, quantum ratio temporum et locorum id patitur, dioeceses in paroecias, Vicariatus et Praefecturae apostolicae in quasi-paroecias dividantur.

1. Paroecia est communitas quaedam fidelium cui proprius rector, cum potestate ordinaria fori interni pro necessaria animarum cura praeficitur. Prout iurisdictio pastoris domicilio vel commoratione personarum aut earum qualitate aut utraque nota definitur, sunt paroeciae locales, mere personales et mixtae.

Paroecia *localis* seu territorialis est pars dioecesis cui assignatur peculiaris ecclesia cum populo determinato et peculiaris rector (c. 216, §§ 1 et 3).

Fieri potest ut eadem ecclesia pluribus simul parochis inserviat, qui variis partibus populi eiusdem loci praesunt. Plures tunc habentur paroeciae, ideoque cuilibet parocho est pro suo populo celebrandum.

Ad paroeciam constituendam, formale erectionis decretum per se non est necessarium (1) ; confirmatur haec sententia responso Em. Card. Gasparri dato ad Delegatum Apost. Americae Sept. d. 26 sept. 1921 ; immo promulgatione Codicis paroeciae factae sunt omnia territoria ecclesiastica, bene definita, quibus erat suus rector specialis cum ecclesia et redditibus congruis (2). Cf. c. 1415. Novae tamen quasi-paroeciae erigendae sunt decreto, quo « territorii fines, sedes paroecialis et dos tam pro cultu quam pro sacerdotis sustentatione determinentur » (S. C. *Consist.*, declar. 1 aug. 1919, ad II) (3). — Etsi iam ad dotem constituendam bona stabilia non sunt necessaria (cf. c. 1410), ea tamen quae necessaria sunt ad sustentationem parochi et ad cultum celebrandum adfutura praevidenda sunt. Quare, si absoluta dotis carentia vel « exiguus aut fluctuans fidelium numerus » paroecias erigendas non suadeant, loco paroeciae erigatur ad tempus ecclesia *subsidiaria* vel *capellania* quae in dependentia alicuius paroeciae manebit (ibid. ad III) (4).

2. De divisione Vicariatuum et Praefecturarum in quasi-paroecias edita est a *S. C. de P. F.* instructio, 25 iul. 1920 (5), quae sequentia definit :

1° Divisio in quasi-paroecias est in votis Legislatoris, proindeque praeparanda et, ubi ad eam procedi poterit, perficienda est.

---

(1) Cf. S. C. P. F., decr. 9 dec. 1910, 2°. AAS. XIII, 1921, 17. — *Per.* X, 303.

(2) Cf. AYRINHAC, *Constitution of the Church*, p. 24, ss.

(3) Possunt tamen paroeciae ad tempus erigi quarum cura non sit beneficium, cum dote careant (cf. c. 1415, § 3).

(4) AAS, XI, 1919, 346. — *Per.* X, 56.

(5) AAS, XII, 1920, 331. — *Per.* X, 201.

2° Negotium prudenter est perpendendum, requisita consiliariorum sententia (cf. c. 302) vel etiam praecipuorum missionariorum in congressu coadunatorum (cf. c. 303).

3° Poterit ita procedi ut quaedam tantum partes territorii in quasi-paroecias dividantur.

4° In decreto erectionis, fines paroeciae determinabuntur aut directe aut indirecte per christianitates quae regionem incolunt : insuper quaenam ecclesia principalis et residentia quasi-parochi sint, dicetur.

5° Omnes ecclesiae, capellae vel oratoria intra fines quasi-paroeciae sita, exceptis ecclesiis religiosorum exemptorum, *subsidiaria* habebuntur et in eius dependentia manebunt, donec et ipsa in quasi-paroecias erigantur vel a quasi-paroecia eximantur ad normam c. 464.

3. « Non possunt sine speciali apostolico indulto constitui paroeciae pro diversitate sermonis seu nationis fidelium in eadem civitate vel territorio degentium, nec paroeciae mere familiares aut personales ; ad constitutas autem quod attinet, nihil innovandum, inconsulta Apostolica Sede » (c. **216**, § 4).

Paroecia **mere familiaris aut personalis** est, si competentia parochi sola personarum qualitate, v. g. consanguineitate, officio militari, absque territorii limitibus, nititur. Personalis, lato sensu, dicitur vel **mixta**, ubi parocho subsunt omnes homines eiusdem originis vel linguae vel ritus in definito territorio degentes. Stricte **localis** seu territorialis est ubi sola domicilii vel quasi-domicilii ratione competentia parochi definitur. Mixtae paroeciae non una forma est, de qua in tit. de matrimonio fusius erit dicendum. In America septentrionali non nullas exsistere huiusmodi paroecias personales (Polonorum, Italorum, etc.) notum est. Cum erectio aut suppressio talium paroeciarum intricatis saepe difficultatibus locum det, iudicio S. Sedis nunc reservatur. Dum enim fidei migrantium ex alia regione conservandae multum iuvant, fieri potest ut tempore procedente separationi cuidam fidelium iuxta nationes nimis faveant (1). Prohibitio extendenda non est ad paroecias quae *ritu* determinantur. Romani enim Pontifices distinctionem rituum tollere minime volunt.

293. - *De erigendis vicariatibus foraneis.*

Paroeciae eiusdem regionis inter se uniendae sunt ita ut districtus ecclesiasticos constituant, qui pro vario regionum usu *vicariatus foranei, decanatus, archipresbyteratus,* etc. vocantur. Quod si impossibile videtur, monenda est S. Sedes, nisi iam aliter providerit (c. **217**).

Vicariis et Praefectis apostolicis *consilium* datur similis divisionis introducendae, quae sit in missionibus adumbratio quaedam vicariatus foranei (S. C. P. F., *Instruct.* 25 iul. 1920, ad IX)

---

(1) Cf. Creusen, *l'Eglise catholique aux E. U.*, *N. R. Th.*, 1927, 655, s.

TITULUS VII

DE SUPREMA POTESTATE DEQUE IIS QUI EIUSDEM SUNT ECCLESIASTICO IURE PARTICIPES

(cc. 218-328)

Caput I. - De Romano Pontifice

Scriptores : WERNZ, II, nn. 563, ss. — AUGUSTINE, *A commentary*, in h. cc. — AYRINHAC, *Constitution of the Church*, p. 27, ss. — BLAT, *Commentarium*, in l. II, p. 158. — DE MEESTER, *Compendium* II, nn. 495, ss. — HILLING, N., *Das Personenrecht des C. I. C.*, § 42. — TOSO, *Commentaria minora*, II, in h. cc. — WERNZ. VIDAL, S. I., *Ius canonicum*, II, nn. 401-454.

294. - Ordo materiae. Codex mira brevitate de potestate R. Pontificis agit. Asserta enim eius natura (c. 218), satis erat indicare modum adeptionis (c. 219), praecipuum obiectum exercitii ordinarii (c. 220) et extraordinariam quandam causam cessationis (c. 221) ; ipsius enim R. Pontificis est leges condere, mutare, tollere in eisque dispensare.

§ 1. DE INDOLE ET AMBITU POTESTATIS R. PONTIFICIS

295. - « R. Pontifex, Beati Petri in primatu successor, habet non solum primatum honoris, sed supremam et plenam potestatem iurisdictionis in universam Ecclesiam tum in rebus quae ad fidem et mores, tum in iis quae ad disciplinam et regimen Ecclesiae per totum orbem diffusae pertinent.

« Haec potestas est vere episcopalis, ordinaria et immediata tum in omnes et singulas ecclesias, tum in omnes et singulos pastores et fideles, a quavis humana auctoritate independens » (c. **218**, § 2).

Hic canon totus est dogmaticus eiusque propositiones in Conc. Vaticano, Sess. IV, Const. De Ecclesia X', tamquam ad fidem pertinentes definitae sunt. A dogmaticis haec puncta mutuamur :

Textus ita proponitur ut factum coniunctionis Sedis romanae cum supremo primatu, nihil vero de iure divino atque immutabili huius coniunctionis asseratur. *Primatus honoris* esset tenere primum locum inter pares, sine vera in alios episcopos potestate, prout contendebant Gallicani, Iansenistae, Febroniani. — Asseritur potestas *regendi* totam Ecclesiam legibus, iudicio et poenis, non inspectione tantum aut directione. — *Suprema* potestas est quae a nulla alia originem ducat et supra omnes constituatur ; *plena*, cui nulla pars iurisdictionis desit *non* autem *exclusiva* potestatis episcoporum sive singulorum, sive in Concilium coadunatorum, quae etsi potestati R. Pontificis plene subordinata est, non ex ea tamen sola originem ducit. — *Episcopalis* dicitur, qua R. Pontifex pastor proprius omnium fidelium sit ; *ordinaria*, quia iure divino ex ipso officio tota fluit. — *Immediata*, quippe quae a Christo in singulos collata, non per episcoporum concessionem neque tantum in appellatione vel recursu exerceatur. — A quavis humana auctoritate *independens* est, cum R. Pontifex eam etiam solus, non autem sine ipso Conci-

lium oecumenicum, exercere possit, nulliusque hominis aut collegii potestati coactivae subiciatur.

Illa est potestas R. Pontificis qua talis. Quod si usum huius potestatis consideres, distinguere licet potestatem quam R. Pontifex exercet tamquam supremus Ecclesiae pontifex, Patriarcha occidentalis, Primas Italiae, Metropolita provinciae romanae et episcopus Urbis Romae.

§ 2. DE ELECTIONE R. PONTIFICIS

I. DE NORMIS ELECTIONIS

296. - *Designatio personae* R. Pontificis ex iure nunc vigenti fit electione a coetu Cardinalium. Quae electio regitur unice Const. Pii X, *Vacante Sede Apostolica*, 25 dec. 1904 (1), qua, abrogatis omnibus legibus huic Constitutioni non insertis,confirmantur C. *Commissum Nobis* eiusdem Pii X (20 ian. 1904) et C. *Praedecessores nostri* Leonis XIII cum annexo *Regolamento* (24 maii 1882) (2). Pius PP. XI, Motu proprio *Cum proxime*, 1 mart. 1922 (3), nn. 33. 54 quosdam articulos Constitutionis Pianae immutavit, n. 38 authentice interpretatus est.

Cum determinatio modi quo persona R. Pontificis designanda est hierarchiae ecclesiasticae iure divino permissa sit, haud mirum est istum modum tempore decurrente satis variasse, ita ut primum populo et omni clero, dein christianis Imperatoribus vel aliis principibus suae partes non parvi momenti in illa designatione concessae sint ; postremo solis Cardinalibus a saec. XII° reservata, vix ad nostrum usque tempus immutata est.

Pius X causas nullitatis omnes, una excepta, removit et paulo post suam electionem ius *Exclusivae* omnino sustulit. Praesertim ab initio medii-aevi, principes saeculares a S. Pontificatu viros sibi non bene visos arcere conati sunt Quem usum, saepissime reprobatum, RR. Pontifices numquam ratum habuerunt Cum tamen mollius resisterent, ab initio s. XVIII, supremi Rectores Austriae, Galliae et Hispaniae ius excludendi unum candidatum sibi vindicarunt. Abusum hunc omnino suppressit Pius X, C. *Commissum nobis*, 20 ian. 1904 (4).

II. DE IPSA ELECTIONE

297. - 1. Electores sunt et regulariter electioni interesse debent omnes et soli Cardinales in Consistorio proclamati, qui saltem ordini diaconatus sint initiati, et ante definitivum scrutinium Romam pervenerint (C. *Vacante S. A.*, nn. 27, ss.).

2. *Valide* eligi potest mas qui usu rationis polleat, ad acceptandam electionem et exercendam iurisdictionem sufficienti, verumque sit membrum Ecclesiae, etsi tantum laicus.

Licite eligi nequit qui caret debita honestate et scientia et, omnibus in Domino consideratis, non est dignior.

---

(1) Const. *Vacante Sede apostolica* reperitur ad calcem Codicis, Documentum I.

(2) Cf. D. Th., v° *Elections des Papes.*—CE, *Papal election. Conclave.*—KL, *Papstwahl.*

(3) AAS, XIV, 1922, 145. — *Per.* XI, 4. — *N. R. Th.*, 1922, 429. — Ad calcem editionum recentiorum Codicis, Documentum IX.

(1) Cf. *Can. contemp.* XXXIII, 1909, 257.

3. *De tempore, loco et forma.*

Electio incipere *potest* die *decimo sexto*, *debet* saltem die *decimo nono* post obitum S. Pontificis. — S. Collegii Cardinalium est decernere num ultra quindecim solidos dies exspectandum sit (PIUS XI, Motu proprio *Cum proxime*, n. 1). — Regulariter electio *Romae* facienda est, in conclavi eoque clauso. Loci et temporis adiuncta validitatem non afficiunt.

Gregorius X, Const. *Ubi periculum*, 7 iul. 1274, iussit Cardinales decimo post mortem R. Pontificis die in palatium in quo mortuus esset convenire. Tunc in eodem loco eoque clauso (Conclavi) coadunati et ab omni cum personis extraneis commercio seiuncti electionem peragere debebant.

Forma ad validam electionem peragendam adhibeatur : vel quasi-inspiratio (*V. S. A.*, n. 55), vel compromissum (*V. S. A.*, n. 56), vel scrutinium secretum (*V. S. A.*, nn. 57, ss.), suppresso iam accessu, cui substituitur secundum scrutinium absque formalitatum reiteratione faciendum. Requiruntur duae tertiae partes suffragiorum.

In *accessu*, qui statim post inefficax scrutinium fiebat, Cardinales suffragium ferebant pro uno ex illis qui saltem unum validum suffragium acceperant aut suum suffragium confirmabant his verbis : « accedo nemini ». — Tunc iterum computabantur omnia suffragia a singulis, tum in scrutinio tum in accessu, recepta. Electus erat qui simul obtinuerat duas tertias partes suffragiorum omnium et maiorem numerum suffragiorum quae singulis data erant. Nam ex additione suffragiorum scrutinii et accessus poterant duo candidati habere numerum suffragiorum qui duas tertias partes numeri electorum superaret.

Consensus ab electo datus electionem perficit et immutabilem reddit.

4. *De vitiis* (Const. *Vacante S. A.*, nn. 79, ss.).

Sub poenis gravissimis *prohibentur*, vivente R. Pontifice eoque inconsulto, tractationes de ipsius successoris electione ; pactiones, conventiones et promissiones electorum ; item *capitula* eligendo imponenda ; simonia, metus et coactio.

Nullo ex his vitiis electio invalida redditur, nisi ob vim et coactionem voluntaria nullatenus fuerit.

Capitula erant leges seu pacta, quae Cardinales electores ad augendam suam libertatem vel dignitatem ante electionem definiebant a futuro Pontifice confirmanda (1).

III. DE COLLATIONE POTESTATIS

298. - « R. Pontifex, legitime electus, statim ab acceptata electione, obtinet, iure divino, plenam supremae iurisdictionis potestatem » (**c. 219**).

Cum R. Pontifex humanum Superiorem nullum habeat et ipsi, non Ecclesiae seiunctim ab ipso, primatus iure divino collatus sit, suprema eius potestas collatione libera vel institutione vel electionis confirmatione nullo modo conferri

---

(1) Cf. *Anal. eccles.*, VI, 1898, 125.

potest. Quare statim post consensum rite datum, honoribus supremis fruitur et potestatem suam libere exercet.

§ 3. DE USU SUPREMAE POTESTATIS

299. - Negotia gravioris momenti quae soli R. Pontifici reservantur, sive natura sua sive positiva lege, causae maiores appellantur (c. 220) (1). Causae maiores singulis Codicis titulis recensentur. Sunt potissimum sequentes :

1. *Doctrinales.* R. Pontifex definit dogmata vel solus vel cum oecumenico concilio (c. 1323, § 2) ; tutatur doctrinam fidei et morum, v. g. decretis universalibus S. Officii (c. 247, § 1) ; probibet libros in universa Ecclesia (c. 1395, § 1) ; praedicationi doctrinae christianae in universo mundo invigilat (c. 1350, § 2) ; solus canonice constituit catholicas studiorum universitates (c. 1376) ; iudicat causas de beatificatione et canonizatione (c. 1999), etc.

2. *Legislativae.* R. Pontifex solus facit leges generales, ab illis solus iure proprio dispensat (c. 80) ; cum populorum rectoribus concordata init (c. 3).

3. *Administrativae.* Pertinent ad ipsum v. g. erectio dioecesis vel provinciae ecclesiasticae (c. 215) ; institutio episcoporum (c. 329) ; supremum regimen religionum (cc. 492, ss.) ; administratio suprema bonorum ecclesiasticorum (c. 1499) ; ordinatio divini cultus (cc. 1145, 1244) ; etc.

4. *Iudiciales.* Iudicat causas omnes Principum et Cardinalium (c. 1557) ; causas criminales episcoporum (ibid.) ; causas de inconsummatione matrimonii (c. 1962).

5. *Poenales.* Multae censurae reservantur S. Sedi (c. 2245, §§ 2. 3).

§ 4. DE CESSATIONE POTESTATIS R. PONTIFICIS

300. - Cessat R. Pontificis potestas *morte* ; - *renuntiatione* libera, quae valida est sine cuiuspiam acceptatione (**c. 221**) ; *amentia* certa et certo perpetua ; - *haeresi* notoria.

Saltem iuxta communiorem sententiam, R. Pontifex ut doctor *privatus* in manifestam haeresim incidere potest. Tunc, sine sententia declaratoria (nam suprema Sedes a nemine iudicatur) ipso facto a potestate decideret, qua frui non potest qui membrum Ecclesiae iam non sit. Casus tamen, ob divinam de Ecclesia providentiam, omnino improbabilis habendus est.

---

(1) Cf. D. Th. v° *Causes majeures.*

Caput II. - De Concilio oecumenico
(cc. 222-229)

Scriptores : Wernz, II, nn. 842, ss. — Blat, *Commentarium*, in h. cc. — Toso, *Commentaria minora*, II, in h. cc. — De Meester, *Compendium*, II, n. 542, ss. — Wernz-Vidal S. I., *Ius canonicum*, II, nn. 455-463. — D. Th. v° Conciles.

I. notio

301. - Concilium oecumenicum definitur congregatio legitima episcoporum et aliorum Praelatorum, universam Ecclesiam repraesentantium, a R. Pontifice convocata, quae, ipso approbante, de negotiis universalis Ecclesiae deliberent et decernant.

Verba *Concilium* et *synodus* a scriptoribus profanis et ecclesiasticis promiscue adhibebantur ad designandum omnem virorum deliberantium coetum ; dein ab ecclesiasticis scriptoribus coetibus episcoporum sunt reservata ; tandem synodus, non autem Concilium, coetum quoque clericorum minorum sub auctoritate episcopi designavit.

Concilia sunt *universalia* vel *non universalia*. Haec variis nominibus designantur, pro numero et origine membrorum. *Generalia* dicuntur in quibus omnes vel plerique Ecclesiae latinae aut Orientalis episcopi sedent ; *particularia* sunt plenaria aut provincialia.

Universalia totam Ecclesiam repraesentant ; eadem sunt formaliter *oecumenica*, si cum R. Pontifice uniuntur.

II. de potestate r. pontificis in concilium

302. - Ad R. Pontificem pertinet Concilium oecumenicum convocare, in omnibus negotiis dirigere, transferre, suspendere, dissolvere (**c. 222**). Morte R. Pontificis Concilium ipso iure intermittitur (**c. 229**).

Haec e primatu iurisdictionis S. Pontificis sequuntur ; qui solus et independenter ab omni episcoporum *coetu* Ecclesiam regere et omne iurisdictionis episcopalis *exercitium* moderari potest.

Convocatio materialis, i. e. invitatio vel iussio episcopis data ut simul conveniant a R. Pontifice non necessario proficiscitur ; nullam tamen vim iuridicam habet, nisi tacite vel expresse confirmetur, ita ut synodus *iuridice* nisi R. Pontificis auctoritate non constituatur. Distinguendum est quoque inter *praesidentiam* iurisdictionis et praesidentiam honoris. Hanc alius atque R. Pontifex obtinere potest.

Interruptio Concilii, mortuo R. Pontifice, est cautio disciplinaris, non necessitas e defectu potestatis fluens, etsi decreta a novo Pontifice confirmanda sunt.

III. de constitutione concilii (1)

303. - 1. *Iure vocantur* et suffragium *deliberativum* obtinent *omnes*

(1) De deliberationibus e quibus normae nunc definitae ortae sunt, cf. Granderath-Kirsch, S. I., *Geschichte des Vatikanischen Konzils*, I, II.

Cardinales, Patriarchae, Primates, episcopi residentiales, etiam nondum consecrati, Abbates vel Praelati *nullius*, Abbates Superiores Congregationum monasticarum ac supremi Moderatores religionum clericalium exemptarum (**c. 223**, § 1).

Praeter Cardinales, qua tales, omnes isti sunt *Ordinarii* cum *propria* iurisdictione.

Soli episcopi *residentiales* vi *muneris* ius strictum ad convocationem habent ; sunt enim proprii iudices fidei et Superiores ordinarii fidelium.

2. Nisi decretum convocationis aliud ferat, suffragium *deliberativum* non habent supremi Moderatores religionum clericalium non exemptarum ; habent vero episcopi titulares, qui vocati fuerint (c. 223, §§ 1 et 2).

Superiores supremi religionum clericalium exemptarum iura maiora quam episcopi titulares accipiunt, quia illi Superiores iurisdictionem ordinariam in foro externo satis amplam, episcopi titulares nullam actu obtinent et exercent. Votum autem deliberativum in Concilio ferre est actus iurisdictionis.

In Conc. Vaticano, commissio centralis unanimis censuit decere ut *omnes* episcopi convocarentur (Sess. 14 maii 1869). Canon 223, § 1, 3° et 4° conformis est sententiae commissionis Concilii, etsi convocationem quoque Abbatum monasteriorum sui iuris multi cuperent.

3. Assistunt cum *consultivo* suffragio theologi et canonistae qui vocati fuerint (c. 223, § 3).

4. Procurator quem Patres absentes mittere debent, si fuerit unus e Patribus Concilii, suffragium habet *unicum*, secus nullum. Sessionibus interest et acta Concilii subsignat (**c. 224**).

R. Pontifex procuratoribus eam iurisdictionem concedere potest, quam episcopi delegare nequeunt, idque in veteribus Conciliis saepe fecit.

IV. DE POTESTATE SINGULORUM PATRUM

304. - 1. Patres convocati venire debent neque ante absolutum Concilium proficisci possunt, quin a Praeside id probatum fuerit (**c. 225**).

2. Patres possunt proprias quaestiones, quas praeses Concilii probaverit, deliberationi subicere (**c. 226**).

V. DE POTESTATE CONCILII

305. - 1. Potestas Concilii oecumenici est suprema et universalis, iurisdictioni tamen R. Pontificis ita subordinata ut : 1° a R. Pontifice ad Concilium appellatio invalida sit et sub gravi poena prohibeatur (**cc. 228**, § 2 ; 2332) ;

2° Decreta Concilii vim definitivam obligandi non habeant, nisi a R. Pontifice fuerint confirmata et eius iussu promulgata (**c. 227**).

Confirmatio sensu stricto est corroboratio essentialis actus iuridici qui vim legalem incompletam habet. Episcopi, etsi in Concilium coadunati, tamquam veri Superiores et iudices, de fide, de moribus et de disciplina iudicent et decernant, non infallibiliter definiunt et firmiter pro universa Ecclesia decernunt, nisi R. Pontifex eorum decreta auctoritate sua suprema corroboraverit.

Confirmatio non necessario danda est *expresse* et *subsequenter* ad Concilium; sufficit per se *antecedens* per mandatum *speciale* (sc. de propositione definienda), aut *subsequens tacita*.

Promulgatio, quolibet modo facta iussu R. Pontificis, vim obligandi decretis statim confert, nisi disciplinaribus decretis vacatio c. 9 applicanda sit.

Caput III. - De S. R. E. Cardinalibus

(cc. 230-241)

Scriptores : Wernz, II, nn. 619, ss. — Augustine, *A Commentary*, II, in h. cc. — Blat, *Commentarium*, II, in h. cc. — De Meester. *Compendium*, II, 553, ss. — Toso, *Commentaria minora*, II, in h. cc. — Wernz-Vidal, S. I., *Ius canonicum*, II, 464-479.

306. - **Ordo materiae.** Proposita notione officii Cardinalium (c. 230) et S. Collegii (c. 231), Codex exponit normas creationis Cardinalium (cc. 232-235), et optionis sedis, tituli, diaconiae (cc. 236, 237); dein obligationem residentiae (c. 238); tandem privilegia praecipua (c. 239) et iura quaedam Cardinalium (cc. 240, 241).

307. - Cardinales sunt presbyteri vel episcopi a R. Pontifice libere electi, ut ipsum in regimine Ecclesiae suis consiliis et opere praecipue adiuvent (**c. 230**) (1).

Cardinalis in primis Ecclesiae saeculis dicebatur sacerdos vel diaconus inscriptus in albo cuiusdam ecclesiae (*cardo*), idemque sonabat atque incardinatus. A saec. VIII° nomen clericis ecclesiae principali seu episcopali incardinatis reservatum est. In ecclesia romana, cardinales dicti sunt : 1° *diaconi* in septem Urbis regionibus pauperum curae, dein ipsi regionis ecclesiae praepositi (*regionarii*), quorum numerus ad 18 crevit et a Sixto V ad 14 est reductus ; 2° *presbyteri* modo stabiliore principalibus Urbis ecclesiis (*titulis*) annexi seu praepositi ; in vicinas ecclesias potestatem aliquam exercebant ; 3° episcopi *suburbicarii*, cum saepius quam alii in consilium a R. Pontifice vocarentur.

Cardinales ecclesiae romanae tum ob basilicae Lateranensis, cui incardinabantur, praecedentiam, tum praesertim ob partes ipsis in electione R. Pontificis concessas, prae Cardinalibus aliarum ecclesiarum satis cito eminuerunt. S. Pius V (Const. 17 febr. 1568) primum suis consiliariis nomen istud exclusive reservavit.

308. - 1. S. Collegium constat 6 Cardinalibus ordinis episcopalis, 50 ordinis presbyteralis, 14 ordinis diaconalis (**c. 231**)

Episcopi residentiales (extra Urbem) Cardinales presbyteri fiunt ; presbyteri solent ab initio creari Cardinales ordinis diaconalis.

---

(1) D. Th., vv. Cardinal. Curie romaine. — CE. vv. Cardinal. Consistory. — KL, v° Cardinal.

Cardinales episcopi septem dioeceses suburbicarias gubernant : Ostiensem, Veliternam, Albanensem, Portuensem et S. Rufinae seu Silvae candidae, Sabinensem, Praenestinam, Tusculanam. — Dioecesis Ostiensis semper cum dioecesi Cardinalis Decani coniungitur (1).

Cardinales presbyteri *titulum* et diaconi *diaconiam* accipiunt, i. e. ipsis assignatur una ex Urbis ecclesiis, quibus olim presbyteri S. Pontificis coadiutores vel diaconi regionarii praeerant. Exstant septem dioeceses suburbicariae, 51 vel 54 tituli presbyterales, 16 diaconiae. — Numerus septuagenarius a Sixto V (1586) constitutus raro completur.

Cardinales Curiae dicuntur qui in Alma Urbe degunt, ita ut apud Curiam pontificiam maneant. Alii in suo beneficio resident. Episcopi dioecesium suburbicariarum sunt Cardinales Curiae.

2. S. Consistorium est conventus totius Collegii Cardinalium, in Curia praesentium, coram R. Pontifice ad consultationem vel definitionem gravium quorundam negotiorum vel actus maxime sollemnes peragendos (cf. Wernz, I, n. 656).

Ordinarium seu *secretum* solis Cardinalibus constat ; pluries in anno, sed non statis temporibus habetur, in eoque fiunt creationes Cardinalium, provisiones sedium episcopalium, negotia quae consistorialia officia spectant, allocutiones de gravioribus negotiis, etc.

Extraordinarium seu *publicum* ad extraordinarias quasdam sollemnitates peragendas convocatur, ex. g. traditionem galeri Cardinalibus novis. Ad illud admittuntur, praeter Cardinales, alii Praelati, principes vel legati civiles, etc.

Consistorium *semi-publicum*, ad quod, praeter Cardinales, Patriarchae, episcopi et abbates admissi sunt, refertur v. g. in AAS, XII, 1920, 220. Actum est in eo de triplici canonizatione celebranda.

309. - *De creatione Cardinalium.*

Promotio ad dignitatem cardinaliciam his actibus perficitur : electione a R. Pontifice, creatione, publicatione nominis, traditione bireti rubri et impositione galeri.

1. *Eliguntur* libere a R. Pontifice episcopi vel presbyteri, *legitimi* (non legitimati), ab omni irregularitate vel ordinum impedimento immunes, qui nec prolem nec nepotem (ex prole) e matrimonio etiam legitimo habeant, neque sint ulli Cardinali coniuncti consanguinitate in primo vel secundo gradu (**c. 232**).

Dispensatio data ab irregularitate, etiam ad dignitates, pro Cardinalis dignitate non valet. — Ab impedimento consanguinitatis R. Pontifex interdum dispensat. — Ante Codicem, presbyteratus non erat qualitas requisita.

2. *Creatio* Cardinalis est actus quo S. Pontifex clericum ad hanc dignitatem evehit. Plerumque nomen statim cum Cardinalibus in consistorio secreto communicatur ; interdum a S. Pontifice non publicatur, sed in pectore (*in petto*) reservatur. Iura et privilegia a die publicationis, ius praecedentiae a die creationis initium habent (**c. 233**).

(1) Pius X, Motu pr. *Edita a nobis*, 15 maii 1914. AAS, VI, 1914, 219.

Si S. Pontifex, electi nomine non publicato, moriatur, omne ius e secreta electione amittitur.

3. Traditio *bireti* rubri paucis post nominis publicationem diebus in parvo consessu fieri solet. Cardinalis absens biretum plerumque per clericum a R. Pontifice deputatum accipit ; sed in receptione « debet... iurare se intra annum, nisi legitimo detineatur impedimento, S. Pontificem aditurum » (**c. 234**).

4. Vacatio dignitatum, beneficiorum, etc. quae promotione ad sacram purpuram per se produci dicitur, re vera Ordinariis eorum qui promoventur, non applicatur (cf. **c. 235**).

310. - 1. Singulis Cardinalibus *titulus* vel *diaconia* paulo post promotionem assignatur. Ad alium titulum vacantem iure optionis transire possunt, sc. Cardinalis qui a decem annis titulum diaconalem habet potest presbyteralem optare ; Cardinales presbyteri alium titulum presbyteralem ; Cardinalis Curiae presbyter vacantem sedem suburbicariam. Cardinales episcopi iam optare nequeunt, sed qui Decanus fit, dioecesim suam cum Ostiensi cumulat (cf. **c. 236**) (1).

2. Cardinalis Decanus dicitur qui promotione ad aliquam sedem suburbicariam antiquior est ; est primus inter pares, sine ulla in alios iurisdictione ; ei succedit ipso iure subdecanus (**c. 237**).

311. - Cardinales lege *residentiae* in Curia tenentur, nisi episcopi dioecesis non suburbicariae sint. Isti tamen, si Romam venerint, S. Pontificem adire debent, neque ab Urbe sine eius licentia abire possunt (**c. 238**).

312. - Inter maxima privilegia quibus fruuntur, praecipue recensenda sunt : potestas audiendi ubique *confessiones quorumlibet* fidelium ; *eligendi* sibi suisque familiaribus *confessarium*, qui ipso facto iurisdictionem, si careat, obtinet ad omnes casus non specialissime reservatos ; celebrandi et permittendi ut coram se unica missa celebretur, ubicumque degant, super aram portatilem ; — *consecrandi* altaria et ecclesias ; — erigendi Viam Crucis unica benedictione quattuordecim crucium lignearum (i. e. unico crucis signo) (2) ; — conferendi tonsuram et *ordines minores* iis qui dimissorias a proprio Ordinario habent ; — ministrandi sacramentum *confirmationis* ; — *fidem faciendi* in foro externo, de oraculo S. Pontificis testantes ; — libere disponendi de reditibus beneficii, etiam per testamentum, etc. (**c. 239**, § 1).

(1) Cf. Pius X, Motu proprio supra citato.

(2) Textus nihil per se ultra requirit, dum c. 349, § 1, 1° observatio ritus explicite exigitur.

Cardinali *Decano* competit privilegium ordinandi et consecrandi electum Pontificem, si ordinatione vel consecratione indigeat (c. 239, § 2).

313. - 1. Cardinales *episcopi* iurisdictionem episcopalem ordinariam habent. *Ceteri* in suis titulis vel diaconiis nullam obtinent in fideles iurisdictionem. Sed in iis omnia iura pontificalia habent et potestatem domesticam, cuius obiectum est servitium ecclesiae circa disciplinam ecclesiasticam et morum correctionem (**c. 240**).

2. Sede vacante, potestas Cardinalium definitur C. *Vacante Sede Apostolica*, 25 dec. 1904 (**c. 241**). Cf. infra, n. 344.

Caput IV. - De Curia romana

(cc. 242-264)

Scriptores : Monin, A., *De curia romana*, Lovanii, 1912. — Ojetti, B., *De romana curia*, Romae, 1910. — Augustine, *A commentary*, in h. cc. — Blat, *Commentarium*, in h. cc. — De Meester, *Compendium*, II, n. 568, ss. — Toso, *Commentaria minora*, II, in h. cc. — Wernz-Vidal, S. I., *Ius canonicum*, II, n. 480-507.

314. - **Ordo materiae.** Post introductionem de Curiae romanae natura (c. 242) et generalibus quibusdam normis (cc. 243-245), Codex tribus articulis de SS. Congregationibus (cc. 246-257), de Tribunalibus (cc. 258. 259) et de Officiis Curiae Romanae (cc. 260-264) agit.

Hunc ordinem sequentes, praepositis in introductione notionibus generalibus de Curia romana (nn. 315-319), agemus in art. I de SS. Congregationibus in genere (nn. 320-322) et in specie (nn. 323-334) ; in art. II de S. Paenitentiaria, remissis aliis Tribunalibus ad lib. IV (nn. 335. 336) ; in art. III de officiis Curiae romanae (nn. 337-343) ; tandem in art. IV praecipuas normas de Curia romana, Sede vacante, ex C. *Vacante Sede Apostolica* depromptas, subiciemus (n. 344).

INTRODUCTIO. NOTIONES GENERALES

315. - I. **Definitio.** Curia romana complexum designat institutorum quae adsunt R. Pontifici in exercenda sua iurisdictione et potestate universali, seu SS. Congregationes, Tribunalia et officia (**c. 242**).

Quatenus unam efficiunt cum Supremo Pastore personam, communi *Sanctae Sedis* nomine vocantur. **Aula pontificia** vero eas administrationes complectitur quae S. Pontifici competunt quatenus est princeps temporalis ; et **Vicariatus Urbis** tum Cardinalem significat, qui, qua Vicarius episcopi romani, dioecesim romanam administrat, tum varias personas et officia quae dioecesanam Urbis curiam componunt (cf. c. 328) (1).

316. - II. *Notae historicae.*

RR. Pontifices, ut plurimas quaestiones sibi, praesertim a S. IV°, propositas solverent, eo adducti sunt ut sibi coadiutores asciscerent,

---

(1) D. Ap. v° Congrégations. — CE., vv. Roman Congregations. Roman Curia.

Distinguuntur in historia Curiae romanae tres aetates, sc. presbyterii et conciliorum, consistoriorum, SS. Congregationum.

Primis enim saeculis, praeter quaestiones dogmaticas, difficultates quoque disciplinares in Conciliis dirimebantur. Quoties autem negotia minoris erant momenti vel coadunari episcopi non poterant, R. Pontifex consiliis utebatur sui presbyterii.

Postquam, circa saec. XII, rarius Concilia romana habita sunt et Cardinalium auctoritas, praesertim decreto Nicolai II (a. 1059) aucta est, isti facti sunt in consistoriis regulariter habitis stabiles S. Pontificis consiliarii. Mox ad negotia difficiliora vel regularia expedienda, particulares commissiones Cardinalium, sive temporariae sive permanentes, sunt institutae, ut saec. XIV° S. Paenitentiaria, S. Rota, etc.

Sixtus V, cum quasdam Congregationes confirmaverit, alias instituerit, vel fines competentiae accurate definiverit, SS. Congregationum conditor merito habetur (C. *Immensa*, 22 ian. 1588).

Tandem a Pio X, C. *Sapienti consilio* (29 iun. 1908), Curia romana ita reformata est, ut sua cuique dicasterio negotia accuratius definirentur et Congregationibus ea tantum reservarentur quae in linea *disciplinari* dirimenda sunt, omnibus *iudiciis* ad tribunalia amandatis. Excipe S. Officium, quod simul Congregatio et tribunal est. Quod spectat ad disciplinam et regulas in negotiis servandas, ad Normas generales et speciales, quae huic Constitutioni erant annexae remittimur (**c. 243**) (1).

Quae Benedictus XV circa Curiam romanam innovavit in Codicem relata sunt. Hoc tamen iam edito, Motu proprio *Cum iuris canonici* (15 sept. 1917), constituta est Commissio cuius est novum ius authentice interpretari et perficere (Cf. supra nn. 39. 40).

317. - III. Divisio ex competentia singulorum officiorum oritur. Competentia est ambitus iurisdictionis. Determinatur territorio, materia, personis subditis, qualitate iurisdictionis.

1. *Ratione territorii.* Distinctio opportune fit inter regiones iuris communis et terras missionum, in quibus hierarchia nondum est constituta vel aliquid mere inchoatum habet.

Competentes sunt S. C. *Consistorialis*, S. C. *Concilii*, C. *de Seminariis et Universitatibus studiorum* in solis territoriis iuris communis ; S. C. *de Prop. Fide* in solis terris missionum ; S. C. *de Sacramentis* ubique pro matrimoniis, secus in solis regionibus iuris communis ; aliae Congregationes ubique sunt competentes, sicut et tribunalia.

2. *Ratione materiae.* Dicasteria, si paucissimos casus demas, omni iurisdictione cumulativa sunt privata, ut unitati disciplinae consuleretur.

(1) Cf. AAS, I, 1909, 7, ss. — *N. R. Th.*, 1908, 546. *Per.* IV, 222.

3. *Ratione personarum.* Salva competentia S. Officii, religiosi, qua tales, a sola S. C. *de Religiosis* pendent; missionarii, qua tales, a S. C. *de Prop. Fide*; Orientales a S. C. *pro Ecclesia orientali.* Ad S. C. *Concilii* spectat « universa disciplina cleri *saecularis* populique christiani »

Aliarum Congregationum, Tribunalium et Officiorum competentia statu personarum per se non determinatur. Cf. infra n. 324.

4. *Ratione naturae potestatis.* Iuxta C. *Sapienti consilio,* distinguuntur Congregationes, Tribunalia et Officia pro modo quo potestatem exercent.

Numerantur undecim Congregationes (quibus addenda est R. Fabrica S. Petri), tria Tribunalia et quinque Officia. — Verbum *Officium,* lato sensu, omnes illos coetus designat: item *dicasterium.*

Congregationes instructionibus et decretis potestatem exsecutivam et, accedente saltem mandato R. P., legislativam, negotiis modo oeconomico dirimendis et gratiarum concessione potestatem administrativam exercent, extraordinarie tamen, ex commissione S. Pontificis, causas iudicialiter cognoscunt. — *Tribunalibus* reservantur causae quae, sive ex voluntate partium sive ex rei natura, aut ex decisione S. Congregationis, servato *ordine iudiciali* dirimendae sunt. — *Officia* ministerialem tantum potestatem obtinent, etsi quaedam iurisdictio gratiosa Datariae apostolicae et secundae sectioni Secretariae Status conceditur.

5. *Controversiae* de competentia dirimuntur a speciali Cardinalium coetu, quos S. Pontifex singulis vicibus designaverit (**c. 245**).

Exemplum habes in dubiis solutis decr. 7 dec. 1922. AAS, XV, 1923, 39 (1).

218. - 1. Normae agendi a S. Pontifice praestituuntur (**c. 243**, § 1).

Reperiuntur in documentis Constitutioni *Sapienti consilio* annexis, sc. *Ordo servandus* in SS. Congregationibus, etc. et *Normae communes* omnibus dicasteriis et *peculiares* singulis, *Lex propria* S. Rotae R. et Signaturae Apostolicae (Cf. AAS, I, 1909). Addenda sunt pauca decreta de eadem materia.

2. Omnes qui ad Curiam romanam pertinent, lege tenentur secreti, quae varii est rigoris, at severissima in S. Officio et Secretaria Status (c. 243, § 2).

3. Quidquid *grave* et *extraordinarium* agitur, prius S. Pontifici significandum est (**c. 244**, § 1).

Exceptis negotiis pro quibus *speciales* facultates moderatoribus dicasteriorum concessae sunt et sententiis S. Rotae et Signaturae Apostolicae, omnes gratiae ac resolutiones indigent *approbatione* S. Pontificis (c. 244, § 2).

219. - *De modo adeundi S. Sedis officia.*

1. Omnibus *fidelibus* licet apud singula officia de rebus suis directe,

(1) *Per.* XII, 43.

verbo vel scripto, tractare. Sed privatis opportunum erit uti ope sui Ordinarii, nisi ipsi vel eorum procurator personaliter noti sint.

Ordinariis consulitur ut sibi constituant procuratorem publicum, cuius ope res suas et suae dioecesis tractent. Monito tamen officio S. Sedis, possunt negotia quaelibet directe per se agere. — Omnes *religiones virorum* iuris pontificii suum debent habere procuratorem. Congregationes *mulierum* ope Ordinarii loci vel Cardinalis protectoris negotia sua ad S. Sedem deferre solent.

2. Etsi usus latini sermonis suadetur, admittuntur linguae italica et gallica; aliae, occasione data, tolerantur, praesertim apud S. Paenitentiariam.

3. Libelli supplices ad SS. Congregationes directi, mittantur ad Cardinalem Praefectum Congregationis.

SS. Congregationes pleraeque sedem habent in « Palazzo della Cancellaria » ; S. Officium et S. Paenitentiaria in « Palazzo del S. Uffizio » ; S. Rota in « Palazzo della Dataria ». — Rescripta SS. Congregationum generatim in ipso earum officio deponuntur, atque ab *agente* vel ab eo qui preces porrexit quaeruntur. Secus, saltem a SS. CC. *Concilii* et *de Religiosis* ad oratores mittuntur.

4. *Taxae.*

In adversa rescripti parte indicantur summae variae pecuniae, quae ob gratiae concessionem, negotii gestionem aut exsecutionem et agentiam saepe solvendae sunt.

Taxa S. Congregationi debetur. — A pauperibus taxa non exigitur, nisi dimidia; immo saepe est nulla. — Error circa statum oratorum vel omisso solutionis validitati rescripti iam non officiunt. S. Paenitentiaria in sola sectione de indulgentiis taxas postulat. S. C. de P. F. rescripta gratis obtinet et communicat.

Expensae sunt summae quae pro tabellariorum opera, transcriptionibus documentorum, etc. solvendae sunt. *Procuratio* seu *agentia* est pecunia procuratori seu agenti solvenda. Determinatur in regulis in sacra Curia servandis. — *Exsecutio* indicat summam quam exsecutor petere potest.

Art. 1. - De sacris Congregationibus

§ 1. DE SS. CONGREGATIONIBUS IN GENERE

320. - Congregationes definiri possunt « collegia minora Cardinalium per R. Pontificem instituta, ad certa negotia ecclesiastica discutienda et per vota maiora, ordinarie etiam decisiva, definienda » (WERNZ, II, 652).

Constituuntur esentialiter Em. Cardinalibus, quorum unus praeest, qua Praefectus. Paucis tamen praeest ipse S. Pontifex ; quo casu Cardinalis Secretarius Congregationem moderatur. Ad S. Congregationem pertinent deinde Secretarius (vel assessor, si Secretarius est Cardinalis) et unus vel plures Subsecretarii, tamquam Officiales maiores ; Consultores et Officiales minores (**c. 246**).

Congressus vocatur commissio constans Praeside et saltem maioribus Officialibus. Parat negotia tractanda et faciliora ipse dirimit. Opponitur *plenae* Congregationi, quam soli Cardinales componunt et cui ex officialibus solus interest secretarius.

321. - *Potestas.*

1. In provincia sibi concredita, Congregationes faciunt **decreta generalia** et instructiones, quae, quamvis supremum exercitium potestatis legiferae non contineant, obligant tamen, quantum praecipiunt, per modum legis, illos ad quos diriguntur. Haec, tamquam graviora, approbanda sunt a S. Pontifice (1). De vi instructionum, cf. n. 104.

2. Authenticas dant interpretationes in materia sibi subiecta, sive per decreta generalia sive per rescripta, sive per sententias in causis propositis.

Rescripta et sententiae, in rebus definitis, obligant personas pro quibus data sunt ; prudenter applicata praebent omnibus securam agendi normam, vim tamen legis non habent (c. 17, § 3). Quare, per se, alias personas vel alios casus non afficiunt, nec probabilitatem opinionis diversae tollunt. Ac sedulo observandum est utrum necne dependenter a quibusdam adiunctis data sint. Facile tamen, sive ex repetita declaratione sive ex consensu peritorum qui, rem denuo perpendentes, datae interpretationi adhaeserunt, declarationes independenter ab adiunctis inducunt consuetudinem per coniventiam, quae obligat. Sententiae approbatione R. Pontificis indigent.

Insertio autem in Commentarium officiale AAS, efficit : *a*) ut de eis authentice constet ; *b*) ut iuridice promulgentur quando sunt formaliter vel virtualiter generalia. Per se itaque rescripta in leges non convertit. Sed cum omnis mentio eorum, quibus rescriptum datum est, omittitur, interpretatio authentica omnibus proponi ac proin imponi videtur. Minus definitiva videntur quae non inseruntur.

Decreta autem doctrinalia in materia fidei vel morum, quamquam *secundum se*, non sunt infallibilia, tantae tamen sunt auctoritatis ut, servata semper distinctione responsi particularis et generalis, obligemur non solum ad non contradicendum externe, sed etiam ad praestandum assensum internum, qui a plerisque sine temeritate negari non potest. Obligatio oritur ex ipsa virtute fidei vel virtute morali ad quam res spectat (Cf. Wernz, I, n. 143, nota 47 ; Lehmkuhl, I, nn. 300 et 429).

Patet demum, mandato vel specifica Pontificis approbatione, fieri posse ut decreta S. Congregationis evadant verae et proprie dictae leges universales.

3. Dirimunt controversias et negotia expediunt via administrativa.

4. **Dispensationes et gratias largiuntur** in materia sibi subiecta, sive ex Pontificis *approbatione* vel etiam *mandato* (ex audientia SSmi) sive ex specialibus facultatibus sibi commissis.

322. - 1. *De modo respondendi* (2).

Responsa variis formulis proponuntur, quarum paucae explicandae sunt.

---

(1) Competentia ista tacite affirmatur a Benedicto XV, Motu proprio *Cum iuris canonici*, 15 sept. 1917 (AAS, IX, 1917, 484. — *Per.* IX, 16).

(2) Cf. D. Th., v° Clauses apostoliques.

Provisum in I, II : i. e. ex responso ad I, II, patet responsum ad dubium sequens vel hoc fit inutile. — *Ad mentem :* Secretario committitur munus respondendi iuxta sensum R. Pontificis vel Cardinalium, qui rem stricto iure nolunt dirimere. — *Affirmative* (vel negative) *et ad mentem :* temperatur sic vis affirmativa (vel negativa). Quandoque additur : *et mens est :* tunc datur sensus sententiae. — Si concessum est novum examen rei, per verba : *in decisis, recedendum a decisis*, indicatur prius responsum idem manere aut mutari. — *Et amplius* (sc. ne proponatur) significat R. Pontificem vel Patres unanimi sententia omnem instantiam repellere. — Responsum differtur, etiam ad tempus infinitum, per verba : *Dilata, Ad acta, Reponatur.* — *Lectum :* libellus non admittitur. — *Facto verbo cum SS°* i. e. in dubio de potestate Congregationis, responsum totam suam vim etiam ab approbatione S. Pontificis mutuatur.

2. *De novo recursu.*

Cum a sententia Congregationum non detur appellatio, intra decem dies post sententiam latam postulandum est beneficium novae audientiae, quam Praefectus, audito Congressu, concedere potest, nisi priori sententiae additum sit : *Et amplius,* quo casu a plena tantum Congregatione conceditur.

§ 2. DE SS. CONGREGATIONIBUS IN SPECIE

Iuxta ordinem Codicis, proponuntur breviter constitutio et competentia singularum Congregationum.

323. - 1. *S. Congregatio* S. Officii, quae ante constitutionem *Sapienti Consilio* (29 iun. 1908), plenius appellabatur *Sacrae Romanae et universalis inquisitionis,* est *suprema* ; habet tamquam Praefectum S. Pontificem **(c. 247, § 1).**

Praeter Secretarium, assessorem, commissarium O. P. et minores administros, consultoribus utitur inter quos semper sunt Magister generalis O. P., Magister S. Palatii, O. P., et unus ex O. Min. Conventualium. Habet quoque qualificatores (sc. propositionum). Quidam Cardinales iure membra sunt S. Officii v. g. Praef. S. Congr. de Semin.

Magister S. Palatii est quasi theologus ipsius S. Pontificis, cui olim doctrinae sacrae propositio in S. Palatio committebatur. *Qualificatores* vero gradum veritatis vel erroris propositionum vel librorum qui S. Officio subiciuntur, determinant.

2. « Tutatur doctrinam fidei et morum » (c. 247, § 1).

Ex hoc competentiae principio, negotia quae a S. Officio pendent facile definiuntur ; ieiunium eucharisticum sacerdotis celebrantis ad istam Congregationem devolutum fuisse dicunt alii quia ex apostolica traditione institutum fuerit (id a plerisque negatur ; cf. VERMEERSCH, *Theol. mor.*, III, ad n. 316, p. 759), alii quia sacrilegium violati huius ieiunii ita grave est, ut suspicionem haeresis iniciat (cf. Toso, *l. c.*, in h. c., p. 54). Quare ad S. Officium pertinent :

1° Dubia quaelibet doctrinalia de fide et moribus.

Iudicat v. g. de revelationibus, de cultu, de indulgentiis, de ministro, materia et forma sacramentorum, etc.

2° Omnes causae criminales de haeresi vel de delictis, quae ob specialem malitiam, suspicionem de haeresi inducunt, v. g. sollicitatio ad turpia occasione confessionis, absolutio complicis, etc.

Hae causae ad hanc Congregationem directe quoque deferri possunt, etsi Ordinariis locorum saepius primo subiciuntur.

3° Quidquid « sive directe sive indirecte, in iure aut in facto, circa privilegium... Paulinum » seu fidei, « et matrimonii impedimenta disparitatis cultus et mixtae religionis versantur » (c. 247, § 3).

Ad normam resp. *S. O.*, 18-27 ian. 1928, verba can. 247, § 3 latam quandam interpretationem admittunt. Etenim S. O. affirmat ad se pertinere *omnes* causas mixti matrimonii quae *ad S. S.* deferuntur, salvo praescripto c. 1557, § 1, 2°. Quare solus personarum status consideratur, et si pars fuerit acatholica, etiamsi causa cum mixta religione nihil commune habeat, v. g. consanguinitas, S. O. suam exclusivam competentiam affirmat. Quam interpretationem a cl. Arendt in *Ius pont.* 1927, 120 in antecessum defensam, impugnat Hilling in *Arch. f. k. KR.* 1928, 537. — Cf. *Epitome*, III, n. 279, 3.

4° Inquisitio et iudicium de libris haereticis suspectis, pravis; dispensationes ad legendos libros prohibitos (c. 247, § 4).

Haec ad S. Congr. Indicis pertinebant, quae a Benedicto XV suppressa est (Motu proprio *Alloquentes*, 25 mart. 1917); eius negotia gerit specialis sectio de Indice in S. Officio constituta (2). Decreta damnationis orientales quoque obligant (3).

3. S. Officium « suo more institutoque procedit sibique propriam consuetudinem retinet » (c. 1555).

Ad negotia paranda habetur f. II consultatio consultorum, praeside Assessore; fer. IV congregatio Cardinalium negotia discutit et dirimit; sollemniori Congregationi f. V. (coram Ssmo) plerumque substituitur audientia Assessori concessa, in qua S. Pontifex decisiones approbat aut mutat.

De secreto S. Officii. Secretum de negotiis a S. Officio tractandis artissimum est tum extensione tum sanctionibus. — Servandum est ab *omnibus* Officialibus S. Officii et ab iis quibus imponitur, cum negotia in S. Congregatione tractanda aut tractata communicantur. Eius violatio punitur excommunicatione; ita R. Pontifici reservata est, ut ne Maior Paenitentiarius quidem reum extra mortis articulum ab ea absolvere possit.

Definitur in decretis Clementis XI (1 dec. 1709) et praesertim Clementis XIII (1 febr. 1759); coll. Pii X Motu proprio *Romani Pontifices* (17 dec. 1903); quae cc. 239, § 1, 1° et 243, § 2 procul dubio *implicite* continentur.

324. - 1. S. Congregatio Consistorialis (c. 248) praesidem habet S. Pontificem. Quia electio episcoporum tutelae fidei et morum saepe multum interest et rectae cleri institutionis, cum praeterea extra Italiam istud negotium sine interventu Secretariae Status saepe non perficiatur, ad hanc S. C. pertinent tamquam socii vel consultores nonnulli

(1) AAS. XX, 1928, 75. — *NRTh.*, 1928, 448.
(2) AAS, IX, 1917, 167. — *Per.* VIII. 113.
(3) *S. C. pro Eccl. Or.*, Decl. 26 maii 1928. — *AAS*, XX, 1928, 195. — *Per.*, XVII, 130.

ıdministri et consultores S. Officii, S. C. de Seminariis et Universi-atibus studiorum et Secretariae Status.

In S. C. Consistoriali exstat sectio de cura spirituali emigrantium (1), ui cura incumbit emigrantium ritus latini ; ipsa instructiones vel lecreta condit de sacerdotibus qui emigrantes comitentur aut ipsi, raesertim in Americam, migrantur vel immo itinerantur.

2. Parat agenda in Consistoriis, et, extra loca S. C. *de Prop. Fide* ubiecta, omnia regit quae pertinent ad constitutionem, divisionem, onservationem et statum dioecesium, et regimen episcoporum vel uasi-episcoporum, constitutionem Capitulorum tum cathedralium, tum ollegialium. Quae nominationem episcoporum respiciunt, secreto S. O. teguntur.

Ipsi subiciuntur relationes quinquennales ab episcopis S. Limina visitantibus llatae ; indictio et examen visitationum apostolicarum ; examen causae suffi-ientis ut Metropolita suffraganeo circa visitationem negligenti suppleat ; aliena-iones bonorum quae ad mensam episcopalem pertinent (2), etc.

Sublata est ab ea competentia circa regimen et administrationem Semina-iorum, quam post decretum Benedicti XV, 4 nov. 1915 (3) servabat ; item uctoritas ad solvenda dubia de competentia in Curia (c. 245).

325. - 1. *S. Congregatio* de disciplina sacramentorum, numero et fficultate negotiorum, locum fere primum obtinet. — In tres *sectiones* ividitur quae petitiones omnes circa impedimenta matrimonii, alia egotia matrimonialia, negotia circa alia sacramenta tractant. Singulis ectionibus praeest specialis officialis sub unico Subsecretario.

2. Curat leges de *disciplina* omnium sacramentorum. Quare ad ipsam pectant causae de validitate matrimonii vel sacrae ordinationis, etiam ro religiosis, si tractantur non servato ordine iudiciario, dispensa-iones super impedimentis matrimonii et qualitatibus ordinandorum el ordinantis. Nisi causam ad S. Rotam remittere velit, exclusive ognoscit de non consummatione matrimonii et de causis dispen-andi super rato. Dispensat in ieiunio eucharistico pro communione, on tamen religiosos. S. Officio manent sua iura supra definita, v. g. uae spectant ad *doctrinam* et principia de sacramentis ; quae propius d caerimonias seu *ritus* non essentiales pertinent, reservantur S. *Ri-uum* Congregationi (c. 249).

Nota textum c. 249 dirimere quaestionem inter commentatores Constitutio-is *Sapienti Consilio* in utramque partem controversam, utrum nempe omnes ausae de validitate matrimonii iudicialiter tractandae sint necne. Huiusmodi rocedendi modum requirunt « quoties accuratiorem disquisitionem aut investi-ationem exigunt », quo casu ad tribunal competens remittendae sunt. Cf. quoque 1990 (4).

(1) Motu propr. *Cum omnes*, 15 aug. 1912. AAS, IV, 1912, 526.
(2) Resp. *Com. spec. Cardin.*, 7 dec. 1922. AAS, XV, 1923, 39. — *Per.* XII, 42.
(3) AAS, VII, 1917, 493. — *Per.* VIII, 128.
(4) Monin, A., *De Curia romana*, p. 248, ss.

326. - 1. *S. Congregatio* Concilii, quae post C. *Sapienti consilio* sollemnius nomen S. C. *Cardinalium S. Concilii interpretum* amisit, universae disciplinae cleri saecularis populique christiani praeficitur.

Huic S. Congregationi annectitur « *Studio* » seu schola practica, ad quam admittuntur peritissimi sacerdotes, saltem in iure canonico lauream consecuti, ut ad negotia tractanda per triennium informentur. Suppressum C. *Sapienti consilio* (1908), d. 11 nov. 1919 restitutum est (1).

Motu proprio *Orbem catholicum*, 29 iun. 1923 (2) institutum est apud S. C. C. peculiare *Officium* ad urgendam toto orbe terrarum obtemperationem legibus S. Sedis de populo christianae doctrinae praeceptis erudiendo.

2. Haec S. Congregatio omnia, excepto ieiunio eucharistico, curat quae spectant ad praecepta Ecclesiae, missarum stipendia et obligationes, legata pia, occupationem bonorum ecclesiasticorum, beneficia, officia atque etiam sodalicia, exclusis tertiis Ordinibus. Salvo iure SS. CC. *de Religiosis* et *Caerimonialis*, solvit controversias de praecedentia, quaestiones de immunitate ecclesiastica, etc.

Ad compositionem admittit illos qui occuparunt bona ecclesiastica, etiam religiosorum. Extra loca obnoxia S. C. de *Prop. Fide*, ei tribuuntur omnia quae ad Conciliorum celebrationem et recognitionem atque ad episcoporum coetus seu conferentias referuntur (c. 250).

327. - 1. *S. Congregatio negotiis* religiosorum *sodalium praeposita* (c. 251) est Congregatio propria religiosorum : quo nomine hic veniunt ii quoque qui, quamquam sine votis, in communi tamen vitam agunt more religiosorum.

Ipsi adiungitur specialis Commissio de approbandis novis Institutis.

2. Quare ad eam privative spectant omnes quaestiones quae familiam religiosam aut sodales religiosos attingunt, etiam si cum non religiosis, v. g. episcopis, controvertuntur. Potest tamen tunc, praesertim ad instantiam partis, quaestionem ad aliam Congregationem remittere.

Ipsi reservantur dispensationes a iure communi pro religiosis.

Quae potestas, post responsa coetus peculiaris Cardinalium (24 mart. 1919) (3) amplissime intellegitur : v. g. de irregularitatibus, de dispensationibus necessariis cum quis propter morbum vel alia de causa a missae celebratione impeditur, etc., aliisve quas alii atque religiosi a S. Rituum et Sacramentorum Congregatione impetrare deberent. Sed dubia de valida ordinatione et de susceptione onerum annexorum a S. Congregatione *de Sacramentis* dirimenda sunt (4).

---

(1) Cf. AAS, XI, 1919, 463.
(2) AAS, XV, 1923, 327.
(3) AAS, XI, 1919, p. 251. — *Per.* X, 98.
(4) Ex resp. *Comm. Cardin.* 7 dec. 1922. — AAS, XV, 1923, 39. — *Per.* XII, 43.

3. Ad eandem Congregationem exclusive pertinent quaestiones quae *tertios Ordines* saeculares spectant.

4. Intactum servatur ius S. C. *Concilii* in confraternitates aut pias uniones omnes (1) ; in compositiones pro bonis ecclesiasticis usurpatis ; ac ius S. C. *de P. Fide* regendi religiosos quatenus sunt missionarii ; et plenius moderandi, etiam in Europa, societates ecclesiasticorum et Seminaria quae exclusive fundata sunt ad instituendos missionarios pro exteris missionibus (2).

Universitates studiorum, etiam si a Religiosis administrentur, a S. C. *de Seminariis et studiis* pendent.

328. - *S. Congregatio* de Propaganda Fide (c. 252) operi diffundendi Evangelium praeficitur ; atque in regionibus ubi sacra hierarchia nondum est constituta, vel in statu adhuc inchoato versatur, omnia negotia missionariorum, qua talium, per se vel mediantibus aliis Congregationibus tractat.

Eidem *ubique* « subsunt Societates ecclesiasticorum ac Seminaria quae exclusive fundata sunt eo fine, ut in eis instituantur missionarii pro exteris missionibus, praesertim quod attinet ad eorum regulas, administrationem atque opportunas concessiones ad sacram ordinationem alumnorum requisitas ».

De fide, de causis matrimonialibus ac de ritibus moderandis aut interpretandis, ad competentes Congregationes referre debet. — Negotia vero religiosorum, qua talium, ad S. C. *de Religiosis* remittere aut relinquere debet, nisi agatur de religione quae ipsi (ut plures nunc sunt) modo speciali subiciatur.

Si inter Vicarium vel Praefectum apostolicum et Superiorem religiosum circa regimen animarum, munera a religiosis implenda, etc., dissensus oriatur, res ad S. C. de P. F., non ad S. C. de Religiosis deferenda est.

329. - 1. *S. Congregatio* sacrorum rituum (c. 253) habet Praelatos officiales et distinctos consultores pro causis beatificationis et canonizationis et pro sacra liturgia. Inter eos citari possunt Sacrista S. Sanctitatis, Decanus Rotae, Magister S. Palatii, Promotor generalis fidei, qui ius tuetur in processibus beatificationis et canonizationis.

Inter consultores numerantur *Magistri caerimoniarum pontificiarum.*

Coetus liturgicus, historico-liturgicus et pro sacro concentu, olim ei annexi, suppressi sunt Motu proprio *Quanta semper cura* (16 ian. 1914) (3).

2. Curat quae ad *sacros ritus* Ecclesiae latinae *proxime spectant* ; atque omnia agit quae ad *beatificationem* et *canonizationem* Servorum Dei vel ad sacras *Reliquias* quoquo modo referuntur (cf. cc. 1999-2141).

Ritus Ecclesiae latinae sunt Romanus, Ambrosianus, Mozarabicus et liturgiae monasticae (Cf. supra, n. 191). Quae ad ritus et caerimonias *proxime* spectant,

(1) Cf. *Per.* V, 89. — (2) Cf. *Per.* l. c. — (3) AAS, VI, 1914, 25.

liturgiam constituunt seu « complexum *verborum*, *actionum*, *rerum vel etiam personarum* quae concurrunt ad cultum externum et publicum Deo ab Ecclesia exhibendum » (1). De his fusius HANSSENS, *Gregor.*, 1927, 204.

Ad S. C. *Rituum* ergo non spectabit decernere ubi vel quando liceat vel debeat sacrum celebrari, sacramentum confici ; sed vigilare ut *rubricae* in celebratione vel confectione serventur ; eas interpretari, corrigere, urgere.

330. - *S. Congregatio* caerimonialis (c. 254) caerimonias moderatur in sacello aulaque pontificia servandas, sacras functiones Patrum Cardinalium, quaestiones de praecedentia Cardinalium et Legatorum apud S. Sedem.

Quare moderatur functiones (sacras) papales : normas adhibendas in recipiendis Regibus et legatis civilibus ; informat novos Cardinales extra Urbem degentes de modo recipiendi Praelatum a S. Sede delegatum ad danda pileolum et biretum et hos delegatos de modo sui muneris explendi, etc.

331. - *S. Congregatio* pro negotiis ecclesiasticis extraordinariis (c. 255), habet tamquam Praefectum Cardinalem Secretarium Status. Inter eius membra de iure cooptantur : Card. Secr. S. O., Card. Secr. S. C. Cons., Card. S. R. E. Cancellarius atque Card. Datarius.

Tractat de dioecesium statu et regimine, quotiens cum civilibus guberniis agendum est, atque in ea negotia incumbit quae eidem a S. Pontifice per Card. Secretarium Status proponuntur « praesertim ex illis quae cum legatis civilibus coniunctum aliquid habent et ad pacta conventa cum variis nationibus referuntur ».

Ad eandem Congregationem pertinet promotio episcoporum, etiamsi gubernia civilia « interrogantur circa difficultates, si quae sint, ordinis politici contra personas ad id officii praeelectas ».

Omnibus autem membris et officialibus secretum S. Officii imponitur, emisso speciali iureiurando (2).

332. - 1. S. Congr. de Seminariis et Universitatibus studiorum (c. 256) habet inter suos Cardinales Secretarium S. C. *Consistorialis* et inter consultores Assessorem eiusdem S. Congregationis.

Haec S. Congregatio partim suffecta est Congregationi studiorum (C. *Sapienti consilio*, *Normae Pec.*, c. VII, a. XI), cuius competentia ad Seminaria dioecesana non extendebatur, nisi ius conferendi gradus academicos haberent. — Card. Praefectus S. C. de Sem. et Univ. iure est membrum S. Officii et pontif. Comm. pro studiis biblicis. (cf. *AAS*, XIX, 1927, 329).

2. Vigilantem iurisdictionem exercet in Seminaria, incolumi iure Congr. *de Prop. Fide* supra definito, et in Universitates vel Facultates quae a S. Sede dependent, etiamsi a religiosa familia dirigantur.

E textu Codicis certum est, quod autumabant quidam scriptores (3), ad

(1) MONIN, A., *De Curia romana*, p. 301. — (2) *Notificatio de competentia et constitutione S. C. pro neg. eccles. extraord.* — Litt. Pii PP. XI, 5 iul. 1925. — AAS, XVIII, 1926, 89.— *N. R. Th.*, 1926, 305. — (3) MONIN, A., *op. cit.*, p. 318.

anc S. Congregationis provinciam non modo studia, sed regimen quoque, disci-linam et temporalem administrationem Seminariorum et Universitatum pertin-ere. Quare adeunda erit ut impetretur beneplacitum S. Sedis ad alienanda bona ertinentia ad illa studiorum instituta (Resp. *coetus Card.*, 7 dec. 1922) (1).

333. - 1. *S. Congregatio* pro Ecclesia orientali (c. 257) praesidem abet S. Pontificem.

Seiuncta est a Congr. *de Prop. Fide* Motu proprio *Dei Providentis*, 1 maii 917 (2). Ante annum 1917, sub unico nomine S. C. de P. F. et moderante odem Cardinali duplex erat coetus Cardinalium, quorum alter negotia ritus atini in territoriis missionum, alter negotia rituum orientalium moderabatur. Motu proprio *Dei providentis*, 1 maii 1917 (3) constituta est distincta Con-regatio pro Ecclesia Orientali, cui S. Pontifex in testimonium honoris et enevolentiae erga Ecclesiam Orientalem praeesse voluit.

2. Curat negotia Ecclesiae orientalis, pro qua alias Congregationes upplet, excepto S. Officio ; dirimit quoque quaestiones mixtas seu uae latinos simul et orientales attingunt.

Negotia tamen via iudiciali dirimenda ad tribunal competens remittenda sunt c. 257, § 3) ; ad normam § 2, etiam Orientalibus dispensationes pro matrimoniis nixtis a S. Officio conceduntur.

Quinam fideles ei subiciantur ex iis quae supra, n. 191 de Ecclesia orientali icta sunt, facile erues ; sunt nempe ii omnes qui ad Ecclesiam unius e quatuor itibus orientalibus pertinent.

334. - Habetur praeterea, in Codice non nominata, *Congregatio* Reverendae Fabricae S. Petri, quae, praeter Basilicae curam, facul-atem reducendi onera missarum et legatorum piorum cum S. C. *Concilii* servavit, non obstante dispositione C. *Sapienti Consilio* (Cf. *Per.* IV, 230).

Art. II. — De tribunalibus

335. - 1. Tribunalia Curiae Romanae tria numerantur, *S. Paeni-tentiaria Apostolica*, *S. Rota romana*, *Supremum Tribunal Signaturae Apostolicae*. — S. Officium quoque est tribunal et S. C. Rituum in ausis beatificationis et canonizationis dirimendis normas iudiciales peciales sequitur.

2. *S. Rota Romana* et *Signatura Apostolica* duo sunt tribunalia ollegialia, pro foro *externo* (c. 259), quorum compositio et competen-a in parte IV, de processibus, proponentur (t. III, n. 46, ss.).

336. - S. Paenitentiaria (c. 258).

1. *Cardinalis Maior Paenitentiarius* ipsi praeficitur. *Regens*, eius carius, munus habet Secretarii nec pauca negotia per se ipse expedit.

(1) AAS, XV, 1923, 39. — *Per.* XII, 43.
(2) AAS, IX, 1917, 529. — *Per.* IX, 19.
(3) AAS, IX, 1917, 529. — *Per.* IX, 19.

Signatura vocatur coetus Officialium S. Paenitentiariae, in quo sedent Regens, Theologus (semper e Societate Iesu), Datarius, corrector, sigillator, canonista, omnes cum iure suffragii dandi, et Secretarius sine hoc iure. — S. Paenitentiaria duplici sectione constat, altera quae *secreta* dicitur, altera de indulgentiis.

2. Pro solo *foro interno*, etiam non sacramentali, gratias, sanationes, dispensationes, condonationes concedit, ac praeterea quaestiones conscientiae exsolvit et dirimit. — Sede vacante, quasdam facultates in foro externo habet (cf. infra n. 344, 3).

3. Praeterea, iudicat de concessione *indulgentiarum* et dubia *practica* de indulgentiis solvit. Quare, pro sectione de indulgentiis, consultores S. Paenitentiariae adiunguntur (1). Spectat ad S. Officium *dogmatica* puncta de indulgentiis explicare et de novis orationibus et devotionibus sententiam ferre.

4. Omnes ad eam scribere possunt et responsum de rebus suis fori interni vel de casibus conscientiae obtinere. Litterae inscribuntur « Ad S. Paenitentiariam » vel « All' Eminentissimo Cardinale Penitenziere maggiore, Palazzo del S. Uffizio ». — Persona cuius interest, cum res secretae esse soleant, nomine Titii vel Titiae designatur. Subscribens litteras domicilium indicat quo responsio mittenda est et sigillum postale, si potest, litteris suis inserit. Responsa gratis dantur. Litterae omni lingua vulgari scribi possunt (cf. n. 261, 2).

Responsa Paenitentiariae quae inscribuntur « Discreto viro confessario ex approbatis ab Ordinario », exsequi potest, nisi substitutio vetetur, confessarius quem inter approbatos ab Ordinario loci dispensandus elegerit. — Eae tantum condiciones *ad valorem* servandae videntur, quae verbis *si*, *dummodo* introducuntur (Cf. supra, n. 130, ss.). Si dicatur concedenda dispensatio in foro sacramentali, in ipsa confessione communicetur, secus, etiam extra illam communicari potest, facta semper mentione potestatis delegatae.

In suis responsis S. Paenitentiaria *abbreviationibus* utitur, quarum explicatio invenitur v. g. apud MONIN, *De curia romana*, p. 328. — OJETTI, *De romana curia* p. 173. — D. TH., v° Clauses apostoliques.

Art. III. - De Officiis Curiae romanae

337. - Officia sunt servitia exsecutionis, expeditionis et transmissionis. Iis etiam SS. Congregationes interdum utuntur, ubi rescripto singularis forma requiritur, quae congrue a convenienti Officio perficiatur (Cf. MONIN, *De curia romana*, p. 360). — Sunt quae iurisdictione quadam gratiosa fruantur. Camerae quoque apostolicae et Secretariae status munera administrationis et regiminis gravissima committuntur.

338. - Cancellaria Apostolica (c. 260). 1. Ei praeest Cardinalis Cancellarius S. R. Ecclesiae. Administri sunt Regens et Protonotarii Apostolici participantes de numero.

2. Expedit bullas pro provisione beneficiorum et officiorum consistorialium (i. e. quae in Consistorio conferuntur, quales sunt dioeceses, extra loca missionum) et pro maioribus Ecclesiae negotiis.

---

(1) Cf. Motu proprio *Alloquentes*, 25 mart. 1917.—AAS. IX, 1917, 167.—*Per.* VIII, 113.

E c. 260, § 2 patet omnem iurisdictionem Cancellariae deesse ipsique omnino intra terminos a S. Pontifice aut a S. C. *Consistoriali* definitos agendum esse.

339. - Dataria apostolica (**c. 261**). Eidem praeest Cardinalis Datarius S. R. Ecclesiae. Versatur in collatione beneficiorum non consistorialium quae S. Pontifici reservantur ; curat quoque annexa onera.

340. - Camera apostolica (**c. 262**) curat et administrat bona ac iura temporalia S. Sedis, praesertim Sede vacante. Nam, Sede plena Commissio specialis Cardinalium ea gerit. Ei praeest S. R. E. Camerarius.

341. - Secretaria Status (**c. 263**) tribus sectionibus constat :

a) prima, praeside Secretario S. Congr. pro negotiis extraordinariis, de negotiis extraordinariis ;

Ad hanc sectionem pertinent v. g. negotia quae R. Pontifex cum Principibus praesidibusque variarum regionum habet.

b) altera, cui praeest Substitutus, de negotiis ordinariis :

Praeparat, quatenus intervenit secretaria status, *positionem* de sacerdotibus ad episcopatum promovendis, de constituendis vel mutandis dioecesibus extra Italiam. — Per hanc quoque sectionem R. Pontifex ad plerosque novos Praelatos insignia et notitiam concessae dignitatis transmittit.

c) tertia, quam dirigit Secretarius Brevium apostolicorum, de expeditione Brevium.

Expedit igitur omnia negotia, favores et gratias quae simplici Brevi absolvuntur vel conceduntur.

Secretariam istam moderatur Cardinalis Secretarius Status.

342. - Secretariae Brevium *ad Principes* et epistolarum latinarum (**c. 264**) latine scribunt acta a S. Pontifice iisdem commissa.

343. - Sunt praeterea in Curia romana varii coetus seu commissiones, v. g. pontificia commissio de re biblica (Leo XIII, 3 oct. 1902) ; coetus ad canones Codicis I. C. authentice interpretandos (Benedictus XV, 15 sept. 1917) ; commissio Vulgatae versioni Bibliorum emendandae (Benedictus XV, 23 nov. 1914) ; coetus de studiis historicis (Leo XIII, 18 aug. 1883).

Art. IV. - De Curia romana, Sede vacante

344. - De regimine Ecclesiae Sede vacante agitur in Const. Pii X, *Vacante Sede Apostolica*, 25 dec. 1904, nn. 1-25, quae **c. 241** explicite confirmatur. Eius textus ad calcem omnium Codicis editionum reperitur.

1. *S. Collegium* Cardinalium administrat Ecclesiam ; nihil tamen

iurisdictionis supremae recipit. — Congregationes generales Cardinalium negotia graviora tractant, minora Congregationes particulares, quae constant Cardinali Camerario S. R. E. et tribus Cardinalibus, tertio quoque die mutandis.

2. *SS. Congregationes* servant suas facultates ordinarias, i. e. pro casibus quae specialem approbationem S. Pontificis non requirunt, si agitur de gratiis minoribus. Occurrente graviore negotio, Praefectus S. Congregationis cum Cardinalibus a S. Collegio designandis sententiam provisoriam ferre potest.

3. *S. Rota Romana* et *Signatura Apostolica* eas tantum causas expedire possunt, quae relationem praeviam ad R. Pontificem vel eius commissionem specialem non requirunt. — *Maior Paenitentiarius* eiusque officiales negotia quaedam, etiam in foro externo expedire possunt, ex. g. absolutiones a censuris aut similia remedia Regularibus concedenda, quae BENEDICTUS XIV C. *Pastor bonus*, 13 apr. 1744, definivit.

4. Cessant munera Cancellarii S. R. E., Datarii, Cancellarii Brevium apostolicorum eorumque sigilla franguntur. — Secretarii Status vices agit Assessor S. C. *Consistorialis*, qui fit S. Collegii Secretarius. — Camerarii S. R. E. est bona iuraque S. Sedis administrare.

Caput V. - De Legatis Romani Pontificis
(cc. 265-270)

Scriptores : WERNZ, II, n. 681, ss. — AYRINHAC, *Constitution of the Church*, p. 86, ss. — HILLING, N., *Das Personenrecht*, § 45. — TOSO, *Commentaria minora*, II, in h. cc. — WERNZ-VIDAL, S. I., *Ius canonicum*, II, nn. 508-515. — VERMEERSCH, S. I., *Facultatum quae post C. I. C. Legatis Ap. concedi solent breve commentarium*, in *Per.* XII, (69), ss. ; (125), ss.

345. - Legati sunt viri ecclesiastici qui a R. Pontifice in certam regionem mittuntur, ut eius personam gerant vel cum potestate quadam ordinaria administrent negotia ecclesiastica.

Ius R. Pontificis suos legatos, independenter ab acceptatione episcoporum vel potestatis civilis, mittendi ut per eos negotia ecclesiastica localia regat, ex eius *immediata* et *universali* iurisdictione oritur (c. 265).

346. - **Notae historicae.** Iam a V° saeculo, distinguendi sunt Legati R. Pontificis qui *temporariam*, ab iis qui *stabilem* missionem obtinebant. Priores maioribus synodis et omnibus fere Conciliis oecumenicis nomine R. Pontificis praesidebant, alii apud Imperatorem constantinopolitanum residebant, ut S. Pontificem de statu Ecclesiae et de imperatoris decretis et responsis (*Apocrisarii, Responsales*) certiorem facerent. Munus istud ineunte saec. VIII° cessavit.

In occidentali quoque Ecclesia idem officium in usum venit et nova forma perfectum est. Etenim a saec. V°, R. Pontifex episcopos et praesertim Metropoli-

as quosdam tamquam sui Vicarios, cum participatione suae in alios episcopos iurisdictionis, constituit, sive ut eorum ecclesia cum Sede romana magis coniungeretur (arch. Thessalonicensis), sive ob momentum ecclesiasticum (arch. Arlensis) aut politicum (arch. Metensis) suae sedis, sive ut disciplinam ecclesiasticam collabentem maiore potestate restituere possent (v. g. in Hispania). Haec communicatio pontificiae potestatis, cum ad successorem transiret, in quibusdam ecclesiis ortum officio *Primatis* in Occidente dedisse videtur. Illud Vicarii officium a munere hodierni Vicarii apostolici omnino diversum est. — R. Pontifex primatum suum exercuit quoque ope Legatorum stabilium apud imperatores Francorum et alios Principes, et Legatorum temporariorum, quibus negotia magni momenti suo nomine absolvenda committebat. His legationibus praesertim usi sunt Gregorius VII eiusque in procuranda reformatione successores.

Paulatim magis definiuntur tum nomina, tum facultates Legatorum. *Stabilis* usus verbi « *Legatus a latere* » et distinctio inter varias Legatorum species a saec. XII° repetenda est. Tres autem erant classes Legatorum, sc. Legati a latere, Legati missi et Legati nati, quam divisionem Codex retinuit. — Quia Legati quidam in usu facultatum iustum modum non servabant et magnas saepe querelas, sive iustas sive iniustas, excitaverant, Conc. Tridentinum eorum potestatem pressius definivit et satis imminuit (S. XXII, de ref.). — Ab initio saeculi XVI, Nuntii seu stabiles Legati pontificii apud principes maiore numero sunt constituti; ad quam extensionem necessitas obsistendi haereticis satis contulit. Isti *Nuntii* aliis Legatis fere suffecti sunt, sed nullam acceperunt in episcopos iurisdictionem.

347. - Divisio. 1. *Legati a latere,* seu Cardinales quibus negotia quaedam magni momenti committuntur (**c. 266**).

2. *Legati missi,* seu legati stabiles apud gubernia civilia vel omnes ecclesias cuiusdam regionis, sunt :

a) *Nuntii et Internuntii,* seu legati stabiles apud gubernia civilia.

Curant relationes inter R. Pontificem et gubernium ; colligunt informationes de creandis episcopis, de statu provinciae ecclesiasticae, etc. (**c. 267**).

Nuntiaturae quattuor sunt primae classis, quarum titulares post missionem creari solent Cardinales, sc. Parisiensis, Vindobonensis, Matritensis et Ulissiponensis.

In acatholicis regionibus, v. g. Hollandia, Internuntius locum Nuntii tenet. Nuntii vel Internuntii sunt generatim archiepiscopi titulares, locum habent legatorum civilium primae classis, nomen gerunt Excellentiae, decani sunt coetus diplomatici.

Iurisdictio eorum est ordinaria, sed libero exercitio iurisdictionis Ordinariorum locorum officere non possunt (**c. 269**). — Ambitus iurisdictionis hodie fere totus ex ipso mandato determinandus est.

b) *Delegati apostolici,* qui invigilant tantum ecclesiarum statui, omissis relationibus cum gubernio civili (1). De his, cf. Battandier, *Annuaire pontifical,* 1898, p. 169.

Delegati Apostolici sunt in quinque provinciis ecclesiasticis, sc. in Stat. Foed. Amer., in regione Canadensi, in insulis Cuba, Philippinis

---

(1) Cf. Decret. ex audientia SSmi, 8 maii 1916. — AAS, VIII, 1916, 213.

et in republica Mexicana. Alii quidam officio in regionibus S. Congregationi de P. F. subiectis funguntur, v. g. in Australia, Constantinopoli, etc.

Eorum officium non cessat vacante Sede Apostolica « nisi aliud in litteris pontificiis fuerit statutum » (c. 268).

Omnibus Legatis missis et Delegatis communicantur amplae facultates, quarum elenchus reperitur ad calcem huius tomi (1).

3. *Legati nati*, ratione suae sedis, personam R. Pontificis agere censentur, v. g. archiep. Remensis, Lugdunensis, etc. Hodie merus est *titulus honoris* (c. 270). Excipitur sedes Strigoniae (Gran).

Caput VI. - De Patriarchis, Primatibus, Metropolitis
(cc. 271-280)

Scriptores : Ayrinhac, *Constitution of the Church*, p. 93, ss. — De Meester, *Compendium*, II, n. 612, ss. — Hilling, N., *Das Personenrecht*, § 46. — Toso, *Comm. minora in h. cc.* — Wernz-Vidal, S. I., *Ius can.*, II, nn. 516-531.

348. - **Ordo materiae.** Hoc caput in tres partes dividitur, quarum prima tertiaque uno canone absolvitur. Proposita enim notione Patriarchae et Primatis (c. 271), Codex agit in cc. 272-279 de Metropolitis ; subicitur c. 280 de iure praecedentiae inter omnes istos Praelatos.

In secunda parte, primo definitur natura officii Metropolitae (c. 272) ; dein potestas quam in sua dioecesi (c. 273) et in dioecesibus suffraganeis obtinet (c. 274) ; postea exponuntur quae pertinent ad pallii petitionem (c. 275), eius usum necessarium (c. 276) et licitum (c. 277), connexionem cum sede (c. 278) et cum persona (c. 279).

§ 1. DE PATRIARCHIS ET PRIMATIBUS

349. - I. *De historia officii.*

Codex de solis Patriarchis et Primatibus *latinis* loquitur et ius antea vigens refert. Cum officia ista in Oriente tanti momenti sint et in Ecclesia latina adeo a primaeva institutione mutata sint, eorum vicissitudines paucis exponendae sunt.

1. **Patriarchae** erant Praelati qui, vi officii et ratione sedis episcopalis, praeponebantur episcopis et ipsis etiam archiepiscopis totius regni vel plurium saltem provinciarum ecclesiasticarum (Cf. c. 271).

Quamquam *nomen*, de episcopis iam antea promiscue usurpatum, saec. V° Patriarchis reservatum est (in Conc. Chalced., a° 451), dignitas seu munus a primo forte saeculo est repetenda. Patres Nicaeni potestatem patriarchalem episcopis Romano, Alexandrino et Antiocheno agnoverunt, honorem vero episcopo Hierosolymitano (a° 325). Huic potestatem Patriarchae concessit Conc. Chalcedonense (a° 451). — Patriarcha autem Constantinopolitanus dignitatem primo fere usurpavit, quae postea

(1) Cf. Vermeersch *Facultatum quae Legatis Apostolicis concedi consueverunt breve Commentarium. Per.* XII, (69), ss.

a R. Pontifice est confirmata.— Ordinem praecedentiae renovavit Innocentius III (1).

Iura sua amiserant, sive quia in schisma erant delapsi sive quia eorum sedes a Turcis erant turbatae. — Durantibus expeditionibus latinis medii aevi restitutae sunt eorum sedes et creati Patriarchae latini. — Hodie sunt Patriarchae titulares Romaeque degunt, praeter Patriarcham latinum Hierosolymitanum et Alexandrinum.

Divisio. Patriarchae alii erant *maiores*, alii *minores*.

a) *Maiores* sunt, post R. Pontificem, Patriarchae Constantinopolitanus, Alexandrinus, Antiochenus, Hierosolymitanus.

E veteribus autem patriarchatibus novi orti sunt pro variis ritibus orientalibus ; eorum Praelati omnes sunt catholici et intra fines sui patriarchatus eadem fere iura exercent ac maiores Patriarchae.

b) *Minores* Patriarchae in Occidente instituti sunt archiepiscopus Venetus, Ulissiponensis et archiepiscopus Goanus, quorum iurisdictio a metropolitana vix differebat, et Patriarcha Indiarum Occidentalium.

2. **Exarchae** dicti sunt in Orientali Ecclesia Metropolitae qui in alios Metropolitas aliquam potestatem obtinebant aut qui minus a Patriarchis dependebant. Nomen illud habuerunt primum Metropolitae Ephesinus, Caesariensis, Heracliensis. Quando potestas maior omnino amissa est, servatum nomen titulum honoris constituit.

3. **Primas,** primum titulus Patriarchae vel archiepiscopo similis, satis tarde in Occidente quosdam Metropolitas designavit, quibus iurisdictio vel praerogativae honoris in alios archiepiscopos, sive consuetudine sive privilegio, concessae fuerant. Episcopus Carthaginiensis re vera primatum in ecclesia Africana iam saec. IV° ducebat ; sedes primatiales constitutae sunt in Gallia a saec. VI°, Bituricensis, Lugdunensis, etc. ; a saec. VII° in Anglia, Cantuariensis ; in Germania a saec. VIII°, Moguntina, Trevirensis, Salisburgensis, etc. ; a saec. XIV° in Hungaria, Strigoniensis.

Iura erant praesertim consecrandi Metropolitas vel episcopos, visitandi dioeceses, recipiendi appellationem, etc.

Quamquam sedes primatiales in Gallia a. 1801 suppressae sunt, titulum tamen, historicae traditionis causa, episcopus Lugdunensis retinet. — Alii Primates sunt : in Belgio, archiepiscopus Mechliniensis ; in Austria, archiepiscopus Salisburgensis ; Toletanus in Hispania ; Strigoniensis (Gran) in Hungaria.

350. - II. *Ius hodiernum.*

« Patriarchae aut Primatis titulus, praeter praerogativam honoris et ius praecedentiae ad normam c. 280, nullam secumfert specialem iurisdictionem, nisi iure particulari de aliquibus aliud constet » (**c. 271**).

Patriarchae latini Hierosolymitanus (restitutus a Pio IX, a. 1847) et Alexandrinus pro Coptis (restitutus a Leone XIII, a. 1895) in sua sede degunt et veram iurisdictionem exercent. — Hodie soli Primati Strigoniensi quaedam iurisdictio remanet. — Contra, Patriarchae orientales amplissima iurisdictione gaudent (2).

§ 2, DE METROPOLITIS

351. - Notio. Metropolita est episcopus urbis, generatim inter alias provinciae civilis urbes principalis, qui in ceteris provinciae eccle-

(1) Cf. Denzinger, n. 436, — Kirsch, *Enrich. hist.*, n. 366.
(2) Cf. Cappello, in *Ius pontif.*, 1927, 55, ss.

siasticae dioecesibus quaedam iura obtinet. Harum dioecesium episcopi, vocantur comprovinciales, *suffraganei* (**c. 272**) (1).

Archiepiscopi, initio Patriarchae et Primates, a saec. VI° Metropolitae vocati sunt.

Etsi Apostoli quibusdam episcopis curam plurium ecclesiarum mandando, hoc institutum praeformaverunt, influxus tamen quidam politicae administrationis in hierarchiam ecclesiasticam magis determinandam non est negandus. Initio saec. IVi in Oriente, paulo tardius in Occidente officium Metropolitarum exsistebat. Eorum potestas quae saec. VI°, VII°, VIII° creverat, invalescente iure pseudo-decretalium est imminuta. Paulatim definita est hoc principio ut nihil iuris haberent, nisi quantum canones vel antiqua consuetudo eis conferrent. Eorum iurisdictionem pressius definivit Conc. Tridentinum, s. XXIV, cap. 2 de ref.

Sunt archiepiscopi *residentiales* aut *titulares, dependentes* immediate a R. Pontifice aut a Primate (ut in Hungaria vel in Oriente).

352. - De potestate Metropolitae.

1. *In sua dioecesi* episcopalem iurisdictionem exercet (**c. 273**).

2. *In dioecesibus suffraganeis* potest tantum (**c. 274**) :

a) supplere negligentiam Ordinarii vel Capituli in provisione beneficiorum cum iure patronatus (1°) ; in deputatione Vicarii capitularis (Cf. c. 432) ; in visitatione canonica facienda (5°) ;

b) concedere indulgentias et exercere pontificalia, ut in propria dioecesi, praemonito tamen Ordinario, si ecclesia sit cathedralis (2° et 6°) ;

c) monere R. Pontificem de abusibus qui in disciplinam irrepserint (4°) ;

d) sub visitatione, iurisdictionem aliquam, in utroque foro omnino definitam, exercere (5°) ;

e) recipere appellationem a sententiis in prima instantia latis a suffraganeo et quasdam eiusdem causas, sc. causas fiscales, in prima instantia dirimere (7° et 8°. Cf. cc. 1572. 1594).

Codex eorum sententiam confirmat qui censebant iurisdictionem Metropolitae in dioecesibus suffraganeis solo iure scripto definiri. — Eius enim iura his verbis introducit : « In dioecesibus vero suffraganeis Metropolita potest *tantum* » : (c. 274) neque ad ius particulare ullo modo alludit.

353. - Insignia Metropolitae sunt crux et pallium.

1. *Crucem* prae se ferre potest intra fines suae iurisdictionis, nisi adsit Cardinalis, et in dioecesibus Suffraganeorum.

2. *Pallium* (2) est fascia quae humeros cingit et a qua fasciolae duae, altera

(1) Cf. D. TH., v° Evêques. — CE, vv. Archbishop. Metropolitan. KL, v° Erzbischof.

(2) Cf. DUCHESNE, *Origines du culte chrétien*, ed. 5ª, 1925, p 404, ss. — BRAUN, S. I., *Die liturgische Gewandung*, p. 620, ss. — TROMBETTA, A., *De pallio archiepiscopali elucubratio canonico - liturgico - historica*, Napoli, 1923. — CE, v° Pallium.

ante pectus, altera posterior inter humeros descendunt. Ex lana candida facta, sex sericis nigrisque crucibus tribusque acieulis aureis ornatur.

Pallium, sensu canonico, erat insigne pastoralis officii. In Oriente, ab omnibus episcopis, in Occidente a solo R. Pontifice gerebatur. A saec. VI°, a R. Pontifice quibusdam episcopis concessum est ad participationem iurisdictionis pontificiae designandam.

Hodie pallium conceditur a solo R. Pontifice archiepiscopis, tamquam signum iurisdictionis in alios episcopos collatae. Interdum episcopis conceditur in testimonium specialis benevolentiae et in praemium magnorum meritorum.

Intra tres menses post suam consecrationem, Metropolita pallium a R. Pontifice « instanter, instantius, instantissime » petere tenetur, sive per se, si Romae adsit, sive per procuratorem (**c. 275**).

Quia pallium est signum dignitatis et potestatis, sunt actus quidam ordinis aut iurisdictionis quos Metropolita pallio indutus perficere debet (**c. 276**). Illud extra illos actus aut extra provinciam, etiam de consensu Ordinarii loci, gerere non potest (**c. 277**) ; quia vero pro definita ecclesia conceditur, Metropolita ad aliam sedem translatus novo pallio indiget (**c. 278**). Tandem nemini pallium suum commodare potest atque eo indutus sepeliendus est (**c. 279**).

§ 3. DE IURE PRAECEDENTIAE

354. - « Patriarcha praecedit Primati, Primas archiepiscopo, hic episcopis » (**c. 280**). In proprio tamen territorio episcopus Patriarchae aut Primati non cedit, qui non sit eius Metropolita (Cf. c. 347).

Caput VII. - De Conciliis plenariis et provincialibus
(cc. 281-292)

Scriptores : Wernz, I, n. 178, ss. II, n. 852, ss. — Ayrinhac, *Constitution of the Church*, p. 104, ss. — Blat, O. P., *Commentarium*, II, in h. cc. — Hilling, N., *Das Personenrecht*, § 67. — Wernz-Vidal, S. I., *Ius canonicum*, II, nn. 532-542.

355. - **Ordo materiae.** Codex agit primum separatim *de convocatione* Concilii plenarii (cc. 281. 282) aut provincialis (cc. 283-286), dein de utriusque simul regimine (cc. 287-290), sc. de debita assistentia (cc. 287. 289), de officio praesidis (c. 288), de officio Patrum (c. 290), de necessaria approbatione (c. 291) ; tandem de conventu quinquennali Ordinariorum locorum, qui praesertim Concilium provinciale futurum praeparat et habitum urget (c. 292).

356. - 1. Notio. Concilia particularia ea sunt quibus pars tantum Ecclesiae repraesentatur. Inter ea numeranda sunt Concilia *generalia* episcoporum totius Ecclesiae orientalis (v. g. Constantinop., a. 381) vel occidentalis (v. g. Conc. Arelaten., a. 314) ; *plenaria*, in quibus sedent episcopi plurium provinciarum ecclesiasticarum, v. g. antiquitus Con-

cilia Africana, saeculo praeterito, Baltimorensia ; *provincialia*, quae episcopis unius provinciae ecclesiasticae constituuntur. *Nationalia* dicuntur Concilia plenaria, quando fines provinciarum, quarum episcopi simul conveniunt, cum finibus regionis politicae congruunt. Etsi necessitati respondere possunt, canonicam divisionem non ingrediuntur, cum in Ecclesia Dei neque Iudaeus, neque Graecus, neque Scytha qua talis exsistat.

2. De historia Conciliorum particularium.

Pronum erat episcopos eiusdem provinciae vel patriarchatus, et postea regionis seu patriae, inter se convenire, ut de communibus suarum ecclesiarum negotiis deliberarent et decernerent. Quare a saec. IIIo iam Concilia provincialia, a saec. IVo Concilia plenaria vel universalia habita sunt. Dum Concilia provincialia ex can. 5 Conc. Nicaeni (a. 325) bis in anno celebranda fuerunt, plenaria numquam lege *universali* haberi praescripta sunt. Antiqua Concilia plenaria ecclesiae Africanae a saec. IVo ad IX et Hispanicae (a saec. VIo) inter celebriora habentur, si excipias ea in quibus episcopi ex tota Ecclesia orientali vel latina congregabantur. Praesertim a magno schismate, periculum fuit ne Concilia nationalia iurisdictioni S. Sedis detraherent et unitatem Ecclesiae laederent. Quare S. Sedes licentiam ea coadunandi haud semel negavit (1). Concilia provincialia a Concilio Nicaeno *bis in anno*, variis canonibus a saec. VIo *semel* in anno, a Conc. Lateranensi IV (a. 1215) semel in anno, a Martino Vo et postea a Conc. Tridentino (S. XXIV, c. 2 de ref.) *tertio quoque anno* celebrari praescripta sunt. Sed praxis a lege longe afuit ; ita ut Patres Conc. Vaticani eorum celebrationem *quinquennalem* proponerent. Praeterito saeculo inter Concilia generalia eminuerunt Conc. Baltimorense III (a. 1884) et Americae latinae (Romae, a. 1899).

In Germania, omnes episcopi Borussi singulis annis ad sepulcrum S. Bonifacii in Fulda conveniunt, ut de rebus ecclesiasticis deliberent.

I. DE CONCILIO PLENARIO

357. - 1. *Notio.* Concilium plenarium est coetus ab episcopis plurium provinciarum celebratus, cui praeest Legatus a R. Pontifice designatus (**c. 281**).

Quidquid territorium, locum et tempus attinet a R. Pontifice, episcopis proponentibus, definitur. Instructiones Legati decernunt num et quo suffragii iure episcopi titulares vocandi sint. Reliqua iure communi determinantur.

2. *De celebratione Concilii.*

1° Convocatio fit a Praeside Concilii.

2° *Vocandi* sunt et interesse debent *cum suffragio deliberativo*, ex iure communi, *omnes et soli* Ordinarii locorum territorii, exceptis Vicariis generalibus. — Episcopi *titulares*, si vocentur, per se suffragium deliberativum habent ; ceteri ex utroque clero, consultivum (**c. 282**).

---

(1) Ita in Germania, a. 1878 ; in Gallia, a. 1879. — *Coll. Lac.*, IV, 2, ss.

3° *Praeses* totum Concilium delegata a R. Pontifice potestate *solus* moderatur (c. 288).

Quod ad reliqua, cc. 287-291 eadem de Concilio plenario ac de provinciali decernunt.

II. DE CONCILIO PROVINCIALI

358. - *Notio. Concilium* provinciale est coetus episcoporum et quorundam aliorum sacerdotum alicuius provinciae ecclesiasticae ad negotia totius provinciae tractanda coadunatus.

359. - *De celebratione Concilii.*

1. *Convocandum* est a Metropolita vel, eo deficiente, ab episcopo suffraganeo qui promotione antiquior est, *vicesimo* saltem *quoque anno*, in *locum* quem praeses determinaverit « auditis omnibus qui assistere debent cum suffragio deliberativo » (cc. 283. 284).

2. Codex distinguit eos qui convocandi sunt et suffragium deliberativum habent ab iis qui, cum voto, consultivo, invitari debent. Episcopi titulares tertiam classem constituunt.

1° Assistere *debent* cum suffragio *deliberativo* :

a) *omnes* Ordinarii *locorum* provinciae, exceptis Vicariis generalibus ;

b) episcopi, nulli Metropolitae subiecti, Abbates vel Praelati *nullius*, et archiepiscopi suffraganeis carentes, qui, praevia S. Sedis approbatione, hanc provinciam ad Concilium celebrandum semel pro semper elegerunt (c. 285).

Praecedentia inter episcopos suffraganeos de iure sedendi et suffragii ferendi definienda est ad normam c. 106, 3° a die praeconizationis seu electionis ad gradum, sc. episcopalem, non a die promotionis ad ecclesiam suffraganeam (1). Idem valet de episcopis titularibus tum inter se, tum relate ad suffraganeos.

2° Assistere *possunt* cum suffragio *deliberativo*, si hac condicione vocentur, episcopi *titulares*, in provincia degentes.

Degunt in provincia, qui saltem quasi-domicilium in ea habent. Cum episcopi titulares vocati adesse non cogantur, non est incommodum eos a duobus Metropolitis invitari, si duplex domicilium habeant.

3° *Invitandi* sunt cum voto tantum *consultivo* :

a) Capitula cathedralia aut consultores dioecesani cuiusvis dioecesis cuius Ordinarius ad normam c. 286, § 1 vocari debet (c. 286, § 3). — Invitatis ius est mittere duos e gremio suo deputatos, collegialiter ad normam c. 101, § 1, 1° designatos.

Legislator potius modum quo invitationi respondere possunt, quam obligationem

(1) Resp. *Comm. I. C.*, 10 nov. 1925, ad II. — AAS, XVII, 1925, 582. — *N. R. Th.*, 1926, 226. — *Per.* XIV, 176.

respondendi statuit. — Sic interpretamur verbum « mittant », quia Capitula sub vetere iure ad respondendum cogenda non erant (1), et Codex omittit verba « venire debent » et praescriptum manifestandi causam absentiae. Ita quoque Cocchi, *Commentarium*, in h. c.

b) « Maiores quoque religionum clericalium exemptarum ac Congregationum monasticarum Superiores, qui in provincia resideant » (c. 286, § 4), sed hi vocati debent adesse aut impedimentum notum facere.

c) *Procuratores* mittendi sunt a quolibet Patre legitime impedito, qui cum voto deliberativo adesse deberet. Qui iure voti deliberativi iam gaudent, alterum ex isto mandato non obtinent ; alii procuratores votum consultivum habent (**c. 287**).

3. *Praeest* Metropolita vel, eo deficiente, episcopus suffraganeus promotione antiquior, tamquam primus inter pares, cum unico voto deliberativo.

Ipse « determinat ordinem servandum in quaestionibus examinandis et ipsum Concilium aperit, transfert, prorogat, absolvit » (**c. 288**).

In Concilio plenario, cum Praeses sit Legatus R. Pontificis, haec omnia solus definit ; in Concilio provinciali requiritur praevius Patrum consensus.

4. Patres usque ad finem concilii permanere debent, nisi facultatem abeundi a Legato S. Sedis aut, in Concilio provinciali, a Patribus acceperint (**c. 289**).

360. - *De competentia Concilii.*

1. Etsi Concilia particularia controversias *de fide* authentice dirimere non possint, eas veritates quae saltem theologice certae sunt proponere minime prohibentur, praesertim cum in provincia memoriam earum renovare « ad fidei incrementum » opportunum videatur. Idem dicendum est de honestate morum pressius definienda.

2. Conciliorum tamen particularium praecipuum officium est *media* indicare et sancire, quae « ad fidei incrementum, ad moderandos mores, ad corrigendos abusus, ad controversias componendas, ad unam eandemque disciplinam servandam vel inducendam, opportuna fore *pro suo cuiusque territorio* videantur » (**c. 290**).

Quam apte haec in Conc. Mechliniensi, a. 1920 habito, coordinentur iam ex indice rerum apparet ; etenim dum sectioni dogmaticae 17 paginae, morali 51 pp. tribuuntur, sectioni disciplinari 42 pp., pastorali et liturgicae 35 pp. reservantur.

3. Concilium provinciale potestate ordinaria pro tota provincia decreta fert, quibus omnes clerici et fideles in provincia domicilium vel quasi-domicilium habentes oboedire tenentur ; « nec Ordinarii

(1) Wernz, II, n. 855, I, 2.

locorum ab iisdem dispensare possunt, nisi in casibus particularibus et iusta de causa » (c. **291**, § 2).

4. *Recognitio* actorum et decretorum a S. C. *Concilii* aut a S. C. *de P. F.* facienda, est simul correctio et censura. Cum textus iuxta animadversiones S. Congregationis est emendatus, conceditur decretum recognitionis, quod confirmationem in forma generatim communi continet. Quod decretum, etsi decreta Concilii leges pontificias non facit, saltem in eis nihil censura dignum testatur ; inde maior Concilio provinciali moralis auctoritas conciliatur, quae ex laudibus S. Congregationis augeri potest, ut videre est in decreto recognitionis Concilii Mechliniensis (a. 1920).

361. - *Promulgatio* Concilii eo modo fit qui Patribus placuerit ; eidem vacationem suae legis determinant (c. 291, § 1).

Conc. Mechlinien., d. 25 mart. 1923 promulgatum, a d. 25 aprilis proxime sequentis vigere coepit.

III. DE CONVENTU QUINQUENNALI ORDINARIORUM LOCORUM

362. - 1. Codex iubet ut *quinto* saltem quoque *anno* apud Metropolitam aliumve episcopum provincialem conveniant omnes ii *Ordinarii locorum*, qui in Concilio provinciali adesse cum suffragio deliberativo debent. Reservatur ius particulare a S. Sede pro certis locis constitutum.

Iuxta declar. S. C. *Consistorialis*, 22 mart. 1919 (1), hi conventus in Italia singulis annis habendi sunt ; in quos conveniant oportet episcopi iuxta ordinem regionum a S. C. definitum. Praesidet episcopus dignior ratione gradus et antiquitatis.

2. Finis conventus est de iis quae in dioecesibus agenda sint inquirere et decernere, proximum Concilium provinciale praeparare eiusdemque sedem designare (c. **292**, § 2).

Caput VIII. - De Vicariis et Praefectis Apostolicis

(cc. 293-311)

Scriptores : Wernz, II, n. 698, ss. — Ayrinhac, *Constitution of the Church*, p. 117, ss. — Blat, O. P., *Comment.*, lib. II, in h. cc. — Cocchi, *Comment.*, t. III, p. 130, ss. Vermeersch, *De munere et officiis Vic. et Praef. Ap. secundum praesens ius. Per.*, IX, (19). ss. — *Comment. de formulis facult. quas S. C. P. F. concedere solet. Per.*, XI, (33), ss. (2). — Toso, *Commentaria*, in h. cc. — G. Vromant, *Ius missionariorum*, II, n. 52, s. — Wernz-Vidal, S. I., *Ius can.* II, nn. 543-555.

363. - **Ordo materiae** Postquam de institutione Vicariorum et Praefectorum Apostolicorum in c. 293 actum est, principium generale de eorum potestate

(1) AAS, XI, 1919, 175. — *Per.* X, 58.

(2) Cf. de eodem argumento articulos scriptos a Löhr, Mergentheim et Enshof. in *Zeitsch. f. Missionswissenschaft*, VII, 1917, 23 ss., 115 ss., 201 ss.

et facultatibus c. 294 traditur. Dein proponuntur eorum iura in clerum sui territorii (cc. 295-298, quibus addendus c. 307); obligationes (cc. 299-306) et privilegia honorifica (c. 308). — In cc. 309-311 agitur de cessatione eorum regiminis.

364. - Notio. 1. Vicarii et Praefecti Apostolici sunt Praelati ecclesiastici qui nomine R. Pontificis spirituale regimen territorii, in dioecesim non erecti, potestate ordinaria (vicaria) gerunt (c. 293, § 1).

Notae historicae. Munus Vicariorum Apostolicorum, prouti nunc exsistit, ortum duxit e conatibus a S. Sede saec. XVII° factis ut propagationem fidei in terris missionum politico regimini subductam regimini apostolico subiceret. Territoria infidelium regebantur tum ab episcopis, quorum designatio a regibus Hispaniae, Portugalliae et Galliae plurimum vel unice pendebat, tum a Superioribus maioribus religiosorum et a Praefectis quibusdam Apostolicis. Circa medium saeculum XVII, cum reges Hispaniae et Portugalliae sedibus vacantibus pluribus non providerent et episcopis quibusdam reditus necessarios non suppeterent, S. Sedes usa est hac negligentia ut istud regimen politicum paulatim tolleret. Coepit etenim territoriis illis Vicarios Apostolicos praeficere, qui cum episcopi titulares essent, omnibus necessitatibus spiritualibus populi sibi commissi subvenire possent. Primus quem a S. C. de *P. F.* nominatum novimus est nobilis indigena e Brahmanarum genere ortus, nomine Matthaeo di Castro Mahalo, qui primum tamquam missionarius apostolicus in suam regionem missus, dein a. 1636 episcopus titularis Chrysopolensis creatus, paulo post Vicarius Apostolicus in Visapor, Golgonda et Pegu nominatus est (1).

2. Vicarii et Praefecti Apostolici praesunt territoriis quae in dioecesim numquam erecta aut non restituta sunt.

Huiusmodi territoria, etsi fere omnia in regionibus ab Europa dissitis et ad nationes infideles pertinentibus exsistunt, apud nos quoque reperiuntur, v. g. in Germania (Osnabrück), Holsatia-Schleswigis, in Dania, in Suecia (2). — Anno 1928 numerabantur 222 Vicariatus ap., 94 Praefecturae (3).

Inter Vicarios et Praefectos Apostolicos plerumque *discrimen ordinis* tantum intercedit, cum illi ordine episcopali fere omnes, isti paucissimi insigniantur. Potestas ordinaria eadem est : facultates delegatae non ad normam dignitatis, sed necessitatis conceduntur.

Eiusdem formulae forma *maior* episcopis conceditur, aliis minor propter facultates quae exercitium ordinis respiciunt.

3. Cum Vicarii et Praefecti Apostolici curam animarum *proprio nomine* non exerceant, ad eam exercendam titulo iustitiae non directe obligantur. Quia vero *munus* libere susceperunt, ad istud rite implendum quasi ex contractu tenentur. Quare obligatio iustitiae erga fideles sui territorii non est directa, sed indirecta ; additur obligationi caritatis erga alios incolas territorii et oboedientiae erga S. Sedem.

---

(1) *Zeitsch. f. Missionswissenschaft*, 1923, 25 ; secundum S. C. P. F. Archiv. *Scritture antiche*, 192, f. 154-161.

(2) Cf. METZLER, *Die Apostolischen Vikariate des Nordens*, 1919

(3) *Annuaire catholique*, 1929.

Sub vetere iure de Vicariis Apostolicis sub titulo de Delegatis Apostolicis sermo fiebat. Id enim eis cum episcopis quibusdam, Administratoribus Apostolicis et iudicibus a S. Sede delegatis commune erat, quod potestatem a S. Sede immediate *delegatam* exercebant. In Codice singula haec officia et concessiones potestatis aptius distinguuntur.

365. - *Nominatio.* Vicarii et Praefecti Apostolici « omnes ab una Apostolica Sede nominantur » (c. **293**, § 1).

Etiam si Superior *pro tempore* Missionis religiosis concreditae, Praefectus vel Vicarius nominetur, officium Vicarii vel Praefecti non muneri annectitur, sed personae committitur. Quare facultates Vicarii vel Praefecti, ante nominationem a S. C. *de P. F.*, non transeunt ad successorem in religioso munere (1).

Nominantur Vicarii *Brevi* apostolico, Praefecti *decreto* ope S. C. *de P. F.*, quibus ostensis ei qui territorium legitime (cf. n. 383) regit, possessionem sui territorii capiunt (c. 293, § 2).

I. DE POTESTATE VICARII ET PRAEFECTI APOSTOLICI (2)

A. PRINCIPIUM DE POTESTATE ORDINARIA

366. - 1. Vicarii et Praefecti Apostolici regunt suum territorium iurisdictione ordinaria vicaria, cuius ambitus est idem atque potestatis episcopi residentialis, « nisi quid Apostolica Sedes reservaverit » (c. **294**, § 1).

Etiam ii qui charactere episcopali carent, fere omnes ordinis actus peragere possunt, qui ordinem episcopalem iure divino non requirunt (cf. c. 294, § 2).

Haec potestas est *ordinaria*, quia officio iure annectitur (cf. cc. 197. 198) ; *vicaria*, quia non proprio nomine, sed nomine R. Pontificis exercetur. Id eruendum est : quod ad Vicarios, ex ipso nomine ; quod ad Praefectos, ex similitudine potestatis cum Vicariis ; quod ad utrosque, e c. 198 et e collatione cum munere Vicarii generalis.

2. Vicarii et Praefecti Apostolici, si eo indigeant, nominare possunt *Vicarium delegatum*, « cui practice concessa sit omnis iurisdictio in spiritualibus et temporalibus, qua ex Codice I. C. uti potest Vicarius generalis *in dioecesi* », sc. ad normam c. 368 (3).

Quia tamen non est Vicarius generalis stricte dictus, « non efficit unam personam vel unum tribunal cum Vicario vel Praefecto Apostolico ; nec, cessante vel suspensa iurisdictione Vicarii vel Praefecti Apostolici, eius iurisdictio cessat vel suspenditur » (4).

---

(1) *S. C. de P. F.*, 3 mart. 1766 (*Coll. P. F.*, n. 463).
(2) Commentarii, qui in hoc capite sequentur, plerique ex A. VERMEERSCH, *Per.* IX, 19), ss., desumpti sunt.
(3) Epist. S. C. *de P. F.*, 8 dec. 1919.—AAS, XII, 1920, 120.—*Per.* IX, (24) ; X, 199.
(4) VERMEERSCH, *Per.* IX, (25).

B. DE EXERCITIO POTESTATIS ORDINIS

367. - Qui charactere episcopali praediti sunt, omnia possunt quae alii episcopi. Hic ergo recensemus quaenam possint qui isto charactere carent.

Etiamsi charactere episcopali careant, possunt :

1° Administrare *confirmationem*, sed tantum durante munere et intra fines territorii (c. 782, § 3).

2° Durante munere et in proprio territorio *primam tonsuram* et *minores ordines* conferre tum propriis subditis tum legitime ad ipsos dimissis ; aliter factae ordinationes *nullae* forent (c. 957, § 2).

3° *Indulgentias* 50 dierum concedere (c. 294, § 2). Observes, ex c. 913, facultatem istam ab ipsis delegari non posse ; nec indulgentias esse defunctis applicabiles. Ex analogia canonis 349, § 2, capta supponitur muneris possessio.

4° Uno ex sollemnioribus per annum diebus, *benedictionem papalem* cum indulgentia plenaria in suo vicariatu vel praefectura impertiri (c. 914).

Sollemnior dies est festum quod vel *per se*, e calendario Ecclesiae, ut Pascha, Pentecostes, Assumptio, Natalis Domini, vel ex circumstantiis loci speciali pompa celebratur : festum SS. Cordis, festum patrium, sicut, in Statibus Unitis Americae, dies dicta *Thanksgiving day*.

5° Intra sui territorii fines, et perdurante munere, omnes *benedictiones* episcopis *reservatas*, una pontificali (per triplex crucis signum) excepta, impertiri ; calices, patenas et altaria portatilia cum oleis ab episcopo benedictis consecrare (c. 294).

Ecclesiae tamen consecratio, non item sollemnis benedictio vel reconciliatio, ei reservatur qui charactere episcopali auctus est ; sed, si eo carent, cuilibet episcopo sui ritus licentiam dant consecrationem peragendi. Cfr. c. 1155.

C. DE EXERCITIO POTESTATIS IURISDICTIONIS

368. - I. *De potestate in clerum.*

1. In omnibus fere missionibus, clerus maximam partem constituitur sacerdotibus qui ad religionem vel societatem pertinent cui missio a S. S. est concredita. His accedunt quandoque sacerdotes directe a S. C. de P. F. missi. Quos omnes Vicarius et Praefectus recipere debent. — Quatenus eis de legitima missionarii deputatione non constat, litteras eius patentes petere possunt ac debent, antequam eum admittant (c. 295, § 1). Crescit in dies numerus sacerdotum indigenarum.

Religiosi a suo Superiore generatim ita „praesentabuntur ut litteras ab ipsis exigere inutile sit. Ius tamen et officium est Ordinarii etiam a religiosis exemptis testimonium exigere quo fides legitimae deputationis fiat.

2. Licentia exercendi sacri ministerii omnibus, etiam exemptis a

Vicario aut Praefecto impetranda est. Negari vero nequit, nisi singulis et gravem ob causam (c. 295, § 2).

Nulla enim Religio sine auctoritate Apostolica in missionibus constituitur : quae semel constituta ius habet ut operibus sui Instituti vacet.

3. « Etiam missionarii regulares subiciuntur Vicarii et Praefecti Apostolici iurisdictioni, visitationi et correctioni in iis quae pertinent ad missionum regimen, curam animarum, sacramentorum administrationem, scholarum directionem, oblationes intuitu missionis factas, implementum piarum voluntatum in favorem eiusdem missionis » (c. 296, § 1).

De quo canone haec observanda sunt : *a*) In puncta disciplinae religiosae, solus Superior religiosus per se inquirere potest ; solus, si casus ferat, subditum punire vel corrigere (Cfr. c. 296, § 2 et c. 630, § 2). — *b*) Etsi Superior religiosus ius cumulativum habet cum Vicario vel Praefecto Apostolico, si aliter a Superiore, aliter a Vicario vel Praefecto decerni contingat, horum decretum exsequendum est. — *c*) Nihilo minus, cum agitur de remotione ab officio, religiosus removeri potest ad nutum sive Vicarii vel Praefecti, monito Superiore, sive Superioris religiosi, monito Vicario vel Praefecto. Cfr. decr. 18 ian. 1886 et c. 454, § 5. — *d*) Ius correctionis per se continet ius punitionis, etiam per censuras. Cfr. cc. 2220. 2226. 603, § 2. Sed attendendae sunt immunitates speciales a poenis quas, ex Ordinis privilegiis, Regulares participare possunt. — *e*) Oblationes factae *intuitu missionis* sunt oblationes factae intuitu vicariatus vel praefecturae, aut intuitu operis quod iurisdictioni seu potestati administrativae Vicarii vel Praefecti Apostolici est obnoxium ; non autem oblationes factae indistincte pro operibus quae Institutum religiosum in missionibus exercet. Prudenti discretione hic opus est.

In casu conflictus inter praecepta Vicarii vel Praefecti et Superioris religiosi, illis est obtemperandum, nisi peculiaria statuta *a S. Sede probata*, potestatem Vicarii vel Praefecti restringant. Recursus contra decreta Vicarii et Praefecti *in devolutivo* conceditur (c. 296, § 2).

Statutum peculiare esset conventio quaedam inter Ordinarium loci et Superiores religionis, qua prior alterius definitioni quaedam ad sacrum ministerium pertinentia permitteret. etc. Huiusmodi statutum a S. Sede probandum est.

4. Vicarii et Praefecti Apostolici religiosos omnes, etiam exemptos, ad animarum curam exercendam cogere possunt (c. 297).

S. Sedes pluries declaravit obligationem exercendi curam animarum religiosis incumbere, non e caritate tantum sed titulo *iustitiae* (1). Haec obligatio iustitiae ad ea se extendet tantum quae missionarius vi *accepti muneris* facere debet ; v. g., nisi sit quasi-parochus, celebrare pro populo e iustitia non tenetur.

Exercitio huius potestatis tres condiciones apponuntur :

1° Ut deficiant e clero saeculari sacerdotes ;

Vicarii vel Praefecti est de sufficientia cleri iudicium ferre.

2° Ut religiosi vicariatui vel praefecturae sint addicti ;

(1) Cf. praesertim Instr. S. C. P. F., 30 sept. 1848 « ... ma anche ex iustitia, tal che possano esservi costretti dai Vicari Apostolici ».

Addictus vicariatui non est religiosus quem Superiores ad negotia religionis exercenda, v. g. Superioris vel magistri in collegio exempto in missionem miserunt

3° Ut salva maneant peculiaria statuta a S. Sede probata.

Potest enim fieri ut domus religiosa, v. g. abbatia monachorum ea lege constituatur, ut claustris exire nullo praetextu vel causa debeant.

De ista ad curam animarum deputatione audiendus est Superior religiosus. Ut supra diximus, iste potest, quin motiva Vicario vel Praefecto communicet, suum religiosum a *certo* munere parochiali removere.

5. Discidia et controversiae oriri possunt sive inter singulos sive inter diversas religiones sive inter missionarios et alios quoslibet (c. 298).

1° Si obiectum controversiae est ius vel obligatio ad curam animarum pertinens, Vicarii ac Praefecti est eam solvere, sive concilianda sit amicabili compositione sive modo decretorio.

A decreto datur recursus ad S. Sedem in devolutivo.

2° Si de alia materia agatur, quoties controversia inter religiosos eiusdem religionis non est, Vicarius vel Praefectus est iudex primae instantiae (c. 1579, § 3).

369. - II. *Summa exercitii iurisdictionis ordinariae.*

E principio canonis 294 supra relato, haec Vicario Apostolico et Praefecto Apostolico definite, praeter alia ascribuntur : *a)* In foro interno *approbant, pro confessionibus* audiendis, sacerdotes tam saeculares quam regulares, idque post examen vel sine examine, additis vel omissis consuetis restrictionibus ; in eodem foro sibi *reservare casus* possunt ; et *casus* iure communi reservati Ordinariis locorum, in vicariatu et praefectura Apostolica sunt reservati Vicario et Praefecto. — *b)* Subditis *sacramenta conferre* possunt, non excepto ordine sacro, dummodo potestatem ordinis habeant, et, quatenus oportet, titulo ordinationis eos munitos norint vel munire possint. — *c) Preces* publicas, *ieiunia* et *festa* accidentaliter imperare possunt, et reliqua peragere quae ad cultum divinum augendum et conservandum inter fideles sibi commissos conferunt. Sic ad ipsos spectant quaecumque competunt episcopis residentialibus circa imagines sacras, reliquias sacras (v. g. recognoscendas), processus de novis miraculis, de martyribus, de causis beatificationis. — *d) Statuta* pro vicariatu vel praefectura Apostolica condere et abrogare possunt, idque, in Vicariatu, extra vel intra synodum, quam proin convocare possunt. — *e)* Personas sibi subditas *praeceptis et censuris ligare* et coercere possunt. Quae episcopus potest clericis praescribere vel vetare, eadem possunt Vicarius et Praefectus Apostolicus. — *f)* In foro externo *causas ecclesiasticas* S. Sedi non reservatas in prima instantia iudicare, vel aliis clericis eadem iudicia delegare possunt : quod valet de causis matrimonialibus. Quare, quamvis canones 1573 ss. solis episcopis expresse imponant designationem officialium iudicialium, ex ipsa rei natura tamen, debent Vicarius et Praefectus Apostolicus. prout copiam habent, curare ut, si causa inciderit, haec rite ab ipsis iudicari possit. — *g)* In *delicta* fori ecclesiastici, inquisitione, iustis poenis, salva debita personarum exemptione, animadvertere possunt. — *h) Bonorum ecclesiasticorum* quae ad exemptos seu religiosos non pertinent, sunt curatores et administratores. Sunt quoque exsecutores nati legatorum piorum.

370. - *De potestate delegata.*

Praeter potestatem *ordinariam,* Vicarius Apostolicus et Praefectus

Apostolicus obtinent per S. C. *de P. F.* amplas facultates *delegatas*, quarum plerasque subdelegare possunt, sicut in ipsis facultatum foliis indicatur (cf. infra, in Appendice).

Verum, quod bene attendendum est, suis subdelegatis novam subdelegandi istas facultates potestatem concedere nequeunt. Canon enim 199, qui permittit ut delegata a S. Sede potestas iurisdictionis, per se, etiam habitualiter subdelegari possit, § 5 iteratam subdelegationem negat, « nisi id expresse concessum fuerit ». Iam vero, huiusmodi concessio nec in Codicis canonibus nec in facultatum formulis continetur (Cf. supra, n. 277, 2).

Quocirca, integrum quidem est Vicario vel Praefecto Apostolico facultates suas cum omnibus missionariis *directe*, sive simpliciter sive in his atque illis adiunctis communicare, sed non possunt facultates suas tribuere v. g. Superioribus stationum, cum potestate easdem in casibus particularibus iterum subdelegandi. Vicarius delegatus, cum facultates istas non a Vicario vel Praefecto, sed directa S. Sedis concessione obtineat (nomine enim Ordinarii venit), eas sicut Vicarius vel Praefectus subdelegare potest (cf. *Per.* XI, (70), ss.).

Facultates tribus formulis exstant, quarum secunda et tertia duplicem formam habent, maiorem et minorem. Iuxta distantiam et necessitates regionum conceduntur : in iisdem autem regionibus, formulae maiores iis qui charactere episcopali insigniuntur, minores aliis Ordinariis obtingunt.

II. DE OBLIGATIONIBUS VICARII ET PRAEFECTI APOSTOLICI

Recensemus hic obligationes in hoc capite Codicis propositas. Aliae plures e diversis Codicis partibus addendae sunt, v. g. emittendi professionem fidei coram delegato ab Ap. Sede (c. 1406, § 1, 3°).

371. - *De visitatione ad Limina.*

Vicarius Apostolicus (non autem Praefectus) debet, sicut episcopus, singulis aut alternis quinquenniis *sacra Limina visitare* ; et quidem in anno quo relationem exhibere debet. Huic tamen obligationi, si graviter ipse impeditus est, satisfacere potest (nulla impetrata dispensatione) per procuratorem etiam in Urbe degentem (cc. 299 et 341).

372. - *De relatione quinquennali.*

Singulis quinquenniis, plena et accurata *relatio de statu* vicariatus et praefecturae secundum formulam a S. Sede praestitutam, S. Sedi exhibenda est. Si tamen annus mittendae relationis inciderit ex toto vel ex parte in primum biennium ab inita administratione, Vicarius et Praefectus Apostolicus, pro ea vice, conficienda et exhibenda relatione abstinere possunt (c. 300. 340).

Quinquennia sunt fixa et communia, ita ut Vicarius et Praefectus Apostolicus totius Americae et insularum adiacentium relationem annis 1934, 1939, 1944, etc., Vicarius et Praefectus Apostolicus Africae, Asiae, Australiae et insularum adiacentium, annis 1930, 1935, 1940, etc. relationem mittere debeant.

Relatio scripta esse debet ; et tum a Vicario vel Praefecto Apostolico, tum ab uno saltem e consiliariis, de quibus infra (n. 375), subscribenda est.

Nova relationis quinquennalis formula a S. Congr. *de P. F.*, d. 16 apr. 1922 data est (1).

Sub cuiusque autem anni exitum iidem « ad S. Sedem mittant elenchum seu numerum conversorum, baptizatorum, annuaeque sacramentorum administrationis una cum aliis notatu dignioribus » (c. 300, § 2).

Ad conficiendum hunc elenchum proderit « Compendium notionum circa statum missionum », quod tamquam appendix formulae relationis subiungitur (2).

373. - *De lege residentiae.*

In suo vicariatu vel praefectura *residere* debent, nec ab ea per notabile tempus, inconsulta S. Sede, abesse possunt (**c. 301**, § 1).

Argumentando ex canone 338, de episcopis, notabile tempus aestimamus ad duos vel tres menses per annum, continuos vel intermissos. Benignius VROMANT, *Ius mission.*, II, n. 174 istud tempus ad tres menses protrahit.

374. - *De visitatione sui territorii.*

Regionem sibi concreditam debent per se aut impediti per alium *visitare*, quandocumque sit opus (c. 301, § 2). Spatium ergo temporis non definitur.

375. - *De consilio constituendo.*

Consilium, ex tribus saltem antiquioribus et prudentioribus missionariis, constituere debent. Communis tamen deliberatio, per se optanda, non exigitur ; sed in gravioribus et difficilioribus negotiis, et certe per epistolam, consultorum sententiam audiant. Suffragia igitur sunt mere consultiva (**c. 302**).

Debet v. g. audiri consilium, cum Ordinarius quasi-parochos e clero saeculari nominat (c. 457).

376. - *De coetibus missionariorum habendis.*

Postulatur, quantum copia opportuna habeatur, *annua* minimum *congregatio* saltem praecipuorum missionariorum proprii territorii, cum saecularium tum religiosorum, ut Vicarius et Praefectus singulorum experientia et consiliis iuventur (**c. 303**).

377. - *De archivo.*

In loco tuto et commodo constitui debet vicariatus et praefecturae *archivum*, in quo instrumenta et scripturae quae spiritualia et temporalia vicariatus seu praefecturae negotia spectant, apte disposita et diligenter clausa custodiantur.

---

(1) AAS, XIV, 1922, 287. — *Per.* XI, 86, ss.

(2) *Per.* XI, 101.

Cum omni diligentia inventarium conficiatur seu catalogus documentorum quae in eo continentur, cum brevi synopsi singularum scripturarum. Quotannis, primo bimestri, inventarium compleatur. Scripturae fortasse distractae et dispersae, sedula cura restituendae sunt. Nec permittendum est ut scripturae diu aut sine syngrapha, ab auferente signata, auferantur.

Alterum praeterea *archivum secretum* constituendum est, vel saltem in communi archivo armarium seu scrinium clausum et obseratum, quod de loco amoveri nequeat, providendum est. In eo cautissime servandae sunt scripturae secretae (c. **304**, § 1).

Singulis vero annis, quam primum comburantur documenta causarum criminalium in materia morum, quarum rei vita cesserint, vel quae a decennio sententia condemnatoria absolutae sunt, retento facti brevi summario cum textu sententiae definitivae. — Huius quoque archivi catalogus conficiendus est.

378. - *De synodis et Conciliis habendis.*

Synodus vicariatus apostolici haberi iubetur; nullum tamen praefinitur tempus pro synodi celebratione, ita ut iudicium de tempore opportuno prudenti arbitrio Vicarii Apostolici relinquatur (c. 304, § 2).

De synodo *praefecturae* tacet Codex. P. Vermeersch censet in ea formalem synodum haberi non posse.

Deficiente provincia ecclesiastica, de *Concilio provinciali* agi nequit, ita ut pars canonis 304 quae sermonem habet de istis Conciliis in regionibus S. C. *de P. F.* subiectis, respiciat regiones ubi, sicut in Indiis, episcopi residentiales iam constituti sunt. Nihil tamen impedit quin Vicarii et Praefecti unius regionis, conventus celebrent ad deliberandum de communibus utilitatibus. Sed conventus iste collectiva iurisdictione carebit, nisi, licentia obtenta S. Sedis, pro vero Concilio regionali haberi possit.

379. - *De clero indigena formando.*

Sub gravi inculcatur cura praeparandi *clericos* et sacerdotes *indigenas* (c. **305**).

Quantum haec cleri indigenae institutio S. Sedi cordi sit testantur tot documenta de hac re data. Cf. v. g. C. *Speculatores*, Clementis IX, 13 sept. 1669; Instr. S. C. *de P. F.*, 23 nov. 1845 (*Coll. P. F.*, n. 1002); Leonis XIII Ep. encycl. *Ad extremas Orientis*, 24 iun. 1893; Benedicti XV, Epist. *Maximum illud*, 30 nov. 1919 (1) et Epist. ad R. P. D. Pisani, 15 oct. 1922 (2); *Litt. circulares*, S. C. *de P. F.*, 20 maii 1923 (3).

Pro regionum varietate, spes proximior affulget vel diutius differenda est; non ideo tamen sollicitudo exuenda, cum apud ipsos Nigritas Africae iam sacerdotes sint et ferventes religiosae.

De hoc argumento praesertim consulendae sunt Litt. encl. Pii PP. XI « *Rerum Ecclesiae.* », d. 28 febr. 1925 (4).

(1) AAS. XI, 1919, 440. — *Per.* X, 20.
(2) AAS, XIV, 1922, 7. — *Per.* XI, 1.
(3) AAS, XV, 1923, 369. — *Per.* XII, 114.
(4) AAS, XVIII, 1926, 6. — *N. R. Th.*, 1926, 373.

380. - *De missa pro populo.*

Applicatio missae pro populis sibi commissis, quae antea, v. g. resp. S. C. *de P. F.*, 16 aug. 1866, decenti caritati ascribebatur, iam a Vicario et a Praefecto Apostolico facienda praecipitur, saltem in sollemnitatibus Nativitatis Domini, Epiphaniae, Paschatis, Ascensionis, Pentecostes, sanctissimi Corporis Christi, Immaculatae Conceptionis et Assumptionis B. M. V., S. Ioseph eius sponsi, Sanctorum Apostolorum Petri et Pauli, Omnium Sanctorum. Id est, omnibus festis praeceptis extra Dominicam, excepto festo Circumcisionis, et additis Dominicis Paschatis et Pentecostes (**c. 306**).

Servandum dicitur praescriptum c. 339, § 2 ss. — Cum obligatio annectatur officio, tenet ex ipsa iustitia. Si quaeras tamen utrum necne Vicarius vel Praefectus Apostolicus, personaliter, v. g. infirmitate impediti, debeant soluto stipendio celebrationem per alios procurare, responsum damus quod de ipsis episcopis residentialibus et parochis valere putamus. Id est, si onus est annexum beneficio vel aliqua stipendii ratione obligatio litandi pro populo compensatur, haec erit, etiam soluto stipendio, per alium implenda, vel, si omissa fuerit, supplenda. Si autem, ut plerumque, Vicarius et Praefectus Apostolicus munere gratis funguntur, non videntur pecuniam solvere debere, ut per alium personalis eorum obligatio exsecutione compleatur.

381. - *De servando clero.*

Maximam partem cleri in vicariatibus et praefecturis constituunt religiosi sive exempti, sive non exempti aut sacerdotes a S. C. *de P. F.* missi, qui titulo missionis ordinati sunt et iusiurandum de servitio missionis praestiterunt. — Cum S. Sedes ministerium istorum determinaverit, non licet Vicariis et Praefectis, inconsulta Sede Apostolica, iis concedere facultatem in *perpetuum* deserendi vicariatum vel praefecturam, vel alio transeundi, aut eos expellere (**c. 307**, § 1) : religiosi autem qui a suis superioribus missioni ascribuntur, ab his quoque revocari possunt. Ne tamen fideles ex modo agendi missionarii grave detrimentum capiant, « in casu publici scandali possunt ipsi, audito suo Consilio, et si agatur de religiosis, praemonito, quantum fieri potest, Superiore, missionarium statim removere, facta tamen illico certiore Apostolica Sede » (c. 307, § 2).

Suffragium Consilii in hac re non est deliberativum.

382. - III. *De privilegiis honorificis* (**c. 308**).

1. « Vicariis et Praefectis, charactere episcopali auctis, privilegia honorifica competunt, quae ius concedit episcopis titularibus ».

Notanda sunt praesertim privilegia sibi suisque familiaribus eligendi confessarium, amplissima iurisdictione donatum ad normam c. 239, § 1, 2° ; celebrandi unam Missam in f. V maioris hebdomadae (cc. 239, § 1, 4° et 349, § 1, 1°) ; celebrandi in mari, debitis cautelis adhibitis (cc. 239, § 1, 8° et 349) ; etc.

Privilegia ista initium habent ab accepta authentica notitia cano-

nicae provisionis. Usui igitur iam erunt v. g. in itinere ad capiendam territorii possessionem.

2. Qui charactere episcopali carent, habent, durante munere et in proprio territorio, insignia et privilegia Protonotariorum apostolicorum de numero participantium (c. 308). Cf. nn. 201. 396, II, 2°.

N. B. Quia non sunt in propria dioecesi : nec cathedralem ecclesiam habent vel capitulum canonicorum ; — nec honorarios canonicos instituere possunt (S. C. *de P. F.*, 27 nov. 1858. Coll. Parisiensis, n. 29) ; — nec, dum sacris sollemniter operantur, septimum candelabrum accendendum est ; — nec crux ante ipsos ferenda est ; — nec anniversaria eorum consecrationis dies oratione in missa commemoranda est ; — neque sine speciali S. S. concessione in canone (1) nominandi sunt. Cf. *S. R. C.* resp. 8 mart. 1919. (AAS, XI, 145. — *Per.* X, 81) ; — sed, ex facultatum formula I, n. 28, pontificalis sub aulaeo sedes (thronus) ipsis paranda est et cappam magnam induere possunt ; — et in versiculo precum « Oremus pro antistite nostro *N.* » nominandi sunt.

III. DE ADMINISTRATIONE SEDIS VACANTIS VEL IMPEDITAE

383. - *De designatione personae* (c. 309).

Sede impedita vel vacante, vicariatus vel praefecturae regimen assumit Coadiutor cum iure successionis a S. Sede datus aut Pro-vicarius vel Pro-praefectus a Vicario vel Praefecto ad id deputatus aut, hoc deficiente, clericus a Pro-vicario vel Pro-praefecto electus aut, si nullus administrator nominatus fuerit, senior in vicariatu vel praefectura.

1. Nisi Coadiutor cum iure successionis adsit, Vicarius vel Praefectus debet, ubi primum in territorium advenit, Pro-vicarium vel Pro-praefectum nominare. — Pro-titularis eligi potest e clero saeculari vel regulari ; vivente et libero titulari, ea tantum potestate gaudet quae ipsi expresse fuit concessa, ita ut omnem iurisdictionem, si idem sit Vicarius delegatus, detineat aut nullam specialem habeat. Sede impedita vel vacante, supremum regimen assumit Pro-titularis, non Vicarius delegatus, contra atque in dioecesi accidere solet. Statim ac regimen assumpsit, Pro-vicarius vel Pro-praefectus debet deputare clericum qui sibi, eodem modo, in munere succedat.

2. Senior qui, deficiente omni Pro-titulari, regimen assumit, is est qui suas destinationis litteras prior exhibuit aut a Vicario vel Praefecto est approbatus. Si plures eodem die litteras ostenderint, senior sacerdotio, si plures sacerdotes eodem die ordinati sunt, senior aetate officium assumit (cf. c. 106, 3°).

Si de antiquitate approbationis *dubium* serium exsistat, inter eos de quibus dubitatur, senior sacerdotio regimen assumat. Qui propter infirmitatem *certo* regiminis assumendi incapax est, sponte renuntiare potest aut neglegi potest.

384. - *De munere administratoris.*

1. Administrator de sede vacante vel impedita S. Sedem statim monebit (c. 310, § 1).

(1) Cf. C. JARRE, OFM, in *Antonianum*, 1928, 191 ss. ; 321 ss.

2. Potest uti omnibus facultatibus quae Vicario vel Praefecto competunt, nisi quae ob industriam personae concessae fuerint (**c. 310**, § 2).

Potest igitur uti facultatibus *habitualibus* Vicario vel Praefecto non ad casum *specialem* concessis.

Potestas eius qui est a Vicario, Praefecto, etc. nominatim designatus, *ordinaria vicaria* est ; eius qui illis deficientibus instituitur, *delegata* (cf. c. 309, § 4).

Observes facultatem administrandi confirmationem vel conferendi minores ordines aliis demandari non posse, « nisi id expresse fuerit iure vel indulto concessum » (c. 210). — Sed administrator episcopum quemlibet ad haec sacramenta conferenda delegare possit.

3. *De cessatione muneris.*

Etiamsi quis administrator ad tempus determinatum constitutus est, regimen cum omnibus facultatibus servare potest et debet, « donec successor canonicam sui muneris possessionem ceperit » (**c. 311**).

Caput IX. - De Administratoribus apostolicis

(cc. 312-318)

Scriptores : Wernz, II, n. 698, ss. — Ayrinhac, *Constitution of the Church*, p. 132, ss. — Blat. O. P., *Commentarium textus*, II, in h. cc. — Toso, *Comm. min. in h. cc.* — Wernz-Vidal, S. I., *Ius canonicum*, II, nn. 556-560 (1).

385. - Administrator Apostolicus est clericus, plerumque charactere episcopali insignitus, cui S. Sedes, ob causas graves et speciales, regimen dioecesis canonice erectae, sede plena aut vacante, committit (**c. 312**).

Causae graves sunt, *sede plena*, si episcopus male gubernet, sui compos non sit, a gubernio in regimine impediatur, etc. ; *sede vacante*, dissensiones graves in Capitulo, electio indigni, discidia politica, etc. Quae de sede vacante dicuntur. valent quoque cum episcopus mentis compos non est aut in dioecesi commorari vel iurisdictionem exercere prohibetur.

Administratores alii *ad tempus*, v. g. vitae episcopi amentis, alii *permanenter* vel *in tempus indefinitum* constituuntur. Cf. institutionem Administratoris *ad nutum S. Sedis* in parte dioecesis Vratislaviensis quae Poloniae addicta est. AAS, XIV, 1922, 598.

386. - Quilibet Administrator Apostolicus, ut canonicam administrationis possessionem capiat, litteras nominationis, sive per se sive per procuratorem, ostendere debet Capitulo cathedrali, « praesente Secretario Capituli et Cancellario curiae, qui rem in actis referat » ; praeterea episcopo, si is sui compos sit et in dioecesi commoretur (**cc. 313. 334, § 3**).

Necessitas ostendendi litteras Capitulo, sede vacante, per se intelligitur ; sede autem plena, iam inde oritur quod constitutione Administratoris iurisdictio

---

(1) Cf. CE, v° *Administrator.*

episcopi et Vicarii generalis suspenditur (cf. c. 316, § 1) et Capitulum Administratori suam opem praestare debebit.

387. - 1. Iura, officia ac privilegia Administratoris ex litteris deputationis generatim dignoscuntur. Attamen Codex quaedam de iis statuit valitura, nisi aliud in litteris deputationis expresse definiatur (**c. 314**). Distinguantur casus Administratoris permanenter aut ad tempus constituti.

Administrator *permanenter* constitutus cum « iisdem iuribus... fruatur, ac episcopus residentialis » (c. 315, § 1) et episcopum suppleat potius quam sit Vicarius R. Pontificis, ius constituendi Vicarium Generalem, iuxta P. Vermeersch sententiam, habere videtur. Id negat P. Vidal (*Ius canon.*, II, n. 636), fretus textu can. 198, § 1, collata epist. S. Congr. de P. F., 8 dec. 1919, quae videntur solis episcopis residentialibus, Abbatibus et Praelatis *nullius* hoc ius concedere.

2. Administrator *permanenter* constitutus *in omnibus* episcopo residentiali aequiperatur (**c. 315**, § 1).

Debet ergo celebrare pro populo ad normam c. 339.

3. Si Administrator *ad tempus* datus sit :

1° Quod ad *iura* et *officia*, assimilatur Vicario Capitulari.

In duobus discrimen notatur si constitutus est sede plena : *a*) habet ius visitandi dioecesim ad tramitem iuris ; *b*) non debet celebrare pro populo.

Prior exceptio e suspensione iurisdictionis episcopi explicatur ; altera, quia obligatio celebrandi pro populo personale episcopi officium est ; quod si sui compos non sit, missa pro populo donec S. Sedes aliter providerit, non celebrabitur ; si impeditus tantum, curet ut per alium officio satisfaciat.

2° Quod ad *privilegia honorifica*, triplex casus considerari potest : *a*) Administrator episcopali charactere insignitus privilegiis honorificis episcopi titularis gaudet (cf. n. 414) ; *b*) secus, privilegiis Protonotarii Apostolici de numero participantium (cf. nn. 201. 396, II, 2°) ; *c*) si episcopus administrat dioecesim a qua ad aliam est translatus, servat omnia privilegia honorifica episcopi residentialis (c. 315, § 2, 2°).

388. - Administrator totam iurisdictionem, nisi aliud expresse statuatur, solus obtinet et exercet, suspensa iurisdictione episcopi, si quis fuerit, eiusque Vicarii generalis; attamen causae *personales* episcopi, sive criminales sive civiles, potestati Administratoris non subiciuntur, neque is Vicarium generalem ob acta praeteritae administrationis ullo modo punire potest (**c. 316**).

389. - Administratore impedito aut deficiente : 1° S. Sedes statim

(1) *Per.* XIII, (15), Cf. AAS, XII, 1920, 120. — *Per.* X, 199.

monenda est ; 2° regimen dioecesis, sede vacante, ad Capitulum devolvitur, a quo Vicarius Capitularis erit constituendus (cf. c. 429, ss.) ; sede plena, exercetur ab episcopo si sui compos fuerit neque aliud a S. Sede praestitutum fuerit (c. 317).

390. - Iurisdictio Administratoris cessat cum episcopus canonicam dioecesis possessionem legitime cepit (c. 318, § 2) ; praeterea, legitima renuntiatione a S. Sede acceptata ; elapso tempore a S. Sede definito ; non autem obitu R. Pontificis aut episcopi (ibid. § 1).

Caput X. - De Praelatis inferioribus

(cc. 319-328)

Scriptores : WERNZ, II, n. 815, ss. — AYRINHAC, *Constitution of the Church*. p. 136, ss. — TOSO, *Comm. minora* in h. cc. — WERNZ-VIDAL. S. I., *Ius canonicum*, II, nn. 561-570.

391. - Praelati inferiores seu minores (1) dicuntur clerici qui per se ordine episcopali non insigniti, iurisdictionem ordinariam, episcopali similem, in foro externo obtinent. His addendi sunt clerici qui mere titulum praelaticium habent (cf. c. 110).

Cum plerique S. Pontificis familiares praelaticio titulo ornentur, in fine huius capitis, paucis verbis de iis agitur (c. 328).

Praelati inferiores stricto sensu sunt :

1° Qui plena potestate ordinaria, etiam in foro externo, gaudent in populum et clerum certi territorii a quavis dioecesi separati. Quare dicuntur Praelati *nullius* (dioeceseos).

2° Superiores religionis clericalis exemptae, qui potestate ordinaria etiam in foro externo plena in suos religiosos, minus plena in familiares gaudent.

3° Qui potestate ordinaria etiam in foro externo, at non plena, gaudent in populum et clerum regionis in una vel pluribus dioecesibus sitae. Huius modi esse possunt supremi militum Cappellani.

I. DE ABBATIBUS ET PRAELATIS NULLIUS

392. - 1. *Notio.* Abbates vel Praelati nullius *definiuntur* Praelati « qui praesunt territorio proprio, separato ab omni dioecesi, cum clero et populo » (c. 319, § 1) (2).

Haec territoria diversis modis constituta sunt. Quaedam monasteria, condita in regione ubi nulla dioecesis canonice erecta erat, postea, condita dioecesi, cum certo territorio ab omni episcopi iurisdictione fuerunt exempta (exemptio

(1) Cf. c. 6, *de privilegiis* V, 7 in VI°.
(2) D. Th., v° Abbé. CE, v° Abbot.

nativa) ; in alia territoria Abbas vel Praelatus privilegio pontificio aut legitima praescriptione iurisdictionem prorsus independentem acquisivit.

Anno 1927, erant 39 abbatiae et praelaturae *nullius*, v. g. archiabbatia Montis Cassini, abbatia Einsiedlensis, S. Mauritii in Valesia, etc.

Horum Praelatorum alii charactere episcopali insigniuntur, alii non ; alii sunt benedicendi, non autem alii ; prioribus benedictio est condicio quorundam privilegiorum.

2. Canones sequentes respiciunt tantum territoria quae tribus saltem paroeciis constant ; alia singulari iure reguntur (c. 319, § 2).

393. - 1. *Institutio* Abbatis vel Praelati ad S. Sedem pertinet, quae alios libere nominat, alios legitime electos confirmat aut praesentatos instituit (**c. 320**, § 1). Candidati iisdem dotibus atque episcopi praediti sint oportet (c. 320, § 2) ; in electione, numerus absolute maior suffragiorum requiritur, nisi contrarium iure particulari statuatur (**c. 321**).

2. Abbas vel Praelatus capit legitime *possessionem officii* ostensis litteris nominationis Capitulo monasterii aut consultoribus, si agatur de praelatura saeculari, quae Capitulo careat (cf. c. 334, § 3) ; *benedictionem*, si requiratur, infra tres menses a receptis Apostolicis litteris, non impeditus, ab episcopo quem maluerit petere debet (**c. 322**).

Abbates et Praelati *nullius* non indigent, sicut alii, speciali S. Sedis mandato ad hanc benedictionem accipiendam (1).

394. - 1. Quod ad iurisdictionem et obligationes attinet, episcopo residentiali assimilantur. Si charactere episcopali careant, at sint ex praescripto iuris benedicti, praeter privilegia supra n. 367 recensita, possunt quoque ecclesias et altaria immobilia consecrare (**c. 323**), et Pontificalibus in suo territorio uti (**c. 325**).

2. In territorio *nullius*, *Capitulum* religiosum propriis legibus, Capitulum saeculare iure communi regitur (**c. 324**) ; ubi Capitulum deest, consultores eligendi sunt ad normam cc. 423-428 de consultoribus dioecesanis (**c. 326**). (Cf. infra n. 474).

395. - *Sede vacante*, iurisdictio ad Capitulum (nisi constitutiones Capituli regularis aliud ferant), dein ad Vicarium capitularem devolvitur (**c. 327**).

II. DE FAMILIA ROMANI PONTIFICIS

396. - « Circa R. Pontificis familiares, sive Praelati titulo gaudeant, sive non, standum privilegiis, regulis et traditionibus pontificiae domus » (**c. 328**).

---

(1) Cf. *Per.* X, 339.

Familia R. Pontificis est complexus clericorum et laicorum qui, servitio S. Pontificis addicti, varia munera et officia Palatii Apostolici obeunt aut, quadam assimilatione, obire censentur. Cum olim omnes in sacris Palatiis habitarent et nutrirentur, *familiares* seu *commensales* R. Pontificis vocabantur (1).

Praelati familiae R. Pontificis ad duplex genus pertinent, sc. qui verum munus vel officium perpetuum apud R. Pontificem obeunt ab eoque stipendium accipiunt (*Praelati palatini*) et illorum qui nullo munere vel officio stabili fungentes, titulo et privilegiis familiarium certo gradu fruuntur (*Praelati domestici*).

I. *Praelati palatini* nomen est genericum quo vocantur :

1° *Cardinales palatini*, sc. Datarius et Secretarius Status ;

2° Quattuor *Praelati palatini*, sc. Magister domus Papae (*Maggiordomo*) seu Praefectus S. Palatii Ap., Praefectus cubiculi S. Pontificis (*Maestro di camera*), Auditor Papae, Magister S. Palatii seu theologus R. Pontificis, semper ex Ordine S. Dominici ;

Officium Praefecti S. Palatii Ap. est communiter cardinalicium, i. e. ad dignitatem cardinaliciam proxime ducit.

3° *Cubicularii secreti S. Pontificis* in duas classes divisi, prout servitia ipsi personae S. Pontificis praebent vel aliis muneribus funguntur ;

4° Praefectus sacrarii apostolici, O. Er. S. Aug. ;

5° A secretis S. C. *Caerimonialis.*

II. *Praelati domestici* (*Prelati di mantelletta*) in duas classes dividuntur : priores in collegia coadunantur, quorum nomine vocantur ; alii sunt mere Praelati domestici. Quinque collegia sunt :

1° Episcoporum, etc. in *cappella* S. Pontificis *assistentium* ;

2° *Protonotariorum Apostolicorum*, qui ab anno 1905 in quattuor classes dividuntur (2), sc. Protonotarios de numero participantium (qui stricte dictum collegium Protonotariorum constituunt), Protonotarios supranumerarios (canonicos basilicarum patriarchalium Urbis Romae), Protonotarios ad instar participantium, Protonotarios titulares ;

Hoc ultimo titulo gaudent, durante munere, omnes Vicarii generales ordine episcopali non aucti (c. 371).

3° Votantium et Referendariorum Signaturae ;

4° Auditorum S. Rotae ;

5° Praelatorum camerae Apostolicae.

III. *Cubicularii intimi* (*Camériers*), clerici (*Prelati di mantellone*) vel laici (*di cappa e spada*, etc.).

IV. *Cappellani* varii quorum alii titulum praelaticium, alii nullum titulum habent.

---

(1) T. ORTOLAN, v° Cour romain (D. Th.). — BANGEN, *Die römische Curie.* — Mgr. BATTANDIER, *Annuaire pont.*, 1898, 214, ss. — 1900, 400, ss. — 1923, 591, ss.

(2) PIUS X. *motu pr. Multiplices inter*, 21 febr. 1905 (S. R. C. *Decr. auth.*, n. 4154).

V. *Familiares intimi* seu laici qui servitio personae S. Pontificis immediate addicuntur, v. g. eius medicus, etc.

VI. *Familiares inferiores*, ut sunt magistri ostiarii, cursores, etc.

His omnibus addi possunt milites S. Pontificis in quattuor agmina seu ordines divisi, sc. Custodes nobiles, helvetios, palatinos, et simplices custodes (*gendarmi*).

TITULUS VIII

DE POTESTATE EPISCOPALI DEQUE IIS QUI DE EADEM PARTICIPANT

397. - Christus Dominus, praeter R. Pontificem, episcopos, Apostolorum successores, Ecclesiae suae praefecit. — Iure *ecclesiastico* ipsis adiuncti sunt consiliarii et cooperatores qui, sive personaliter, ut Vicarius generalis, Decani et parochi, sive collegialiter, ut Capitulum cathedrale, eius auctoritatis fiunt participes.

Sub hoc titulo agitur primo de ipso episcopo (cap. I) ; dein de iis qui eum in negotiis totam dioecesim regulariter spectantibus adiuvant (cap. II-VI) ; vel eius locum tenent, sede vacante (cap. VII) ; tandem de aliis qui episcopo in variis dioecesis partibus operam praestant (cap. VIII-XI).

Caput I. - De Episcopis

(cc. 329-349)

Scriptores : Wernz, II, n. 730, ss. — Ayrinhac, *Constitution of the Church* p. 143, ss. — Blat, O. P., *Commentarium*, II, in h. cc. — Cocchi, C. M., *Commentarium*, t. 3, p. 171. ss. — Hilling, N., *Das Personenrecht* § 51. — Toso, *Comm. minora in h. cc.* — Wernz-Vidal, S. I., *Ius canonicum*, II, nn. 571-611.

398. - **Ordo Codicis.** In hoc capite, proposita episcopatus notione (c. 329, § 1), agitur primo de nominatione et de provisione canonica episcoporum (cc. 329, § 2, 333) ; dein de potestate in genere et de obligationibus in specie episcopi residentialis (cc. 334-347) ; postea de potestate et obligationibus episcopi titularis (c. 348) ; tandem de privilegiis episcoporum (c. 349).

Art. I. - Notiones

399. - **Definitio.** « Episcopi sunt Apostolorum successores atque ex divina institutione peculiaribus ecclesiis praeficiuntur quas cum potestate ordinaria regunt sub auctoritate R. Pontificis » (c. 329, § 1).

Episcopi eandem essentia potestatem ordinis et iurisdictionis atque Apostoli, non easdem praerogativas neque extensionem iurisdictionis obtinent. Etsi omnes catholici admittunt potestatem episcoporum *in genere* institutione Christi niti, disputant utrum iurisdictio *singulorum immediate* a Deo in consecratione an *mediate*, sc. per canonicam a R. Pontifice missionem, concedatur. In utroque casu certum est eam ita sub auctoritate R. Pontificis *exerceri* ut ipse suam

cuique episcopo dioecesim assignet et, causis quibusdam sibi reservatis, iurisdictionem episcoporum restringere possit (1).

Nomen ἐπίσκοπος (inspector, praefectus) in Novo Testamento cum voce πρεσβύτερος promiscue adhibetur ad designandos sacerdotes ecclesiis praepositos. Saltem a saec. III°, solos episcopos designat.

400. - Divisio. Episcopi dividuntur :

1. Praesertim in *residentiales* et *titulares*. Illi in populum certo territorio definitum iurisdictionem *actu* exercent ; istis assignatur ecclesia seu *titulus* territorii, in quo plerique homines sunt schismatici aut infideles ; ideoque illa territoria sub speciali missionum regimine constituuntur.

Decr. S. C. *de Prop. Fide*, 27 febr. 1882, suppressum est eorum nomen episcoporum *in partibus* (sc. infidelium).

2. In *suffraganeos exemptos*. *Suffraganei* regunt dioecesim pertinentem ad provinciam ecclesiasticam, cui praeest Metropolita ; *exempti* a R. Pontifice immediate pendent.

3. In episcopos *coadiutores* et *auxiliares*, qui residentiales episcopos in regimine adiuvant (cf. infra, n. 419, ss.).

Art. II - De concessione officii episcoporum (2)

401. - Creatio seu institutio episcopi variis actibus constat. Persona idonea postquam legitime designata est, debet missionem canonicam a R. Pontifice accipere et, si residentialis episcopus sit, canonicam sedis possessionem capere Praeterea consecratio episcopalis recipienda est.

Ipsa institutio episcopi, seu personae idoneae ad ecclesiam vacantem vocatio, soli R. Pontifici per se competit (c. 329, § 2).

Hoc sensu dicit c. 329 : « Eos libere nominat R. Pontifex ». Nominatio enim, ubi mere designationem personae ad sensum cc. 148, 149, significat, etsi iure communi a R. Pontifice fit, alias quoque formas admittit, ut statim dicetur.

402. - 1. **Designatio personae** potest fieri : *a*) libera *nominatione* a R. Pontifice, sive immediate sive post praeviam commendationem Haec est forma iuris communis ; *b*) *electione* a Capitulo, quam R. Pontifex confirmat ; *c*) nominatione seu *praesentatione* dignioris a principe vel episcopis vel clero.

Designatio fit praevia commendatione plurium (trium) ab episcopis comprovincialibus, sive solis, sive cum aliis clericis, in America septentrionali, in Anglia ; nominatione a rege, in Hispania ; electione a Capitulo, in pluribus Germaniae et Helvetiae dioecesibus, etc.

---

(1) Cf. PRÜMMER, *Manuale*, q. 119, not. 3.

(2) Cf. D. Th., v° Evêques (élection des). — D. Ap., v° Evêques. — CE, v° Bishop.

2. De idoneitate constare debet « secundum modum a Sede Apostolica determinatum » (c. 330).

De candidatis ad episcopale officium designandis, S. C. *Consistorialis* decreta recentiora edidit, v. g. pro Dominio Canadensi et insulis Terrae-Novae (1), pro Scotia (2), et pro Brasilia (3), etc.

Nimirum episcopi comprovinciales *quolibet biennio* sub initium quadragesimae Metropolitano suo vel seniori Archiepiscopo nomina sacerdotum indicare debent, quos e prudenti inquisitione aut personali scientia dignos episcopali ministerio existimant. Haec nomina, additis iis quae Metropolita velit, omnibus episcopis suffraganeis communicantur. Factis denuo sub strictissimo secreto investigationibus, episcopi post Pascha conveniunt, ut ad normam decreti de propositis candidatis primo disputent, dein secreta suffragia ferant (Cf. AAS, XI, 1919, 125, ss.).

3. Dotes in futuro episcopo requiruntur : *natales* legitimi, exclusis filiis mere legitimatis ; *aetas* saltem triginta annorum ; vitae *honestas* ; *prudentia* ad gubernandum et *doctrina* sufficiens (praeferuntur qui lauream doctoris vel licentiam in theologia vel iure canonico adepti sunt) ; *presbyteratus* saltem a quinquennio receptus (c. 331, § 1). Quae dotes in omni candidato requiruntur, quicumque sit modus vel auctor designationis personae (c. 331, § 2), et de illis dotibus iudicium « ad Apostolicam Sedem unice spectat » (c. 331, § 3).

In territoriis iuris communis, negotium committitur S. C. *Consistoriali* et, pro variis regionibus, *Secretariae Status* aut S. C. *pro negotiis extraordinariis* ; in locis missionum, S. Congregationi *de Prop. Fide*. Cf. supra nn. 324. 331.

Decretum S. C. *Consistorialis* pro Canadensi Dominio dotes paulo magis ita definit : « Candidati maturae, sed non nimium provectae aetatis esse debent ; prudentia praediti in agendis, quae sit ex ministeriorum exercitio comprobata ; sanissima et non communi doctrina exornati, et cum debita erga Apostolicam Sedem devotione coniuncta ; maxime autem honestate vitae et pietate insignes. Attendendum insuper erit ad capacitatem candidati quoad temporalem bonorum administrationem, ad conditionem eius familiarem, ad indolem et valetudinem » (AAS, XI, 1919, 126).

403. - *De provisione officii*. 1. Missio canonica, ad exercendam iurisdictionem necessaria, perficitur sive acceptatione cum libera collatione coniuncta, sive confirmatione electi vel praesentati (c. 332, § 1). — Collatio ipsa praeconizatione absolvitur.

Praeconizatio est proclamatio novi episcopi a R. Pontifice in Consistorio facta.

Ante canonicam institutionem, candidatus debet ipse, coram delegato S. Sedis, emittere professionem fidei cum iuramento antimoder-

(1) Decr. 19 mart. 1919 (AAS, XI, 1919, 124).
(2) Decr. 20 nov. 1920 (AAS, XIII, 1921, 13).
(3) Decr. 19 mart. 1921 (AAS, XIII, 1921, 222).

nistico (cf. c. 1406) et iusiurandum fidelitatis erga S. Sedem edere secundum formam ab Apost. Sede probatam (c. 332, § 2).

2. Promotus ad episcopatum debet : 1° « intra *tres* menses a receptis apostolicis litteris, *consecrationem* suscipere » (c. 333) ; graviter neglegens hanc obligationem fructus non facit suos et post tres alios menses episcopatu privatus ipso iure manet (c. 2398. — *Epitome*, III, n. 603).

2° Intra *quattuor* menses a receptis apostolocis litteris, ad suam dioecesim pergere, nisi sit suburbicaria (c. 333).

Art. - III. De potestate et obligationibus episcopi residentialis

§ 1. DE POTESTATE EPISCOPI RESIDENTIALIS

I. DE POTESTATE IURISDICTIONIS

404. - 1. « Episcopi residentiales sunt ordinarii et immediati pastores in dioecesibus sibi commissis » (c. 334, § 1).

Exprimitur simul natura potestatis et eius limitatio ; est enim ordinaria seu vi officii ipso iure divino et ecclesiastico obtenta, et immediata, ita ut potestas directe in singulos subditos conferatur, neque in appellatione tantum vel recursu exerceatur. Extra vero territorium episcopus iurisdictionem voluntariam exercere potest, iudicia instituere nequit.

Praeter potestatem ordinariam, quae vi officii ipsis competit, delegatam, quae praesertim facultatibus habitualibus obtinetur, a S. Sede per specialia *indulta* vel rescripta recipiunt.

2. *Validus* iurisdictionis usus requirit ex iure positivo, legitime captam dioecesis possessionem. Quae fit per ostensionem litterarum institutionis Capitulo (aut, si non habetur, Consultorum coetui), praesente secretario Capituli vel cancellario curiae.

Quare, ante captam legitime possessionem, non potest ponere ullum actum regiminis tamquam episcopus ; nam munere Vicarii capitularis, officialis vel oeconomi, si quo fungatur, post designationem ad dignitatem episcopalem non privatur (c. 334, §§ 2. 3).

Variis poenis plectitur episcopus qui regimen vel administrationem assumit, non legitime capta dioecesis possessione, et Capitulum quod eum illegitime admiserit (c. 2394. Cf. *Epitome*, III, n. 599).

405. - Iurisdictio episcoporum est, si *formam* eius exercitii respicias, legislativa, iudiciaria et coactiva (c. 335, § 1) ; eius autem *obiectum* continetur actibus quos imponit munus docendi fideles, regendi personas et administrandi res et bona territorii. Minus recte scriptores non nulli potestatem episcopi dividunt in potestatem magisterii, regiminis (quae legislativa, iudiciaria et coactiva sit) et administrationis.

Codex hoc loco paucis de potestate episcopi normis generalibus contentus esse potest, cum eius exercitium in singulis titulis pressius definire debeat. — Conspectum huius exercitii potestatis vide in Indice alphabetico, vv. Episcopus, Ordinarius loci.

1. Potestate legislativa episcopus potest condere statuta, etiam perpetua, *praeter* ius commune, quibus obligantur subditi in eius territorio. — Hanc potestatem exercet, sive in synodo, in qua solus legislator est, sive extra illam.

Quae leges « statim a promulgatione obligare incipiunt, nisi aliud in ipsis caveatur ; modus autem promulgationis ab ipsomet episcopo determinatur » (c. 335, § 2).

Plerumque leges et statuta episcopi promulgantur in synodo dioecesana (vel in conventu pro-synodali), cui omnes vicarii foranei seu decani interesse solent, vel etiam insertione in libellum periodicum officialem dioecesis.

Eadem potestate episcopus in legibus suis et decessorum suorum *dispensare* potest.

De vi statutorum, cum sint leges *particulares*, cf. supra, nn. 72. 82.

Episcopus nihil *contra* ius commune decernere potest, nec, per se, in legibus Ecclesiae *dispensare*. Quanam tamen dispensandi potestate, sive generali, sive speciali vi iuris, gaudeat, vide supra n. 161.

2. Potestas iudiciaria exercetur in dirimendis causis spiritualibus vel etiam ecclesiae temporalibus. — In sua enim dioecesi, iudex primae instantiae est loci Ordinarius (c. 1572).

Causae spirituales sunt v. g. in foro sacramentali, absolutio peccatorum ; in foro externo, suspicio haeresis, firmitas vinculi matrimonialis, censura publica, etc., dum causae temporales sunt per se omnes causae civiles in quibus clericus convenitur ; adde ex. gr. reditus mensae episcopalis vel seminarii, iura quaedam personarum propter domicilium, etc.

3. Potestate coactiva utitur quando poenas suis aut Ecclesiae legibus vel praeceptis annexas exigit aut, ad normam iuris, poenas ferendae sententiae infligit. — Servandae sunt normae quae praesertim cc. 2214, § 2 ; 2221-2223 ; 2247 (*Epitome*, III, nn. 401. 411. 446), exponuntur.

Hac triplici potestate uti debet ad promovendam disciplinam ecclesiasticam, removendosque omnes abusus qui in illam irrepere possint, ad tutandam doctrinae catholicae puritatem et mores christianos conservandos (c. 336, § 2).

406. - 1. Munus docendi fideles (c. 336, § 3) episcopus exercet sacra *praedicatione*, quae ipsi praecipue incumbit (Cf. c. 1327, ss.) ; promovendo et regendo *institutionem christianam* puerorum ac iuvenum in scholis et universitatibus (Cf. l. III, t. 22, *e scholis*, c. 1372, ss) ; *censura* et *prohibitione* librorum (cc. 1385, § 2 ; 1395).

2. Suprema administratio dioecesis ipsi committitur. Ideoque, potest v. g. clericos sacra ordinatione dioecesi ascribere (cc. 111, ss. ; 955, ss.) ; innovare vel supprimere officia et beneficia, eaque conferre (cc. 152. 366. 403. 1414, § 2 ; etc.) ; bona ecclesiastica administrare (cc. 1519, ss. ; 1545).

3. Cultum divinum in dioecesi sua, iuxta leges communes, peculiaribus statutis moderatur (cc. 1261. 1265, etc.) ; reliquias authenticas declarat (c. 1283) ; etc.

II. DE POTESTATE ORDINIS

407. - Episcopus ipsa ordinatione plenitudinem potestatis ordinis possidet, vi cuius omnia sacramenta conferre potest, quae hanc potestatem requirunt. Praeterea ordinarius minister est Confirmationis (c. 782) et consecrationum, quas semper valide peragere potest (c. 1147).

408. - 1. Quaedam functiones sacrae, ex legibus liturgicis, insignia pontificalia requirunt, i. e. baculum et mitram. Qui eas peragit *in iure* **dicitur pontificalia exercere (c. 337, § 2).**

Episcopus pontificalia exercet, « iuxta *Caeremoniale episcoporum* et *Pontificale Romanum*, praeterquam in Missae sollemni celebratione, in vesperis pontificalibus, in assistentia pontificali Missae et Officio chorali, in Ordinum collatione, in consecratione episcopi, in benedictione Abbatis, in velandis sacris virginibus, in coronatione regum, in consecratione campanarum, ecclesiarum, vasorum ; in benedictione primi lapidis coemeterii ; in reconciliatione ecclesiae vel coemeterii et in sollemni Confirmationis collatione » (1).

« Exercere pontificalia » non idem est ac « pontificalibus uti ». Nam « sub generico pontificalium nomine... intelliguntur duntaxat... caligae, sandalia... sericae item chirothecae, dalmatica, tunicella, annulus cum unica gemma, crux pectoralis sine gemma, mitra simplex ex tela alba cum sericis laciniis rubei coloris », non autem baculus (Cf. De Herdt, *Praxis pontificalis*, III, p. 501). — Protonotarii v. g. baculo pastorali uti non possunt.

2. Episcopus in *omni* ecclesia suae dioecesis, propria potestate, potest pontificalia exercere, cum throno et baldachino ; extra dioecesim vero, de consensu, saltem rationabiliter praesumpto, Ordinarii loci et, in ecclesia exempta, Superioris religiosi (c. 337, § 1). — Ad usum throni cum baldachino specialis episcopi loci licentia requiritur.

§ 2. DE OBLIGATIONIBUS EPISCOPI RESIDENTIALIS

409. - I. Residentia.

« Episcopi... tenentur lege *personalis* in dioecesi residentiae » **(c. 338, § 1).**

Abesse possunt, aequa de causa, ad summum per tres menses intra

(1) Cf. AAS, XVII, 1925, 245.

annum, sive continuos sive intermissos. Itinera propter visitationem ad Limina vel civile officium ecclesiae legitime adiectum, suscepta, intra vacationum tempus non computantur sed illi statim coniungi nequeunt. Nec licet duorum annorum vacationes coniungere (ibid. § 2). Sine « gravi et urgenti causa » tamen prohibentur ab ecclesia *cathedrali* discedere tempore Adventus et Quadragesimae, diebus Nativitatis, Resurrectionis Domini, Pentecostes et Corporis Christi (ibid. § 3).

Episcopus, si ultra sex menses illegitime abfuerit, ad S. Sedem ad normam c. 274, 4° est deferendus.

Vi c. 2381, episcopus illegitime non residens fructus beneficii *ipso facto* non facit suos eosque, pro rata absentiae parte, in utilitatem ecclesiae suae et pias causas erogare debet. Vg. debet erogare in illa opera duodecimam partem redituum annuorum, si per unum mensem illegitime fuit absens. Quod huic poenae subiaceat, non videtur dubium. Prima pars enim c. 2381 omnino generalis est ; ratio legis in episcopo tota invenitur et poena per se declaratione non indiget. Nec obstat quod alii clerici fructus indebite acquisitos Ordinario tradere debent. Iste enim eorum tantum erogationem curare debet, quod pro se ipse, ut patet, facere potest. Sic quoque PRÜMMER, *Manuale*, q. 122, 1, a. (cf. *Epitome*, III, n. 585).

410. - II. Missa pro populo.

Episcopus debet celebrare missam pro populo sibi commisso diebus dominicis aliisque festis diebus de praecepto, etiam suppressis (c. 339. § 1). — *Una* tantum missa praescribitur, etiamsi festum cum die dominica concurrat aut episcopus plures forte dioeceses administret (ibid. §§ 2. 5). Sed si festi dies Patronorum harum dioeceseon diversis diebus occurrant, pluries celebrare debebit (1).

Obligatio est *personalis*. Impeditus tamen potius statuto die per alium quam alio die per se missam hanc offerre debet (ibid. § 4). Nulla excusatio e redituum exiguitate admittitur ; missae omissae quamprimum eodem numero supplendae sunt (ibid. § 6). — Si festum cum officio et obligationibus populi transfertur, dies missae pro populo etiam mutatur (ibid. § 3).

Ex resp. Comm. I. C. 17 febr. 1918 (2), **festi dies suppressi** e catalogo Urbani VIII computandi sunt. Eorum indicem novum confecit S. C. *Concilii*, decr. 28 dec. 1919 (3). Sunt autem sequentes : feriae II et III post Dom. Resurrectionis D. N. I. C. et Pentecostes ; — dies inventionis S. Crucis ; — dies Purificationis, Annuntiationis et Nativitatis B. M. V. ; — dies Dedicationis S. Mich. Arch. ; — dies Nativitatis S. Ioan. Bapt. ; — dies SS. Apostolorum : Andreae, Iacobi, Ioannis, Thomae, Philippi et Iacobi, Bartholomaei, Matthaei, Simonis et Iudae, Mathiae ; — dies S. Stephani, protom. ; — dies SS. Innocentium ; — dies S. Laurentii, mart. ; — dies S. Silvestri, papae ; — dies S. Annae, matris B. M. V. ; — dies S. Patroni Regni et S. Patroni loci.

411. - III. Relatio de statu dioecesis.

(1) *S. C. C.* Resp. 12 nov. 1927. AAS, XX, 1928, 84. — *NRTh.*, 1928, 389. — *Per.*, XXII, 64. — (2) AAS, X, 1918, 170, — (3) AAS, XII, 1920, 42.

1. Relatio super statu dioecesis facienda est S. Pontifici singulis quinquenniis, iuxta formulam datam in decreto S. C. *Consist.* 4 nov. 1918 (AAS, X, 1918, 487) aut epist. S. C. *de Prop. Fide,* 16 apr. 1922 (AAS, XIV, 1922, 287) (**c. 340**, § 1).

Relatio ab episcopis territorii iuris communis S. C. *Consistoriali*, ab aliis S. C. *de Propaganda Fide* praesentatur. — Textus formulae relationis pro missionibus reperitur in *Per.*, XI, 86.

2. *Annus* pro relatione facienda alius pro aliis regionibus determinatus est, v. g. episcopis Italiae anni 1930, 1936, etc. ; episcopis Hispaniae, Portugaliae, Galliae, Belgii, Hollandiae, Angliae, Scotiae et Hiberniae, anni 1932, 1937, etc.; ceteris Europae episcopis, anni 1933, 1938, etc. (ibid. § 2).

3. « Si annus pro exhibenda relatione assignatus inciderit ex toto vel ex parte in primum biennium ab initio dioecesis regimine, episcopus pro ea vice a conficienda et exhibenda relatione abstinere potest » (ibid. § 3).

Biennium computatur a die possessionis canonice captae. Exemplo sit episcopus belgicus qui intra annum 1930 dioecesis possessionem capiat ; *poterit* differre relationem usque ad annum 1937.

412. - IV. **Visitatio ad Limina.**

1. Eodem anno debent episcopi visitationem ad Limina apostolica per se vel per Coadiutorem facere vel etiam, ex iusta causa S. Sedi probanda, per sacerdotem in sua dioecesi residentem. Episcopis tamen extra Europam degentibus hoc iter singulis tantum decenniis imponitur (**cc. 341. 342**).

2. In visitatione ad Limina, episcopi S. Pontificem personaliter adeunt ipsique oralem de statu dioecesis relationem faciunt ; visitant quoque sepulchra SS. Apostolorum Petri et Pauli in Vaticano et basilicam S. Pauli extra muros (ibid.).

Haec obligatio tum e more Concilium provinciale romanum cogendi tum e consuetudine ortum duxit. Quae obligatio primum solos episcopos provinciae romanae premebat ; paulatim ad alios extensa, ante saec. XIII omnibus, nisi nimis remoti essent, imposita est. Ex iure ante Codicem vigenti, pro locorum distantia, saltem semel intra triennium (Itali), quadriennium (Belgae, Angli, etc.), quinquennium aut decennium ad S. Limina ire debebant. Quae tempora uti nunc erant definita sed annus intra triennium, etc. ab episcopo elegi poterat (1).

413. - V. **Visitatio dioecesis** (2).

1. *De obligatione visitationis.* Episcopi debent suam dioecesim visitare « ad sanam et orthodoxam doctrinam servandam, bonos

(1) CAPPELLO, S. I., *De visitatione SS. Liminum*, etc. Romae, 2 vol. 1912, 1913.
(2) MELCHERS, *De canonica visitatione dioecesis*, Coloniae, 1901.

mores tuendos, pravos corrigendos, pacem, innocentiam, pietatem et disciplinam in populo et clero promovendam ceteraque pro ratione adiunctorum ad bonum religionis constituenda ». Dioecesis *quotannis* saltem *partim*, *universa* autem saltem *intra quinquennium* visitanda est. Obligatio est personalis, sed *legitime impediti* possunt eam per Vicarium generalem vel alium clericum idoneum implere (c. 343, § 1).

Visitatio dioecesis quotannis facienda tamquam antiqua consuetudo in Conciliis provincialibus saeculi VI perhibetur. Decurrente tempore, abusus in visitatione commissi potius quam visitationis neglegentia vituperandi fuerunt. Codex veterem disciplinam (Trid. s. XXIV, cap. 3, de ref.) servat, sed temperatam iuxta votum Patrum in schemate Vaticano propositum (1).

2. Episcopus potest, revocato quolibet contrario privilegio et reprobata consuetudine, duos clericos quoslibet sibi socios asciscere (c. 343, § 2).

Religiosos exemptos, ut patet, ad id munus cogere nequit (Cf. c. 615).

Metropolita episcopo hanc obligationem neglegenti, causa a S. Sede prius probata, supplere debet (c. 343, § 3 ; cf. c. 274).

3. *De personis, rebus, locis visitationi obnoxiis.*

Episcopus ius et officium habet visitandi clerum saecularem ; religiosos non exemptos, pias associationes quae auctoritate ecclesiastica erectae sunt (c. 690) ; — ecclesias, coemeteria, scholas (c. 1382) ; instituta ecclesiastica non collegialia, etiam exempta (c. 1491, § 1) ; sacram supellectilem, reliquias, fundationes pias (c. 1515), etc. (c. 344, § 1).

De methodo visitationis, cf. *Pontificale Rom.*, tit. *Ordo ad visitandas parochias.*

Exemptio a visitatione Episcopi e *speciali* S. Sedis privilegio probanda est ; « religiosos autem exemptos episcopus visitare potest in casibus tantum in iure expressis » (c. 344, § 2. Cf. infra, c. 615).

De visitatione religiosorum, cf. cc. 512. 631. 675. 690. 1261, § 2. 1491, eorumque commentarium.

4. *De usu potestatis in visitatione.*

« Visitator in iis quae obiectum et finem visitationis respiciunt debet paterna forma procedere ». Quare praecepta et decreta eius sunt disciplinaria, a quibus non appellatio, sed recursus conceditur et in devolutivo tantum, i. e. sine suspensionis effectu (c. 345).

5. *De moris et sumptibus vitandis.*

Commendatur episcopis ut in visitatione moras inutiles et sumptus superfluos vitent ; prohibentur « reprobata quavis contraria consuetudine », sibi suisve dona petere et accipere ; quod ad victualia et alias itineris expensas, servanda est legitima consuetudo (c. 346).

---

(1) Cf. MARTIN, *Omnium Conc. Vatic. monumentorum collectio*, 130.

Art. IV. - De iure praecedentiae

414. - In proprio territorio, episcopus cedit tantum Cardinalibus et Legatis pontificiis, ob dignitatem eorum propriam vel R. Pontificis repraesentati, et proprio Metropolitae, qui eodem ordine insignitus, ipsius tamen, saltem in quibusdam iurisdictionis negotiis, Superior est. Prima sede in choro, Capitulo, etc. gaudet. — Extra territorium, sequitur generales de praecedentia normas, sc. praecedit eis qui ordine vel iurisdictione aut, in eodem gradu, tempore promotionis vel aetate ipso inferiores sunt (**c. 347**. Cf. c. 106).

Art. V. - De potestate et obligationibus episcopi titularis

415. - 1. Episcopus titularis, etsi iurisdictionem radicaliter obtinet subditis propriis caret, cum eius territorium Vicario vel Praefecto Apostolico committatur. Quare in eo nullam iurisdictionem exercere neque eius possessionem capere potest (**c. 348**, § 1).

2. Obligationem celebrandi ex iure non habet, quippe quae post captam tantum possessionem urgeat ; ex aequitate tamen et caritate decet ut pro sua dioecesi, praesertim ad unitatem reducenda, interdum missam offerat (1).

Art. VI. - De iuribus et privilegiis specialibus

A. OMNIUM EPISCOPORUM

416. - 1. Episcopi omnes, ab accepta authentica notitia peractae canonicae provisionis, alia multa privilegia obtinent, et praesertim possunt celebrare ubique super aram portatilem ; lucrari in propriis sacellis omnes indulgentias, quae visitationem ecclesiae vel oratorii loci in quo actu commorantur requirant ; sibi suisque familiaribus eligere sacerdotem confessionibus excipiendis, qui eos ubique a casibus Ordinario loci vel R. Pontifici, etiam specialiter reservatis, absolvere possunt ; erigere, ritibus ab Ecclesia praescriptis, stationes viae crucis in ecclesiis et oratoriis, etiam privatis, aliisque piis locis (**cc. 349**, § 1, 1° ; 239).

2. « Ius habent deferendi insignia episcopalia ad normam legum liturgicarum » (c. 349, § 1, 2°).

Haec insignia sunt vestis talaris coloris violacei, scutum gentilicium, crux pectoralis, anulus, mitra et baculus, etc. Leges liturgicae usum praesertim mitrae et baculi definiunt. De episcoporum privilegiis et insignibus, plurima dubia soluta sunt resp. S. C. *Rituum*, d. 26 nov. 1919 (2).

---

(1) Cf. LEO XIII, C. *In suprema*, 28 iun. 1882. — *N. R. Th.*, 1882, 236.

(2) AAS, XII, 1920, 177. — *Per.* X, 205. — De signis nobilitatis scuto non apponendis, cf. S. C. *Cons.* decr. 15 iun. 1915. (AAS, VII, 1915, 172. — *Per.* VIII, 151).

B. EPISCOPORUM RESIDENTIALIUM

417. - « A capta vero possessione episcopi residentiales habent praeterea ius :

1. « Percipiendi reditus mensae episcopalis ; »

Antiqui sub nomine *legis dioecesanae* comprehendebant haec iura *utilia : ius* honestae *sustentationis* e reditibus mensae episcopalis (1), ius ad *victum* honestum *tempore visitationis* (c. 346), *cathedraticum* (c. 1504), *seminaristicum* (c. 1355), *ius sigilli* pro exsecutione rescriptorum, occasione ministrationis sacramentorum, etc. (c. 1507), *subsidium caritativum* (c. 1505), etc.

2. « Concedendi indulgentias quinquaginta dierum in suae iurisdictionis locis ; »

Illas indulgentias per se lucrantur « tum subditi extra territorium, tum peregrini, vagi, omnesque exempti in territorio degentes » i. e. dum in territorio versantur (c. 927).

3. « Elevandi in omnibus ecclesiis suae dioecesis thronum cum baldachino » (c. **349**).

Hic thronus e latere Evangelii erigitur.

Art. VII. - De amissione officii

418. - De vacatione sedis Codex agit cap. VII ; cf. infra, n. 476, ss.

Caput II. - De Coadiutoribus et Auxiliaribus episcoporum

(cc. 350-355)

Scriptores : Wernz, II, n. 807, ss. — Augustine, O. S. B., *A Commentary*, II, in h. cc. — Blat, O. P., *Commentarium*, II, in h. cc. — De Meester, *Compendium*, II, n. 704, ss. — Toso, *Comm. minora in h. cc.* — Wernz-Vidal, S. I., *Ius canonicum*, II, nn. 612-620.

419. - 1. Notio. Coadiutor est episcopus Ordinario loci adiunctus ut eum, sive in administranda dioecesi sive in exercendis pontificalibus, adiuvet.

Coadiutores creantur episcopi titulares sedium quae olim in terris infidelium sitae, nunc destructae sunt.

2. Divisio. Coadiutor datur *personae*, ob eius senium, infirmitatem, negotiorum numerum quibus premitur aut ob territorii amplitudinem ; vel *sedi*, qui casus rarior est, ob amplitudinem dioecesis. — Coadiutor datus personae plerumque cum iure successionis constituitur ; quo si careat, vocatur Auxiliaris (c. **350**, §§ 2. 3).

Auxiliares vocabantur quoque Vicarii in pontificalibus vel etiam Suffraganei ; hoc nomen nunc alium omnino sensum habet (cf. n. 400, 2).

---

(1) De vi verbi *mensa* (vel mansus), cf. supra, n. 207.

420. *Nominatio et provisio.*

1. Dotes requiruntur eaedem atque in ceteris episcopis ; nemini ius est eos eligendi, praesentandi aut commendandi.

Quando Coadiutor datur cum iure successionis, interdum de sua mente interrogantur qui ius habent eligendi aut commendandi episcopum dioecesanum.

2. « Unius R. Pontificis est episcopo Coadiutorem *constituere* » (**c. 350**, § 1).

Provisio in Curia romana fere iisdem actibus atque pro ceteris episcopis absolvitur.

Omnis Coadiutor litteras institutionis episcopo, actus humani capaci, praesentare debet ; secus, Capitulo aut, ubi deest, Consilio consultorum. Isti quoque litteras ostendat oportet Coadiutor cum iure successionis vel sedi datus (**c. 353**).

421. - Potestas *Coadiutorum.*

1. Coadiutor *datus personae :*

a) Tantum potest quantum concedunt litterae Apostolicae ;

b) Si episcopus est prorsus inhabilis, habet per se, omnia iura et officia episcoporum, intra fines litterarum institutionis ; secus, iura eius a mandato episcopi pendent.

Alii tamen sacerdoti ea non sunt habitualiter deleganda quae Coadiutor potest et vult exercere (**c. 351**).

2. Coadiutor *datus sedi* « potest ea quae sunt ordinis episcopalis exercere, excepta sacra ordinatione ». In aliis rebus, id potest quod alius Coadiutor (**c. 352**).

422. - Officia *Coadiutorum.*

Tenentur omnes (quod in iure novum est) eadem lege *residentiae* atque episcopus. Ex huius tamen licentia, etiam extra vacationes, ad breve tempus discedere possunt (**c. 354**).

Salvo legitimo impedimento, Coadiutor requisitus functiones episcopi implere debet (c. 351, § 4).

423. - *Sede vacante : a*) Coadiutor cum iure successionis fit statim Ordinarius dioecesis ; *b*) Auxiliaris *per se* munere cedit ; *c*) Coadiutor sedi datus officium servat et in exercitio suae potestatis a Vicario capitulari pendet (**c. 355**).

Caput III. - De synodo dioecesana
(cc. 356-362)

Scriptores : BENEDICTUS XIV, *De synodo dioecesana*, praesertim ll. VI-XII. — CLAEYS BOÚÚAERT, F., *De canonica cleri saecularis oboedientia*, p. 86, ss. — WERNZ, II, n. 857, ss. — PISTOCCHI, *De synodo dioecesana.* — TOSO, *Comm. minora in h. cc.* — WERNZ-VIDAL, S. I., *Ius canonicum*, II, nn. 621-630.

424. - Ordo materiae. Hoc caput in duas partes dividi potest : prior definit ea quae ad synodi convocationem (cc. 356-359), altera quae ad eius celebrationem (cc. 360-362) pertinent. In specie, Codex agit primum de obligatione (c. 356), auctore et loco convocationis (c. 357) ; dein de iure et officio eorum qui vocari debent vel possunt (cc. 358. 359) ; postea de recta synodi praeparatione (c. 360) et celebratione (c. 361) ; tandem de potestate episcopi in synodo (c. 362).

425. - Definitio. Synodus dioecesana *definitur* legitima congregatio ab episcopo coacta ex praecipuis presbyteris suae dioeceseos, ut, eo praeside, de iis agant quae ad particulares cleri populique necessitates vel utilitates referuntur (Cf. cc. 356. 357).

Finis synodi est suavi exhortatione et claris statutis ea omnia providere quae ad servandam fidei et morum integritatem, ad disciplinam cleri populique urgendam in singulis dioecesibus necessaria aut vere utilia sint.

426. - *Obligatio convocationis.*

1. Dioecesana synodus celebranda est in *singulis dioecesibus, decimo saltem* quoque anno (**c. 356**, § 1).

Episcopus qui quovis titulo duas vel plures dioeceses regit, *potest* clerum omnium dioecesium in unam synodum convocare aut in singulis dioecesibus specialem synodum habere (c. 356, § 2). — Episcopus non vetatur saepius quam decimo quoque anno synodum cogere.

Mos a saec. VI° aut VII° in multis locis receptus ut huiusmodi synodi saltem semel in anno cogerentur, ipso iure communi a saeculo XIII° erat sancitus. Legem tamen iam tunc non ubique servatam Concilium Basileense, a° 1431 sine felici successu confirmavit. Tandem lex tridentina (1) de cogenda annua synodo dioecesana, saltem in forma iure statuta, in multis dioecesibus, sive consuetudine, tacito legislatoris consensu firmata, sive speciali privilegio, iam diu obsoleverat. Synodi locum saepe sumpserunt congregationes decanorum, quibus, ad firmandam disciplinam, accedebant exercitia spiritualia a sacerdotibus communiter facta et ad fovendam scientiam, collationes seu conferentiae. In schemate Conc. Vaticani, Patres triennalem sessionem exoptabant (2). Nova lex ita temperatur ut multo facilius observari possit. Attamen media disciplinae promovendae modo relata locum frequentioris quam decennalis synodi, praesertim in magnis dioecesibus, tenere possunt.

(1) Trid. XXIV, c. 2, de Ref.
(2) Cf. MARTIN, *Omnium Conc. Vatic. monumentorum collectio*, p. 133, ss.

2. Synodum quoque convocare *debent* Abbates et Praelati *nullius* vi c. 215, § 2 et Vicarii Apostolici vi c. 304, § 2; Administratores Apostolici, permanenter constituti vi c. 315.

427. - *Ius convocationis et praesidentiae.*

1. Ius convocandi synodum eique praesidendi ad episcopos residentiales pertinet et ad quosdam Praelatos ipsis iure assimilatos, sc. Abbates et Praelatos *nullius,* Vicarios Apostolicos, Administratores Apostolicos permanenter constitutos.

Ius illud non obtinent episcopi titulares, Vicarius capitularis, contra sententiam antea receptam (1), neque, sine speciali mandato, Vicarius generalis (c. **357**, § 1).

2. Locus sessionum est ecclesia cathedralis, nisi alius ob iustam causam praeferendus sit (c. 357, § 2).

428. - *De iure et officio assistendi.*

Codex pressius determinavit quosnam episcopus convocare debeat aut possit (c. **358**).

1. « Ad synodum *vocandi sunt* ad eamque *venire debent :*

« 1° Vicarius generalis ; »

Prae omnibus aliis praecedentiam habet, nisi alius episcopali charactere fulgeat, ipse vero eodem non insigniatur (c. 370, § 1).

« 2° Canonici ecclesiae cathedralis *aut* consultores dioecesani ; »

« 3° Rector seminarii dioecesani *saltem* maioris ; »

Hoc ius, nunc primum concessum, omnino decet tum ob momentum muneris tum quia Rector est suorum parochus (c. 1368).

« 4° Vicarii foranei ; »

« 5° Deputatus uniuscuiusque collegialis ecclesiae a Capitulo eiusdem ecclesiae e gremio eligendus ; »

« 6° Parochi civitatis in qua synodus celebratur ; »

« 7° Unus *saltem* parochus ex unoquoque vicariatu foraneo eligendus ab omnibus qui curam animarum actu inibi habeant ; »

Ex vetere iure *omnes* parochi vocandi erant, quod curae animarum facile detrimento esse poterat. Electores sunt omnes parochi iique vicarii qui plena potestate paroeciali sunt praediti. Quare contra cl. *Pistocchi* (*l. c.*, p. 34) non eligunt deputandum vicarii cooperatores (c. 476) neque necessario vicarii adiutores (c. 475) aut substituti (c. 474) (Cf. infra, n. 517, ss.). Contra eundem (p. 35) censemus vicarium ecclesiae unitae monasterio, collegio aliive personae morali, vocem *passivam* et activam habere in electione deputandi, ut patet ex c. 451.

« 8° Abbates *de regimine* et *unus* e Superioribus cuiusque religionis clericalis qui in dioecesi commorentur, designatus a Superiore provin-

---

(1) BENEDICTUS XIV, *De syn. dioec.*, II, VIII, 3.

ciali, nisi domus provincialis sit in dioecesi et Superior provincialis interesse ipse maluerit. »

Abbates *de regimine* ii sunt qui actu iurisdictionem exercent et titularibus opponuntur.

Episcopus *potest* quoque *convocare* omnes Superiores religiosos et sacerdotes saeculares qui non sint curae animarum tunc necessarii.

Olim *omnes* religiosi exempti qui Capitulis generalibus non erant subditi, synodo interesse debebant ; « cuius obligationis et iuris exercitium difficultatibus minime vacabat» (Trid. Sess. XXIV, c. 2, de ref.).

Non est cur procuratorem mittant absentes quippe qui propter praesumptam experientiam vocentur et nullum suffragium deliberativum ferre possint (c. **359**, § 1).

2. Vocati, omnes venire debent. Excusantur tantum qui iusto impedimento tenentur sed procuratorem mittere non licet. Neglegentes iustis poenis, v. g. censuris, plecti possunt (c. 359, § 2), exceptis religiosis exemptis qui parochi non sint.

De *ordine sedendi*, cf. *Pontif. Rom.* l. 1, c. 31.

429. - *De synodi praeparatione et celebratione.*

1. *Ante synodum,* si opportunum visum fuerit, commissiones speciales nominentur quae res tractandas parent.

2. *In synodo,* decretorum schema omnibus convocatis tradatur (c. **360**). Omnes praesentes eodem iure suffragii tantum consultivi gaudent, nisi aliud in libera quorumdam convocatione expresse cautum sit (cc. 358. 362). De quaestionibus propositis, praeside episcopo vel eius delegato, libera fiat disceptatio (Cf. c. **361**).

430. - Leges synodi a sola episcopi auctoritate vim suam mutuantur. Quae tunc *promulgantur,* statim, salva contraria mentione, obligare incipiunt. Acta episcopus solus subscribit (c. **362**).

Examinatores vero synodales, iudices synodales et parochi consultores, ab episcopo propositi, a synodo per consensum maioris partis ad normam canonis 105 sunt approbandi (cc. 385. 1574 ; cf. infra, n. 445).

Caput IV. - De curia dioecesana
(cc. 363-390)

Scriptores : WERNZ, II, n. 798, ss. — AYRINHAC, *Constitution of the Church,* p. 204, ss. — BLAT, O. P., *Commentarium,* in h. cc. — D'ANGELO, *La Curia dioecesana a norma del Codice.* — HILLING, N., *Das Personenrecht,* § 54. — DE MEESTER, *Compendium,* II, n. 720, ss. — TOSO, *Comm. minora in h. cc.* — WERNZ-VIDAL, S. I., *Ius canonicum,* II, nn. 631-652.

431. - **Ordo materiae.** In tribus canonibus praeliminaribus, Codex definit constitutionem curiae dioecesanae (c. 363), ius episcopi nominandi officiales

(c. 364, § 1) eorumque obligationes generales (c. 364, § 2) et ordinem materiae proponendae (c. 365). Dein exponuntur in tribus articulis quae pertinent ad officium Vicarii generalis (cc. 366-371), cancellarii et notariorum (cc. 372-384), examinatorum synodalium et parochorum consultorum (cc. 385-390).

432. - 1. « Curia dioecesana constat illis personis quae episcopo aliive qui, loco episcopi, dioecesim regit, opem praestant in regimine *totius* dioecesis » (c. 363, § 1).

Ad eam pertinent Vicarius generalis, cancellarius, synodales examinatores et parochi consultores, de quibus statim agetur ; officialis, promotor iustitiae, synodales iudices, auditores, notarii, cursores et apparitores (c. 363, § 2), quorum munus et officia l. IV, p. 1 *de processibus*, describuntur (cc. 1573-1593).

Hae personae ad triplex praesertim genus pertinent : aliae nempe episcopum adiuvant in *administratione* rerum spiritualium et temporalium atque in exercitio *iurisdictionis voluntariae* (Vicarius generalis, etc.) ; aliae in exercitio *iurisdictionis contentiosae et criminalis* (officialis, etc.) ; aliae in actis authenticis conficiendis et conservandis. Etsi divisio munerum commendatur, in minoribus dioecesibus sine damno ab eodem exercentur munera, dummodo fideles ad res conscientiae componendas cum adire non cogantur qui in eos iurisdictionem contentiosam vel criminalem exercet. Quare licet in minore dioecesi officia Vicarii generalis et officialis eidem personae committere. (Cf. c. 1573). Tandem iudices synodales et parochi consultores episcopo in certis administrationis negotiis et in processibus summariis operam praestant.

2. Omnes, scripta nominatione, ab episcopo *constituuntur*. Nominati debent iusiurandum in manibus episcopi praestare de munere fideliter implendo ; et secretum servare debent iure aut ab episcopo determinatum (c. 364).

Art. I. - De Vicario generali (1)

433. - **Notio.** Vicarius generalis est sacerdos legitime deputatus ad exercendam in toto territorio *iurisdictionem* episcopalem vice episcopi, ita ut actus eius ab episcopo gesti censeantur.

Iuxta plerosque Vicarii generales *archidiaconis* suffecti sunt. A saec. VI° saltem occurrunt vestigia officii archidiaconorum ruralium, quibus iurisdictio in propria et distincta territoria committebatur. Cum illis, praeter iurisdictionem contentiosam, administrationis potestas satis ampla concederetur, saltem circa finem saec. XIi ob abusum potentiae, subditis molesti et auctoritati episcopi periculosi facti sunt. Eorum potestatem minuere conati sunt episcopi, constituendo sibi officiales, quorum principalis seu urbicus, circa initium saec. XIIIi factus est Vicarius generalis. — E. FOURNIER (2) contendit causam supra allatam in quibusdam casibus sane motivam fuisse, sed originem muneris Vicarii generalis repetendam esse e necessitate constituendi clericum qui absentis episcopi locum

(1) Cf. CE. v° Vicar general. — TOSO, in *Ius pont.*, 1927, 138, ss.
(2) FOURNIER, E., *Les origines du Vicaire général*, Paris, 1922.

teneret, Vicarium nempe substitutum ad universitatem causarum, idque praesertim tempore bellorum contra Sarracenos seu cruciatae.

Plerumque Vicarius generalis ab officiali seu Vicario in iurisdictione contentiosa differt ; in parvis tamen dioecesibus utrumque officium idem vir cumulare potest (Cf. c. 1573). Ubi vero plurima sunt negotia, administratio rerum temporalium oeconomo committitur. — E consuetudine centenaria aut indulto Apostolico licet Vicariis generalibus diversas dioecesis partes committere.

434. - Quoties bonum dioecesis id postulet, episcopus debet sibi constituere Vicarium generalem. — Eum libere, etiam sine praevio consilio Capituli, designat et ad nutum removet. *Plures* constituere non potest, nisi rituum diversitas aut amplitudo dioecesis id exigat (c. 366).

Vicarium generalem sibi constituere possunt episcopus residentialis et abbas vel Praelatus *nullius* (Cf. c. 198). Idem ius competere quoque administratori *permanenter* constituto censet P. Vermeersch (cf. supra, n. 387, 1).

Vicariis et Praefectis Apostolicis ius istud vi Codicis non competit, sed a Benedicto XV facultas concessa est constituendi sibi unum aut plures *Vicarios delegatos*, quorum competentia ea sit quam Vicarius generalis obtinet (1).

Iura et obligationes Vicarii generalis possunt Coadiutori concedi ; nec raro episcopus auxiliaris simul est Vicarius generalis. — S. Sedes, eaque sola, episcopum neglegentem ad constituendum Vicarium generalem adigere potest aut hunc directe designare, quem episcopus tunc ad nutum removere non potest.

435. - **Dotes.**

« Vicarius generalis sit sacerdos..., annos natus non minus triginta, in theologia *et* iure canonico... *saltem*... vere peritus, sana doctrina, probitate, prudentia ac rerum gerendarum experientia commendatus » (c. 367, § 1).

Debet sumi e clero saeculari, nisi Religioni dioecesis commissa sit, ut fere fit in locis missionum, in quibus dioeceses erectae sunt, quo casu, sacerdos ex ista Religione Vicarius generalis constitui *potest*. — Officium committi non potest canonico paenitentiario, neque episcopi proximo consanguineo, praesertim in primo gradu vel in secundo mixto cum primo, quo maior ei fiducia concilietur, aut viro curam animarum habenti, quia residentiam servare non possit. — Iam clare permittitur ut e clero dioecesis eligatur, quod antea saepius, praesertim ubi parvae sunt dioeceses, decisionibus *particularibus* erat prohibitum (c. 367, §§ 2. 3).

C. 367 vota Patrum Conc. Vaticani fere sancit. Nota ad hoc officium natales legitimos non requiri, sed legitimationem sufficere.

---

(1) AAS, XII, 1920, 120.

436. *De potestate Vicarii generalis.*

1. Iurisdictio eius est ordinaria in iis quae vi officii exercet.

Haec enim iurisdictio iure annectitur officio per se, seu obiective, stabiliter constituto. Ceterum id expresse c. 366 dicitur. — Quia tamen in eo non nomine proprio adest, sed ut in omnibus vices episcopi gerere possit, vicaria dicenda est. Habet enim omnes notas quas veteres iuris commentatores vicariae potestati tribuebant (Cf. Reiffenstuel, in l. I, tit. 28, n. 98, ss.).

2. Eiusdem est ambitus ac iurisdictio quae ad episcopum iure ordinario pertinet, exceptis tamen negotiis :

a) Quae episcopus sibi reservaverit ;

b) Quae, ex iure, speciale requirant mandatum (c. 368).

Negotia graviora quae episcopi mandatum speciale requirunt, nunc accurate in Codice definiuntur.

Actus quos Vicarius generalis, sine mandato speciali, ponere nequit sunt : providere officiis ecclesiasticis (c. 152) ; convocare synodum dioecesanam (c. 357, § 1); instituere parochos (c. 455) ; amovere Vicarios paroeciales (c. 477, § 1) ; erigere associationes pias (c. 686, § 4) ; reservare peccata (c. 893, § 1) ; litteras dimissorias concedere (cc. 958, § 1 : 959) ; permittere matrimonium conscientiae (c. 1104) ; consecrare loca (c. 1155, § 1) ; consensum praestare pro ecclesiae aedificatione (c. 1162, § 1) ; reliquias authenticas edicere (c. 1283, § 2) ; definire stipem exigendam, etc. (c. 1303, § 3) ; beneficia erigere (c. 1414, § 3) ; ea unire (c. 1423, § 1), conferre (c. 1432, § 2) ; concedere institutionem canonicam (c. 1466, § 2) ; permittere permutationem beneficiorum (c. 1487, § 1) ; infligere poenas ecclesiasticas (c. 2220, § 2) ; poenam a se tamquam iudice inflictam remittere (c. 2236, § 3) ; absolvere apostatas, etc. ab excommunicatione (c. 2314, § 2).

Episcopus potest ipsis litteris, quibus Vicarium generalem constituit, addere se eum deputare « etiam ad omnia quae speciale mandatum requirunt ». Quibus verbis volebant olim omnes scriptores ut quaedam huiusmodi negotia, exempli gratia, expresse subicerentur. De negotiis enim quae speciale mandatum requirerent inter se non consentiebant. Cum vero dubia ista Codex sustulerit, addere exempla huiusmodi negotiorum iam necessarium non videtur.

3. *Quaeres* quali potestate Vicarius generalis utatur in negotiis quae mandatum speciale requirunt. Illam alii ordinariam dicunt, quia mandatum speciale ipsam *officii* potestatem determinat nec *personae*, qua tali, conceditur (1) ; alii delegatam, quia Vicarius generalis tunc ex commissione speciali, non vi sui officii agat (2).

Huic sententiae potius astipulamur, ob constans in Codice positum discrimen inter negotia quae vi officii et ea quae vi mandati a Vicario Generali geruntur (3) Iuxta principia quibus doctrina veterum nitebatur, haec potestas dici possit ordinaria quando negotia illa in prima collatione vicariatus seu in formula generali institutionis exprimuntur, delegata, si specialiter ac seorsim committantur. Priore enim casu, potestas, mandato concessa, annexa est et accessoria ad

(1) Stutz, U., *Der Geist des Codex I. C.*, Stuttgart, 1918, p. 325. — Maroto, *Institutiones*, II, n. 699, 9. — Wernz-Vidal, II, n. 640.

(2) Cf. *Theses pro gradu bacc.* I. C. a Nicolas, E., Lovanii, 1920, propositas, Th. IV

(3) Hilling, N., *Die iurisdiktion des Generalvikars*, etc. in *Arch. f. k. KR.*, 1924 199, ss.

potestatem officii, idque mere determinat; in altero casu habet commissionem specialem ad negotium *particulare*, quibus delegata iurisdictio ab ordinaria discernitur. — Immo iuxta Ioan. Andreae, Sanchez, Pirhing, etc., si episcopus singularem causam Vicario committendo, dicat v. g. « Tibi officiali vel Vicario committimus... », censetur hanc causam *vi officii* committere et potestatem ordinariam extendere. Alii vero id non concedunt, nisi episcopus *expresse* dicat se iurisdictionem ordinariam Vicarii ad illud negotium speciale extendere (Cf. Reiffenstuel, in l. I, t. 28, n. 94). Sed N. Hilling, *l. c.*, p. 204 recte notat doctrinam veterum in hac re minus respiciendam esse, tum quia notione potestatis mandatae nitebatur quam Codex non commemorat, tum quia Codex tam clare facultates officii Vicarii Generalis ab iis quas accipit e mandato discernit. Ita quoque Toso, *Ius pont.*, 1927, 143.

437. - « Nisi aliud expresse cautum fuerit, Vicarius generalis *exsequi* potest *rescripta* Apostolica quae episcopo vel praecedenti rectori dioecesis remissa sint, ac generatim ad ipsum quoque pertinent *facultates habituales* Ordinario loci a S. Sede concessae, ad normam c. 66 ». (**c. 368**, § 2. Cf. supra, n. 153).

Rescripta et facultates habituales potestatem a S. Sede delegatam conferunt, quae ideo etiam habitualiter subdelegari potest (c. 66).

438. - Quia dependenter ab episcopo suum officium gerit, Vicarius praecipua curiae acta ad eum referre debet. *Facultatem* ab episcopo *denegatam* valide concedere non potest.

Ab eius sententiis *appellatio* ad episcopum non fit. Facultas vero quam negaverit, poterit valide ab episcopo impetrari, facta denegationis mentione (**cc. 369. 44**).

439. - *Iura honorifica.*

1. Nullus clericus eiusdem dioecesis Vicario generali praecedit publice aut privatim, nisi charactere episcopali praeditus, si Vicarius eodem careat (**c. 370**).

Vicarius generalis fruitur iure praecedentiae erga dignitates et alia membra Capituli cathedralis tum in choro tum in actibus capitularibus, etiamsi canonicus non est. Quare in choro stallum simul primum et aliis praestantius occupat, quod episcopo alius dioecesis aut quibusdam Praelatis extraneis, officio chori assistentibus, *in testimonium* honoris conceditur ad normam *Caerem. episc.*, I, t. XIII, cap. 9-12. (1).

2. Si Vicarius episcopus non est, *durante munere* habet tantum privilegia et insignia protonotarii apostolici titularis (Cf. n. 396, II).

440. - *De amissione officii.*

Exspirat iurisdictio Vicarii generalis *renuntiatione* tacita vel expressa, si haec intimata et acceptata fuerit (Cf. cc. 183-191); libera *revocatione* ab episcopo ei intimata; sedis episcopalis *vacatione*. — Suspen-

(1) *S. C. C. Lucerina*, Praecedentiae, 15 dec. 1923, — AAS, XVI, 1924. 371. — *N. R. Th.*, 1925, 58.

ditur vero, suspensa episcopi iurisdictione, v. g. si episcopus fuerit per sententiam excommunicatus, suspensus vel interdictus (c. 371).

Art. II. — De Cancellario aliisque notariis et archivo episcopali

441. - 1. Cancellarius est sacerdos ab episcopo electus, « cuius praecipuum munus sit acta curiae in archivo custodire, ordine chronologico disponere et de eisdem indicis tabulam conficere ». Vi officii est quoque notarius seu vir cuius scripta, legitime confecta, aut subscriptio in foro externo fidem faciunt (c. 372).

2. Alios notarios designare potest episcopus, etiam ex laicis, si clerici desint, ad singula aut quaelibet acta et causas. In causis tamen criminalibus clericorum, notarius sacerdos sit oportet (c. 373).

3. Notarii acta conscribunt, conficiunt, legitime petentibus exhibent et eorum exemplaria autographo conformia testantur. Extra territorium, suo munere valide fungi non possunt (c. 374).

442. - 1. Duplex archivum seu tabularium erigendum est, alterum *publicum* (c. 375), alterum *secretum* (c. 379). In iis omnia documenta quae negotia dioecesana spectant (c. 376), apte disposita et suo indice munita, sedulo serventur.

Cancellarius clavem archivi publici servet (c. 377). Documenta commodari non possunt sine licentia episcopi vel Vicarii generalis. Danda est subscripta syngrapha ab eo cui documenta communicantur, quae post triduum, salva speciali Ordinarii licentia, referenda sunt (c. 378).

Ex archivo secreto, cuius duplicem clavem episcopus et cancellarius servant, documenta a solo episcopo inspici possunt ; quae vero causas criminales respiciunt, singulis annis, retento brevi summario, comburantur, si rei defuncti sint vel sententia a decennio lata (c. 379).

2. Sede impedita vel vacante, clavis tabularii secreti a sacerdote assumitur, quem episcopus statim a capta dioecesis possessione designare debuit (c. 380) ; a quo ei tradenda est cui regimen dioecesis canonice committitur (c. 381) ; durante vacatione archivum sigillis omnino obseratum maneat, quae a solo Vicario capitulari ad necessariam inspectionem, coram duobus canonicis vel consultoribus dioecesanis, amoveri possunt, statim reponenda (c. 382).

443. - Ecclesiae cathedrales, collegiatae, paroeciales, necnon confraternitatum et piorum locorum, archiva propria habeant, quorum *duplex inventarium* faciendum est, alterum in proprio, alterum in dioecesano archivo asservandum.

In archivo serventur libri paroeciales, inventarium bonorum immo-
ilium et rerum pretiosarum, litterae episcopi, etc.

Documenta quae secreta non sunt, de licentia Superioris competentis d triduum generatim commodari possunt, relicta ab illo qui docu-nentum extulit, signata syngrapha (c. 383). Cuilibet, cuius interest, t ipso iure facultas ea inspiciendi et obtinendi suis impensis trans-umptum. De cura archivorum, servanda sunt praeterea quae in statutis ioecesanis praescribuntur (c. 384).

Art. III. - De examinatoribus synodalibus et parochis consultoribus

444. - Examinatores synodales et parochi consultores sunt sacer-otes in synodo constituti ut episcopum adiuvent in examinandis andidatis ad officia et beneficia, in remotione oeconomica parochorum t in faciendo processu oeconomico contra clericos certorum delictorum eos (cc. 389. 2144. 2148. 2171, ss., etc.).

Prosynodales vocantur qui extra synodum ab episcopo, de consilio Capituli athedralis, constituuntur in locum demortuorum vel alias impeditorum aut ost decennium, si synodus non habeatur (c. 386).

445. - Constituendi sunt non infra quatuor numero, nec ultra uodecim, in synodo, propositi ab episcopo, a synodo per consensum naioris partis approbati (c. 385).

Omnes, « post decennium ab incepto munere vel etiam prius, adve-iente nova synodo, officio cadunt ». Possunt tamen negotium ince-tum perficere et denuo constitui (c. 387). — Episcopus non potest os *removere*, nisi gravi de causa et de consilio Capituli (c. 388), sed orum ope uti non debet in examinibus ordinandorum (c. 996), aut orum qui facultatem petunt excipiendi confessiones (c. 877), aut qui tudia theologica absolverunt (c. 130) (c. 389).

« Idem potest esse examinator et parochus consultor, non autem in adem causa » (c. 390).

Caput V. - De Capitulis canonicorum

(cc. 391-422)

criptores : Bouix, *Tractatus de Capitulis*, Parisiis, 1852. — De Herdt, *Praxis capitularis*, ed. 2, Lovanii, 1895. — Wernz, II, n. 767, ss. — Ayrinhac, *Constitution of the Church*, p. 227, ss. — Blat, O. P., *Comment. in l. II*, p. 361, ss. — De Meester, *Compendium*, II, n. 743, ss. — Hilling, N., *Das Personenrecht*, § 55. — Wernz-Vidal S. I., *Ius canonicum*, II, nn. 653-699.

446. - **Ordo Codicis** hic fere proponi potest. Primo exponitur Capitulorum otio (c. 391). — Dein Codex agit de constitutione Capitulorum *in genere* (cc. 392-

395), postea *in specie* de dignitatibus (cc. 396. 397), de officiis (cc. 398-402) et de canonicatibus, sive titularibus (cc. 403-405) sive ad honorem (cc. 406. 407). Canones 408. 409 proponunt iura honorifica. — Tandem obligationes distinguit communes (cc. 410-415) et singulorum (cc. 416-422).

§ 1. NOTIONES

447. - Capitulum, sensu stricto, est collegium *canonicorum* auctoritate ecclesiastica institutum ut sollemniorem cultum Deo in ecclesia insigniore exhibeat aut etiam episcopo auxilium praestet eiusque vices, sede vacante, suppleat (c. 391, § 1).

Capitulum, sensu latiore sed proprio, vocatur omnis clericorum vel religiosorum coetus canonice constitutus, ut de communibus personae moralis negotiis consultent, deliberent et suffragiis decernant. Cf. cc. 105, 501, ss., 571, 575, etc. Codex de solis Capitulis stricte sumptis hic agit.

Primis Ecclesiae saeculis, collegium presbyterorum et diaconorum episcopum in administratione dioecesis adiuvabat atque, eo absente vel mortuo, regimen ecclesiae interdum assumebat. Praeter illos clericos alii, ordinis inferioris, servitio ecclesiae ascripti, in eius tabulam seu album (κανών), referebantur. Ideo vocabantur οἱ ἐν τῷ κανόνι vel etiam ὁ κανών ; latine dicti sunt *canonici*, iam ante saec. VI. Inter suos « canonicos » vita perfecte communis iam a S. Eusebio Vercellis et a S. Augustino in Africa erat inducta et istius exemplo, postea in multas alias dioeceses. Cum tamen eorum disciplina valde collapsa esset, a S. Chrodegango medio saec. VIII° restituta est. Clerici qui eius regulam profitebantur, in communi sine votis, viventes, dicebantur vivere « *canonice* ». Perfectionem vitae communis, sine usu propriorum redituum, innovavit Conc. Lateranense (a. 1059). Paulo post, satis multi canonici illam vitae formam amplexi sunt, addita professione trium votorum sollemnium. Ab hoc tempore distinxerunt canonicos *regulares*, qui regulam (sic dictam) S. Augustini profitebantur et veri religiosi erant, a canonicis saecularibus, qui vota non emittebant (1).

448. - Capitula dividuntur :

1. In *collegiata* et *cathedralia*. Priora in qualibet ecclesia praestantiore instituuntur ut sollemniorem cultum Deo exhibeant ; haec in ecclesia cathedrali, seu quae episcopi sedes seu cathedra est, ut praeterea et principaliter « episcopum, ad normam sacrorum canonum, tanquam eiusdem senatus et consilium, adiuvent, ac, sede vacante, eius vices suppleant in dioecesis regimine » (c. 391, § 1).

Ecclesia collegiata ab ecclesia communitativa differt quod in priore debet esse saltem una dignitas, in posteriore nequeunt esse dignitates ; beneficiariis ecclesiae collegiatae insignia conveniunt, non autem ecclesiae communitativae ; exsecutio litterarum apostolicarum numquam committebatur a S. Pontifice beneficiatis ecclesiae communitativae, at committi solebat canonicis ecclesiae collegiatae (2). Haec ad solvendum dubium de natura alicuius ecclesiae, quae privilegium collegialitatis ex praesumptionibus probare debet.

In Capitulo cathedrali distingui potest senatus episcopi, cuius ipse caput est

(1) Cf. CE, vv. Canon, Chapter.—D. Arch. Lit., vv. Chanoines, Chapitre des cathédrales.—HEIMBUCHER, M., *Die Orden und Congregationen der katholischen Kirche*, II, p. 3,ss.

(2) FERRARIS, *Biblioth. can.*, v° Collegium, n. 87.

et qui, qua talis, certa iura et officia habet, et collegium canonicorum, cuius episcopus membrum non est et quod propria iura et obligationes habet (1).

Collegiata capitula exsistunt in praecipuis basilicis romanis, v. g. in S. Maria Maiore, S. Maria ad Cosmedin, etc. et in plurimis aliis praesertim Italiae et Hispaniae locis.

S. Sedes potest collegio sacerdotum cui ecclesia committitur omnia iura et privilegia capituli conferre quin praebendae canonicales adsint, erigendo ecclesiam in *collegiatam ad honorem*. E bulla erectionis et e Constitutionibus condiciones eruendae sunt quibus tum usus iurium et privilegiorum definitur, tum servitium chorale ordinatur. Cf. *Const. Apost.*, 20 oct. 1924 ; 20 nov. 1924 de his erectionibus (2).

2. In *saecularia* et *regularia*, prout canonici sunt saeculares aut Regulares.

Capitulum saeculare in omnibus fere ecclesiis cathedralibus extra loca missionum, regulare v. g. in omnibus abbatiis Ordinis S. Norberti constituitur.

3. In *numerata* seu clausa et *non numerata* seu receptiva, prout numerus canonicorum, quicumque sint reditus, certus est et determinatus aut pro redituum quantitate augeri potest.

Exempla e bullis erectionis in AAS. desumi possunt, v. g. Capitulum in ecclesia metropolitana Montisvidei erigitur « ex una dignitate, duobus officiis... et septem canonicatibus constans, ita ut capitulares decem numerentur... » (C. *Quo maiori*, 17 iun. 1921) (3).

4. Si sunt collegiata, in *insignia* et *non insignia*.

Insignia vel perinsignia dicuntur quibus hic titulus privilegio R. Pontificis expresse est concessus aut communi aestimatione ob adiuncta loci, aedificii, etc. ab *immemorabili* tributus est (c. 391, § 2).

De Capitulorum constitutione, electione, iuribus plurimum valent lex fundationis, capitularia statuta et consuetudo (cc. 396. 403. 408. 413). Quare haec materia difficultatibus scatet quas S. C. *Concilii*, ut ex ASS. et AAS. videre licet, in permultis causis sibi propositis, solvere debet.

449. - 1. Canonici distinguuntur titulares seu praebendarii, supranumerarii et honorarii.

Titulares seu *praebendarii* simul cum canonia *praebendam* habent ; *supranumerarii* vocantur qui, supra numerum canonicorum titularium admissi, praebendam exspectant ; *honorariis* insignia et praerogativae canonicorum tribuuntur, non vero praebenda nec ius suffragii in Capitulo.

Canonia nempe seu canonicatus est *ius spirituale* habendi in choro sedem

(1) Cf. AAS, XIII, 1921, 440.
(2) AAS, XVII, 1925, 89. 92. 94. — *N. R. Th.*, 1925, 565.
(3) AAS, XIII, 1921, 489.

(stallum) et vocem in Capitulo; plerumque constat praeterea iure obtinendi *praebendam* seu portionem redituum annuorum, qui ex dote canonicatus proveniunt. — Notanda est vis verbi « titularis », quo designatur is qui officium plene obtinet dum in aliis casibus deminutum ius significat, ex. gr. episcopus titularis, Abbas titularis. — Canonia *ad honorem* est ius ad quosdam honores et titulus sine officio (1).

In Capitulis debent esse dignitates ; plerumque reperiuntur personatus, officiales et beneficiarii minores.

2. Dignitas in Capitulo est canonicatus cui praeter praerogativam honoris, olim saltem, iurisdictio in foro *externo* erat annexa ; personatus praerogativam honoris, non iurisdictionem, conferebat.

Dignitates sunt v. g. archidiaconus, archipresbyter, primicerius, thesaurarius, cantor (Cf. AAS, XIV, 1922, 460) ; decanus et Prior personatum habent. — Hodie tamen solus archidiaconus in quibusdam locis iurisdictionem aliquam habet.

3. Officium secum fert administrationem tantum rerum ecclesiasticarum, sine praerogativa honoris aut iurisdictione in foro externo.

Officia principalia detinent canonici theologus, paenitentiarius et curatus ; minora, thesaurarius (in quibusdam Capitulis) et sacrista.

4. Beneficiarii minores, qui vicarii, cappellani aut mansionarii vocantur sunt clerici qui canonicis in servitio chori vel cura animarum auxilium praestant.

Clerus ille minor Canonicis auxilium praestat (c. 393) officia minora implendo, ut sunt lectio martyrologii, ministerium ad altare, etc. Immo canonicis in iis quae officium chori spectant oboedire et servire tenentur, v. g. parando libros, folia vertendo, etc. ; in quibus officiis implendis debent absentium vices supplere (2).

Maxima viget diversitas quod ad numerum et ordinem designatum, personatuum et officiorum. Immo quae in uno loco dignitates sunt, in alio personatus habentur.

§ 2. DE ERECTIONE ET CONSTITUTIONE CAPITULORUM

450. - Institutio seu *erectio* Capitulorum, eorumque innovatio et suppressio Sedi Apostolicae reservantur (c. 392).

Decreto S. Sedis instituta, Capitula personam moralem collegialem constituunt cum iure eligendi, possidendi, alienandi, etc. Capitulum, etiam si ad unum membrum redactum fuerit, immo si eius ultimus canonicus ante minus quam centum annos mortuus sit, ab Ordinario in pristinum statum restitui poterit ; cum enim esse non destiterit, non innovatur (Cf. c. 102).

Sedulo distinguenda est erectio Capituli a fundatione sive Capituli sive singulorum canonicatuum. *Fundatio* enim est actus, quo quis dotem beneficii constituit, seu Capituli aut canonicatus dotatio. Quare *lex fundationis*, quae in hoc capite

(1) Cf. DE HERDT, *o. c.*, c. XI, § 2, n. V.
(2) Cf. *Monit. eccl.*, 1925, 303, ss.

toties appellatur, est complexus condicionum quibus dos canonicatuum constituta est, dum indultum pontificium, quo Capitulum erigitur aut actus episcopi quo canonicatus constituitur, lex erectionis dici potest. Dum lex fundationis iura quaesita tribuit, lex erectionis privilegia confert aut lex particularis simpliciter esse potest. Inde minor stabilitas iurium quae ex ea lege oriuntur (1).

A. DE CONSTITUTIONE CAPITULORUM IN GENERE

451. - 1. Iure communi, Capitulum constat dignitatibus et simplicibus canonicis, non autem minoribus beneficiariis seu mansionariis; sed constitutiones capitulares possunt e gremio Capituli dignitates excludere (**c. 393**, §§ 1. 2).

Sub iure communi antea vigenti, plerique negabant dignitates de gremio Capituli esse (2) ; nunc contrarium certo obtinet, salva expressa exclusione in constitutionibus seu statutis determinata. — « Post publicationem Codicis beneficiatos et mansionarios vocem in Capitulis amplius non habere, si id eis competebat *tantum* e statutis capitularibus » declaravit *Comm. I. C.*, resp. 24 nov. 1920 (3). Statuta enim sunt lex particularis quae, si Codici contraria fuerit, abrogatur. Ius suffragii, si e lege fundationis aut ex indulto pontificio habeant, retinebunt, cum neque iura quaesita neque privilegia Codice tollantur.

2. « Canonicatus sine annexis emolumentis ne instituantur sine speciali Apostolicae Sedis concessione » (c. 393, § 3).

Numerus canonicorum praebendatorum in Capitulis numeratis numero praebendarum, in non numeratis copia redituum, audito Capitulo, definitur (**c. 394**, § 1). Sola S. Sedes dignitates erigit, i. e. constituit, quae in Capitulo numquam exstiterint ; nam episcopus, *de consensu Capituli*, exstinctas restituere potest. Idem potest, si Capitulum consenserit, praebendis exstantibus alias addere (c. 394, § 2).

In Gallia episcopus dignitates quae ante annum 1790 exstabant, restituere non potest, quippe quae a S. Sede plene exstinctae fuerint.

452. - *De constitutione redituum.* 1. Episcopus debet omnino providere ut in ecclesiis cathedralibus et collegialibus *insignibus* praebendae simul cum distributionibus pares sint sustinendo decori tot canonicorum quot divino cultui celebrando ac dignitati ecclesiae commode respondeant. Defectui redituum providere poterit, si id necesse sit *audito* quidem, sed etiam non consentiente, *Capitulo* (contra Trid. s. XXIV, c. 15 de ref.) et impetrata S. Sedis licentia, unione beneficiorum simplicium cum praebendis aut suppressis quibusdam praebendis, quarum reditus aliis accrescant (c. 394, § 3).

2. *De distributionibus cotidianis.*

---

(1) Cf. S. C. C., *Utinen.*, Collationis mansionariatuum, 10 febr. 1923. — AAS, XV, 1923, 544.
(2) DE HERDT, *Praxis capitularis*, p. 53.
(3) AAS, XII, 1920, 573. — *N.R.Th.*, 1921, 151. — *Per.* X, 249. — *Mon. eccl.*, 1927,75.

Praeter praebendas, Codex vult ut in ecclesiis tam cathedralibus quam collegialibus, portiones quaedam sive pecuniae sive fructuum naturalium iis distribuantur qui singulos actus capitulares obierunt, ad sollertiam canonicorum augendam. Hae portiones vocantur *distributiones*. Non possunt esse tam tenues ut neglegantur (c. 395, § 1). Quare saltem ad tertiam praebendae partem eas pertingere decet (1).

Constituuntur aut in ipsa Capituli dote aut ex bonis adventiciis, ut puta oblationibus fidelium vel legato occasione funeris, aut ex massa proveniente ex tertia parte omnium redituum beneficialium illius ecclesiae aut ex mulctis quae in dignitates, canonicos ac beneficiarios neglegentes constituuntur. — Cedunt *diligentibus*, i. e. iis qui in actu capitulari revera partem habuerunt aut iure affuisse censentur (nam hi, si absint, neglegentes censendi non sunt) (2), et excluditur omne pactum contrarium inter canonicos aut remissio mulctae.

Additur in novo iure : « Si dignitates habeant proventus a massa seu bonis canonicorum diversos et separatos, distributiones ab iis amissae cedunt aliis dignitatibus praesentibus, si adsint, secus fabricae ecclesiae, quatenus indigeat, aut alii pio loco, episcopi arbitrio » (c. 395, § 3).

Quo certius haec observentur, constituendi sunt a Capitulo unus pluresve *punctatores*, quibus episcopus unum addere potest. Horum munus est absentes cotidie sedulo notare, quod faciet senior e canonicis, si illi abfuerint (c. 395, § 4).

B. DE CONSTITUTIONE CAPITULORUM IN SPECIE

453. - Codex in cc. 396-407 agit singillatim de collatione dignitatum (c. 396), praecipuorum officiorum (cc. 399-402), canonicatuum titularium (c. 403) vel ad honorem (c. 406), statim subiungens ea quae singulorum officia aut iura *specialia* respiciunt (cc. 397. 400-402. 405. 407). Absolvitur haec pars canone generali de iure praecedentiae (c. 408).

I. DE DIGNITATIBUS

454. - 1. Dignitas est canonicatus, cui iure nunc vigenti, praerogativa quaedam honoris annectitur (cf. n. 449, 2).

Collatio dignitatum in omnibus Capitulis, iure communi S. Sedi reservatur (c. 396, § 1), etiam si nullam praebendam, nulla emolumenta aut valde exigua annexa habet (3).

In iure anteriore, collatio dignitatum, prima excepta, extra menses papales,

---

(1) Cf. S. C. C., *Abulen. et aliarum*, Residentiae et distributionum, 15 mart. 1924. — AAS, XVII, 1925, 193. — *N. R. Th.*, 1925, 433.

(2) Cf. S. C. C., *Maioricen.*, Distributionum, 15 ian. 1921. AAS, XIII, 1921, 198, ss.

(3) Resp. *Comm. I. C.*, 1 iul. 1922. — AAS, XIV, 1922, 405. — *Per.* XI, 127. — *N. R. Th.*, 1923, 44.

episcopo et Capitulo competebat (Reg. canc. Apost. 4. 9). Collationes enim per sex menses in anno faciendae S. Sedi reservabantur. Huic tamen communi iuri, consuetudine, statutis et concordatis, erat saepius derogatum. — Nunc quoque privilegia concessa manent (c. 4).

Optio, seu ius ut antiquiores canonici vacantem dignitatem non reservatam, sua dimissa, eligere possint, omnino prohibetur, etiam ubi ex speciali indulto S. Sedis vigebat. *Reprobatur* contraria consuetudo sed lex fundationis servanda est (c. 396, § 2). — Cf. Resp. *Comm. I. C.*, 29 (datum 16) oct. 1919, ad V. (AAS, XI, 1919, 477. — *Per.*, X, 100).

Inter dotes primae saltem dignitatis requiritur, *quantum fieri potest*, et ceteris paribus, laurea doctoralis in sacra theologia vel iure canonico (c. 396, § 3).

2. *Iura et obligationes dignitatum et eorum qui officium habent.*

« Nisi aliud in statutis capitularibus caveatur, *dignitatibus*... secundum ordinem praecedentiae ius et officium est :

« 1° Episcopi vicem supplere in peragendis functionibus sacris in sollemnioribus anni festivitatibus ;

De hoc iure consulendum est decr. S. C. *Rit.*, 9 iul. 1895 (1). Iuxta illud decretum, missae sollemnes, divina officia, etc. quae ad episcopum pertinent, eo absente, impedito aut mortuo pertinent ad dignitates et canonicos successive et non alternatim, i. e. non ad secundam dignitatem nisi cum prima impeditur ; idque reprobata quavis consuetudine contraria, saltem quae iuri primae dignitatis quidquam detrahat.

« 2° Episcopo celebranti in pontificalibus aspersorium in ingressu ecclesiae porrigere et presbyteri assistentis fungi officio ;

« 3° Eidem decumbenti administrare sacramenta ; defuncto iusta funebria persolvere ;

« 4° Convocare Capitulum eique praeesse ac praescribere et ordinare quae ad chori directionem referantur, dummodo dignitas sit de gremio Capituli » (c. 397) (2).

Haec iura et officia, deficiente dignitate, aliis canonicis secundum ordinem praecedentiae obtingunt (ibid.).

Coadiutor datus dignitati cum iure successionis ius praesidendi Capitulo a dignitate obtentum eius loco exercere non potest, quia de gremio Capituli non est (3).

II. DE CANONICO THEOLOGO

455. - 1. Canonicus theologus est sacerdos, sacrae theologiae apprime peritus (c. 399, § 1), cuius munus per se est, publice in ecclesia, explanare S. Scripturam vel alia doctrinae catholicae documenta. —

(1) Cf. *Ephem. liturg.*, IX, 355, ss. — *Can. cont.*, 1925, 150.
(2) Cf. *Caerim. episc.*, lib. I, c. 26 ; lib. II, c. 38.
(3) S. C. C., *Placentina*, Iuris praesidendi, 11 dec. 1920. — AAS, XIV, 1922, 42.

In singulis ecclesiis cathedralibus hoc officium constitui debet, potest vero in collegialibus (**c. 398**).

2. *Theologus* debet iuxta praescripta episcopi et Capituli personaliter explanare S. Scripturam vel alias religionis partes. Episcopus potest ei, gravi de causa, committere munus docendi in seminario, loco lectionum in ecclesia (**c. 400**).

Gravis causa saepe adesse videtur, ita ut in multis dioecesibus canonicus theologus in seminario doceat. Episcopus potest ei committere officium docendi in seminario *regionali*, quod dioecesano aequiperatur. Quare ibi docens iisdem iuribus fruitur ac si in propria dioecesi munere suo fungeretur (1).

Diebus quibus munere fungitur, a choro excusatur ita ut ius retineat ad fructus praebendae et distributiones cotidianas, non tamen ad eas quae *inter praesentes* fieri dicuntur, salva tamen expressa voluntate fundatorum (cc. 400. 420).

III. DE CANONICO PAENITENTIARIO

456. - 1. Paenitentiarius est canonicus, praesertim iuris canonici vere peritus (c. 399), qui in sede confessionali sibi in ecclesia capitulari destinata, omnium ad se accedentium confessiones excipere debet. — In ecclesia cathedrali hoc officium, quantum fieri potest, institui debet, potest vero in collegiali (c. 398, § 1).

Prohibetur « aliud simul officium *in dioecesi* suscipere aut exercere, cui annexa sit iurisdictio pro foro externo » (**c. 399**, § 3).

2. *Paenitentiarius* obtinet a iure iurisdictionem *ordinariam*, nemini tamen delegabilem, absolvendi a casibus *etiam episcopo reservatis*, dioecesanos ubique, in dioecesi vero extraneos. — Debet tempore ad fidelium commoditatem opportuniore in sede confessionibus excipiendis sibi assignata residere (c. **401**).

Dum munere actu fungitur, eodem iure ad reditus percipiendos fruitur quo Theologus (c. 420), non autem dum docet v. g. theologiam moralem in seminario (Cf. c. 421, § 1, 1°) (2).

IV. DE VICARIO CURATO

457. - 1. Vicarius paroecialis seu canonicus curatus est canonicus, cui Capitulum penes quod est habitualis animarum cura, actualem eorum curam totam committere debet, cum omnibus iuribus et obligationibus parochorum (**cc. 402.** 471).

2. De eius institutione, iuribus, officiis agitur in Cap. X, de Vicariis paroecialibus, c. 471 (Cf. infra, n. 513 et 514).

---

(1) S. C., *C.*, *Rapolen.*, Servitii choralis, 9 iul. 1921. — AAS, XVI, 1924, 397. — *N. R. Th.*, 1925, 101.

(2) S. C. *C. Oxomen.*, Praesentiae choralis, 9 iun. 1923. — AAS, XVII, 1925, 510. — *N. R. Th.*, 1926, 464, — *Per.* XIV, 118.

V. DE CANONICATIBUS ET BENEFICIIS

458. - Canonicatus et beneficia minora, ab episcopo, audito Capitulo, omnia libere *conferuntur*. *Reprobatur* quaevis contraria *consuetudo* et revocatur *privilegium* quodlibet contrarium. Servandae tamen sunt lex fundationis et reservationes in favorem S. Sedis c. 1435 statutae (**c. 403**).

Capitulum audiendum est ecclesiae cathedralis aut collegialis, prouti agitur de canonia conferenda in illa aut in ista ecclesia (1).

Reservatur S. Sedi collatio v. g. si beneficiarius in Urbe obierit aut a S. Sede suo beneficio privatus fuerit. Cf. infra, l. III, p. V, t. 25, c. 1435.

Privilegium optionis, etiamsi in limine erectionis capituli i. e. *occasione* fundationis concessum fuerit, ad legem fundationis stricte dictam non pertinet. Quare canone 403 certo revocatur (2).

In collatione canonicatuum, ratio habenda est scientiae vel laudabilis servitii ecclesiastici promovendorum. — *Aetas* certa non exigitur. — Lex *concursus*, ubi viget, est servanda (**c. 404**).

Prohibitio optionis, novo iure inducta, quod ad omnes canonicatus viget. Quod ex loco prohibitionis in Codice (c. 396, § 2) dubium erat, ex resp. *Comm. I. C.*, 24 nov. 1920 certum est (3).

« Abrogatae sunt leges particulares, reprobata privilegia et reprobatae consuetudines, vi quarum canonicatus (non ita beneficia minora) nonnisi indigenis seu civibus originariis civitatis, in qua sedem habet ecclesia, conferri possint, aut isti ceteris praeferri debeant.... salva contraria fundationis lege et firmo praescripto cc. 3 (de concordatis) et 1435, § 3 (de beneficiis romanis), ita tamen ut etiam in his casibus, si nullus inter indigenas reperiatur idoneus seu dignus, canonicatus conferri possint ac debeant aliis idoneis et dignis, ad normam citati canonis 404 » (4).

VI. DE IURIBUS DIGNITATUM, CANONICORUM, BENEFICIARIORUM

459. - Statim atque dignitates, etc. ceperunt legitime (cc. 1443-1445) possessionem sui beneficii, haec iura eis obtingunt (**c. 405**) :

1° *Locus* et *suffragium* in Capitulo :

Hoc ius non obtinent canonici *ad honorem*, minores beneficiarii, dignitates quae de gremio Capituli non sint (Cf. c. 411, § 3 ; supra n. 451, 1).

2° *Stallum* sive sedes in choro ; canonicis quoque honorariis scamnum in choro conceditur.

3° Ius percipiendi *fructus praebendae* et *distributiones cotidianas*.

---

(1) Resp. *Comm. I. C.*, 10 nov. 1925, ad III. — AAS, XVII, 1925, 582. — *N. R. Th.*, 1926, 227. — *Per.* XIV, 177.
(2) S.C.C., *Nicosien.*, Optionis et electionis canonicorum, 9 iun. 1923. — AAS, XVI, 1924, 432. — *N. R. Th.*, 1925, 100.
(3) AAS, XII, 1920, 573. — *N. R. Th.*, 1921, 150. — *Per.* X, 249.
(4) Resp. *Comm. I. C.*, 26 nov. 1922. — AAS, XV, 1923, 128.—*Monit. eccl.*, 1923, 111.

De praebenda et distributionibus, cf. supra, n. 452.

4° *Insignia* honorifica, varia pro variis ecclesiis, v. g. crux vel insigne numisma Capituli ; vestis specialis, v. g. mozzeta, flocculi violacei coloris, etc. ; tituli insignes, ut Reverendissimus, etc. (cf. 409).

5° *Privilegia*, decreto erectionis vel indulto pontificio concessa.

VII. DE CANONICIS AD HONOREM (1)

460. - 1. *Canonici ad honorem* a solo episcopo, non autem a Vicario generali vel capitulari, *nominari* possunt, cum consilio Capituli cui sunt ascribendi (**c. 406**, § 1). Si promovendus ex aliena dioecesi fuerit, ad validitatem provisionis consensus eius Ordinarii est requirendus (c. 406, § 2).

Episcopus iure nominandi canonicos ad honorem ex sua dioecesi « raro et caute utatur » ; qui extra dioecesim degunt, ne duas tertias partes titularium superent (c. 406, § 3), i. e. ne sint v. g. plures quam octo, si duodecim titulares numerentur.

Canonici ad honorem non sunt confundendi cum canonicis *collegiatae ad honorem*, qui titulares dicendi sunt.

2. Canonici ad honorem obtinent :

1° *Insignia et privilegia* Capituli specialia, i. e. vestem specialem, crucem aut numisma, etc. « Canonici ad honorem alicuius basilicae vel ecclesiae collegialis almae Urbis, privilegiis et insignibus uti possunt tantum intra eiusdem basilicae vel collegiatae ecclesiae eiusque filialium ambitum ; canonici vero ad honorem aliarum ecclesiarum extra Urbem, privilegiis et insignibus utantur in dioecesi tantum ubi nominati sunt, non autem extra dioecesim, nisi ad normam can. 409, § 2 » (**c. 407**, § 1).

De vi huius canonis, cf. infra, n. 464.

2° *Scamnum* in choro.

VIII. DE IURE PRAECEDENTIAE

461. - Distinguenda est praecedentia quam obtinent prae aliis clericis canonici qui capitulariter incedunt vel a Capitulo deputati sunt a praecedentia quae singulis in sinu Capituli obtingit. — Praecedentia locum habet in choro, in processionibus, in functionibus capitularibus, etc.

1. « Capitulum cathedrale praecedit collegiali, etiam insigni, in ipsa quoque collegiali ecclesia ; Capitulum insigne praecedit non insigni... » (**c. 408**, § 1). — De praecedentia inter canonicos, applicandae sunt normae generales canonis 106 (Cf. supra, n. 198).

(1) Cf. NOTTARP, H., *Ehrenkanoniker und Honorarkapitel*, in *Ztsch. der Savigny-Stiftung, Kanon. Abt.* XIV, 1925, 174, ss.

2. « In Capitulis in quibus habentur distinctae praebendae presbyterales, diaconales, subdiaconales, servetur praecedentia ordinis ; et in eodem ordine, praecedentia receptionis in ordinem, non autem in Capitulum » (c. 408, § 2).

Praebendae presbyterales, diaconales, subdiaconales, sunt ad quas obtinendas ordo praedictus requiritur et sufficit. — Si quis aliud stallum loco sui obtineat, ex. gr. si canonicus fiat Theologus in Capitulo in quo iste stallum proprium habet, praecedentiam anteriorem amittit, quae a recepto novo officio iam computatur.

§ 3. DE OBLIGATIONIBUS ET IURIBUS CANONICORUM COMMUNIBUS

462. - Aliae obligationes Capitulum, aliae singulos canonicos premunt ; aliis actionibus ponendis canonici speciali praerogativa utuntur, aliis mero munere funguntur. De obligationibus et iuribus quae ad Capitulum aut ad singulos pertinent, Codex successive agit cc. 409-422.

De iure et obligatione consilii vel consensus episcopo dandi, ad varia negotia, Codex in diversis locis loquitur, v. g. cc. 895. 1428. 1532. 1541, etc. De iuribus et obligationibus Capituli *sede vacante*, agitur in c. 429, ss. Cf. infra, n. 477.

463. - Professio fidei ante captam beneficii possessionem emittenda est personaliter coram loci Ordinario eiusve delegato et coram Capitulo (cc. 405, § 2. 1406, 6°). — Eidem adiungendum est iuramentum antimodernisticum.

464. - *De veste ferenda.*

1. *In choro,* qui in dignitate episcopali sunt constituti, vestem episcopalem, ceteri *omnes* vestem sibi in Bulla erectionis assignatam aut apostolico indulto concessam deferre debent ; qui secus egerit, tamquam absens censetur (c. 409, § 1).

Sanctio ad episcopos sicut ad ceteros extenditur. Statuta capitularia huic iuri, ceteroquin iam ante Codicem vigenti, contraria ad normam can. 410 reformanda fuerunt ; nisi causa specialis adsit, consuetudinem contrariam, etiam immemorabilem, Ordinarii tollere debent (1).

2. *Extra dioecesim,* canonici vestem choralem et insignia capitularia adhibere non possunt, nisi episcopum comitentur aut episcopum Capitulumve repraesentent. Reprobatur contraria consuetudo, sed non revocatur contrarium privilegium (c. 409, § 2).

Ad usum vestis specialis extra dioecesim non est necesse ut canonicus episcopum in sollemniore sessione, coetu, officio comitetur. — Ut quis dicatur episcopum aut Capitulum repraesentare, eorum mandatum accepisse debet. Exempla sint, cum quis repraesentat episcopum in Concilio generali (c. 223), Capitulum in Concilio provinciali (c. 286, § 3), alterutrum in sollemniore coetu ad quem invitati

---

(1) S.C.C., *Olomucen.*, Vestis choralis, 13 iun. 1925.—AAS, XVII, 1925, 538.—*N.R.Th.* 1926, 66.

fuerint, etc. — Quia reprobatur consuetudo contraria, ab episcopis tolerari nequit, neque a praescripto canonicis 409 ipsi dispensare possunt (1).

465. - Statuta condere est ius et obligatio uniuscuiusque Capituli. Episcopi est approbare eorum textum, mutationes, abrogationem ; immo ipsa statuta conficere loco Capituli ultra sex menses neglegentis praeceptum eadem condendi (**c. 410**).

S. Congregatio *Concilii*, 25 iul. 1923 (2), praecepit omnibus episcopis ut proprio Capitulo, si statuta, et ad normam quidem Codicis emendata non haberet, terminum praestituerent sex mensium ad ea conficienda vel emendanda. Iubebantur quoque referre ad S. C. saltem die 25 iulii 1924 de peracta statutorum emendatione et observatione, quae tamen a S. C. non recognoscuntur.

Obiectum statutorum sunt res *ad Capitulum*, non ad singulos canonicos aut ad ipsam ecclesiam cathedralem spectantes ; poenas edicere possunt, quae fines potestatis dominativae non excedant (Wernz, II, 790. II).

466. - *Ius et obligatio celebrandi coetus capitulares* (**c. 411**).

Alii coetus Capituli sunt ordinarii, alii extraordinarii. Priores statuto tempore ac loco, sine speciali convocatione habendi sunt ; alii haberi possunt e speciali convocatione, ad normam statutorum facienda, iubente episcopo aut praeside Capituli aut ex sententia Capituli per maiora suffragia data. — In utrisque soli canonici titulares et dignitates quae de gremio Capituli sunt, vocem activam habent.

Negotia de quibus *capitulariter* decernitur, ad normam canonis 101 gerenda sunt ; in electione Vicarii capitularis et oeconomi, sede vacante, normae de electione c. 160, ss. adhibendae sunt. De iure mansionariorum cf. supra n. 451, 1.

467. - Assistentiae et associationi praestandae episcopo pontificalia exercenti aut ad ecclesiam cathedralem accedenti vel ab ea recedenti canonici tenentur. Assistentiam debent in qualibet ecclesia civitatis aut suburbii, si episcopus eos invitaverit, et dummodo, *iudicio episcopi*, sufficiens numerus canonicorum et ministrorum in ecclesia maneat (**c. 412**, § 1).

Praeterea « episcopus potest duos e Capitulo sive cathedrali sive collegiali assumere ac retinere, ut sibi in ecclesiastico ministerio ac dioecesis servitio assistant » (c. 412, § 2).

468. - *De servitio chori.*

1. Servitium chori constat recitatione sollemni breviarii in choro et celebratione sollemnis missae conventualis pro benefactoribus in genere applicandae. — Praeterea certis diebus una vel plures aliae missae, sive secundum rubricas, v. g. in vigiliis in quibus occurrit festum duplex, sive e piis fundationibus celebrandae sunt (**c. 413**, § 2).

Servitium quod per se cotidianum est et omnes horas complectitur variis indultis non ita raro temperatur.

(1) Cf. *N. R. Th.*, 1921, 419.

(2) AAS, XV, 1923, 453. — *N. R. Th.*, 1924, 245. — *Per.* XII, 99.

Missa quam episcopus vel eius loco alius sollemniter celebrat, non est conventualis; quare obligatio celebrandi illis diebus missam capitularem Hebdomadarium premit (c. 413, § 3).

Quod si dignitas aut alius canonicus, coram episcopo at non eius loco missam die festo celebret, cum haec capitularis sit, benefactoribus applicanda est (1).

2. Servitium chori non est obligatio tantum Capituli (c. 413, § 1) sed et singulorum beneficiariorum « nisi servitium per turnum a Sede Apostolica aut fundationis legibus fuerit indultum » (c. **414**).

Ius *alternativae* (i e. servitii per turnum) neque consuetudo neque constitutiones capitulares inducere possunt, sed tantum indultum apostolicum aut lex fundationis (2) — Hebdomadarius post cantatam missam conventualem ad gratiarum actionem faciendam a choro abesse potest, dum cantantur horae missam sequentes: tempore tamen Quadragesimae ante Vesperas redire debet. *S. C. C.*, Resp. 14 nov. 1925. E *Mon. eccl.*, 1927, 133.

469. - *De regimine ecclesiae collegialis simul et paroecialis.*

1. Ecclesia cathedralis aut collegialis potest variis modis simul esse paroecialis, sc. sive in ea erecta sit paroecia plene independens a Capitulo, sive cura animarum uniatur praebendae definitae, v. g. Decani, archipresbyteri, etc.. sive toti Capitulo principaliter incumbat, quia paroecia mensae capitulari pleno iure unita sit. In triplici casu oportet definire quaenam sint iuridicae relationes parochum inter et Capitulum quod ad regimen ecclesiae.

In c. 471 agitur tantum de paroecia cum ecclesia collegiali pleno iure unita et de officiis et iuribus Capituli et Vicarii curati, sive eadem ecclesia Capitulo et paroeciae inserviat, sive non. Si paroecia Capitulo ita uniatur, ut ecclesia paroecialis alia sit atque ecclesia Capituli, solus c. 471, non autem c. 415 applicandus est.

2. Quotiens ecclesia cathedralis aut collegialis simul est paroecialis, Capitulum iura quaedam exercet, quae secus ad parochum pertinerent. Canon 415 ea definit, salvis indulto speciali S. Sedis aut conventione particulari in erectione paroeciae inita et a loci Ordinario probata (c. **415**, § 1).

Haec autem iura sunt : *a*) custodia SS. Eucharistiae ; *b*) vigilantia in modum quo parochus leges liturgicas in functionibus *in ipsa ecclesia* peragendis servet ; *c*) cura ecclesiae et administratio eiusdem bonorum cum piis legatis, i. e. Capitulo incumbit obligatio ecclesiam conservandi, reficiendi, ornandi, etc.

Episcopi est definire quamnam operam adiutricem Capitulum parocho navare debeat (c. 415, § 4) et conflictus inter Capitulum et parochum dirimere (ibid. § 3).

Parochus alia omnia iura paroecialia obtinet et obligationes implet, vitando tamen ne capitulares in suis functionibus impediat (ibid. §§ 2.4).

---

(1) S. C. C. *Dioecesis V.*, Missae conventualis, 13 mart. 1920 et 12 mart. 1921, AAS, XIII, 1921, 438. — *N. R. Th.*, 1921, 541. — (2) *S. C. C.*, Resp. 23 apr. 1927. AAS, XIX. 1927, 415. — *N. R. Th.*, 1927, 144. — *Per.*, XVI, 171.

470. - *De missa conventuali.*

1. Servitium *altaris* per turnum ad normam statutorum praestatur; a ministerio tamen diaconi et subdiaconi eximuntur dignitates, canonici Theologus, Paenitentiarius et, « si praebendae distinctae habentur » presbyteri (**c. 416**).

Haec exemptio locum obtinet in « chorali ordinario servitio a canonicis erga canonicos exhibendo », non autem ubi de assistentia episcopo praestanda agitur, ad normam *Caerim. episc.*, c. VIII (1).

2. Salvo iure particulari « capitularis infirmitate detentus non tenetur eleemosynam praebere sacerdoti capitulari, qui ipsius vicem supplet in missae conventualis celebratione et applicatione... » (**c. 417**, § 2).

471. 1. Residentiae lex canonicos obligat ut adsint in choro inter officia; non autem in loco extra officia.

Residentia computatur per dies, non per horas. Quare qui extra legitimas ferias per partem officii absens est, per totam diem absens censetur. Amittit partem praebendae diei respondentem, sed percipit distributiones annexas horis quibus adfuit (2). Eadem computatio facienda est in casu illegitimae absentiae illius qui obtinuit « indultum pro diebus et horis » (3).

2. Tres menses *feriarum* in anno singulis iure communi conceditur, nisi legitima propriae ecclesiae statuta aut consuetudo servitium diuturnius requirant. Reprobatur consuetudo longiores vacationes concedens (**c. 418**, § 1).

In Capitulis quae servitium per turnum habent, hebdomadae quibus canonicis vi turni abesse licet, feriis non assimulantur.

Iidem dies festi, quos supra (n. 409) pro episcopo indicavimus, excluduntur. Nec ullo umquam tempore capitulares ultra tertiam partem simul abesse possunt (c. 418, § 2).

Canonici iubilati et qui chorale indultum obtinuerunt censeri possunt intra praesentes ad constituendas duas tertias partes Capitularium, qui adesse debent. — Tertia autem pars de qua agitur est tertia pars numeri totalis canonicorum uniuscuiusque ecclesiae (4).

3. In ecclesiis in quibus servitium chori per turnum admittitur, ex iusta causa potest quis servitio suo satisfacere per alium canonicum vel beneficiarium, pro suo gradu, ad servitium chori eodem tempore non astrictum (**c. 419**, § 1).

Ex responso particulari S. C. *Concilii* videtur canonicus aut beneficiarius illegitime absens nullam redituum partem retinere posse pro recitato et applicato privatim divino officio (5); auctoritas tamen et interna motiva sententiae oppo-

(1) S. C. *C.*, *Boianen.*, Servitii choralis, 14 febr. 1920. — AAS, XII, 1920, 117. — *Conchen.*, Onerum canonicalium, 10 mart. 1923. — AAS, XV, 1923, 588, — *N. R. Th.*, 1924, 247, — *Per.* XII, 165. — (2) Cf. S. C. *C.*, *Abulen, et aliarum*, Residentiae et distributionum, 16 mart. 1924. — AAS, XVII, 1925, 192. — *N. R. Th.*, 1925, 433, — *Per.* XIV, 90. — (3) *S. C. C.*, Resp. 23 apr. 1927. AAS, XIX, 1927, 415. — *Per.* XVI, 171. Indultum *pro diebus et horis* est indultum concedens alicui ut absit a choro « diebus et horis », quibus v. g. docet in Seminario. — (4) *S. C. C.*, Resp. 14 nov. 1925. — Ex *Monit. eccl.*, 1927, 133. *Per.* XVI, 91. — (5) S. C. *C. Toletana et aliarum*, Servitii choralis, 10 iul. 1920. — AAS, XII, 1920, 357, ss.

itae inde elidi non videntur (Cf. *Epitome*, III, 585) — Substitutus debet esse canonicus *titularis eiusdem* ecclesiae, item beneficiarius si de beneficiario agitur ; neque canonicus coadiutor, etiam cum iure successionis, neque canonicus ad honorem vices canonici in officio implendo sumere potest (1). Sed canonici iure *alternativae* gaudentes, per interessentiam in hebdomada *non sua non* possunt supplere absentias admissas in hebdomada *sua*. » (2)

3. Obligatio celebrandi missam conventualem obligationem missae pro populo antecellit ; quare qui utraque simul oneratur, hanc alteram per alium vel die sequenti per se implere debet (c. **419**, § 2).

472. - *De iure ad fructus praebendae et distributiones.*

Distinguendum est : 1° inter eos qui in choro adsunt vel adesse censentur, absentes et non residentes ; 2° inter fructus praebendae, distributiones cotidianas et distributiones inter praesentes.

Nimirum quaedam bona distributiones *inter praesentes* dicuntur iisque tribuuntur qui *actu*, non sola iuris fictione, in choro adsunt. Attamen etiam hae distributiones quibusdam legitime absentibus tribuuntur, nisi obstet expressa fundatorum voluntas. — Cum quaedam *supplementa* v. g. a potestate civili conceduntur, accurate investiganda est natura supplementi ; potest enim coniungendum esse cum ipsa praebenda eiusque legi esse obnoxium aut a praebenda distingui (3).

1. *Qui residet et in choro adest*, obtinet fructus praebendae, distributiones cotidianas simplices et inter praesentes.

Illegitime *non residentes*, pro rata parte absentiae, fructus ipso facto non faciunt suos iuxta c. 2381, et episcopo tradere debent ut in utilitatem ecclesiae et causas pias erogentur ; qui autem per diei partem choro assignatam abest, tota die censetur non residere pro praebendae fructibus.

2. *Per vacationes* percipiuntur soli fructus annui praebendae aut duae tertiae partes distributionum, si his tota praebenda consistat.

3. Ita *excusantur a choro*, ut percipiant distributiones *inter praesentes* (c. **420**) :

1° Capitulares *iubilati*. Cf. infra, n. 473.

2° Qui exercitiis spiritualibus vacant, at semel tantum in anno.

3° Qui ab episcopo invitati, eidem sollemniter celebranti, etiam in alia civitate, assistunt.

4° Qui operam navant conficiendis processibus beatificationis vel canonizationis (Cf. c. 1999), vel in his causis uti testes vocati sunt, « pro diebus et horis quibus hoc officium praestant ».

1° Dum proprio muneri suo vacant, canonicus Theologus (per totam diem) Paenitentiarius (per actus muneris), Vicarius paroecialis, parochi consultores, examinatores et iudices synodales.

2° Qui infirmitate aliove physico impedimento, ut caecitate, surditate, detinentur.

3° « Qui de Capituli consensu, non contradicente episcopo, absunt a choro ob *Capituli* seu *propriae ecclesiae* utilitatem ».

(1) Cf. *Monit. eccl.*, 1925, 302. — (2) *S. C. C.*, Resp. 23 apr. 1927. AAS, XIX, 1927, 415. — *Per.* XVI, 171. *N. R. Th.* 1928, 144. — (3) *S. C. C.* Resolutio 16 iul. 1927. *AAS*, XX, 1928, 389. — *N.R. Th.*, 1928, 162. — *Per.*, XVIII, 45.

Episcopus canonicum a choro excusare, servato iure ad distributiones, non possit, ut eum pio operi praeponat.

4° Qui ad synodum dioecesanam mittuntur.

5° Qui dioecesis visitationem cum episcopo aut eius nomine perficiunt.

Alii quidam casus rariores c. 420, 6° ; 8° ; 9°, adduntur.

5. « § 1. *Excusantur a choro*, sed percipiunt *fructus* praebendae dumtaxat, *non* autem *distributiones* :

« 1° Qui de licentia Ordinarii loci *publice* docent in scholis ab Ecclesia *recognitis* sacram theologiam aut ius canonicum » ;

Comprehenduntur in hoc textu quicumque docent disciplinas ad Facultatem theologiae vel iuris canonici pertinentes, ut historiam ecclesiasticam, linguas orientales, etc. (1). — Si canonicus ad docendum retributionem peculiarem percipiat, a perceptione fructuum praebendae non ideo excluditur.

« 2° Dantes operam studio sacrae theologiae aut iuris canonici in publicis scholis ab Ecclesia probatis de Ordinarii licentia » ;

Idque etiam, ut videtur, per ferias, quia aequum est ut post studia feriari possint.

« 3° Vicarius capitularis, Vicarius generalis, Officialis ac cancellarius, si de gremio sint, dum muneribus vacant » ;

« 4° Canonici qui episcopo inserviunt ad normam c. 412, § 2 ».

Idem, non plus obtinent clerici secreti qui R. Pontifici praesertim in functionibus sacris privatis assistunt (Resp. *Comm. I. C.*, 20 maii 1923) (2).

« § 2. Quod si omnes praebendae fructus consistunt in distributionibus, vel adeo sint tenues ut tertiam distributionum partem non attingant, tunc memorati omnes duas tantum tertias partes distributionum lucrantur, cumulatas ex fructibus praebendae ac distributionibus » (c. 421).

§ 4. DE CANONICO IUBILATO

473. - 1. Iubilatus dicitur canonicus vel beneficiarius Capituli qui a S. Sede *indultum iubilationis* impetravit « post continuum et laudabile quadraginta annorum in eadem vel distinctis ecclesiis eiusdem civitatis vel saltem dioecesis chori servitium » (c. 422, § 1).

Non est necesse ut iubilatus fuerit per totum illud tempus *canonicus*, sed requiritur ut choro servierit tamquam beneficiarius aut canonicus.

2. Iubilatus lege residentiae iam non tenetur ; percipit semper fructus praebendae et simplices distributiones ; immo, nisi expresse ius particulare aut voluntas fundatorum vel oblatorum obstet, distributiones inter praesentes. — Iure optionis *semper* caret (c. 422, §§ 2. 3) (3).

Sicubi vigeat consuetudo etiam immemorabilis obligandi canonicum iubilatum ad servitium altaris per turnum, non est toleranda, cum prudenter removeri possit (Cf. c. 5). Cf. *Monit. eccl.*, 1923, 363.

---

(1) Resp. *Comm. I. C.*, 24 nov. 1920. — AAS, XII, 1920, 573. — *N. R. Th.*, 1921, 152. — *Per.* X, 249. — S. C. *C.*, *Oxomen.*, Praesentiae choralis, 9 iun. 1923. — AAS, XVII, 1925, 510. — *N.R.Th.*, 1926, 464. — *Per.* XIV, 118. — (2) AAS, XVI, 1924, 113. — *N.R.Th.*, 1924, 302. — *Per.* XIII, 78 et 83. — (3) Cf. S. C. *C.*, *Barcinonen.*, 27 febr. 1909. — AAS, I, 1909, 283, ss.

Caput VI. - De consultoribus dioecesanis
(cc. 423-428)

Scriptores : AYRINHAC, *Constitution of the Church*, p. 27[illegible], ss. — DE MEESTER, *Compendium*, II, n. 779, ss. — TOSO, *Comm. minora in h. cc.* — WERNZ-VIDAL, S. I., *Ius canonicum*, II, n. 697, ss.

474. - In votis S. Sedis est ut in singulis dioecesibus Capitulum cathedrale erigatur ; ubi vero adiuncta locorum id non sinunt, sacerdotes quidam selecti et stabiliter constituti episcopum in certis administrandae dioeceseos negotiis adiuvare debent.

Quod Conc. Baltimorense I (1852) suaserat, et Conc. Balt. II (1866) instantius commendabat, id Conc. Balt. III (1884) legem particularem (n. 17) fecit. Hoc tamen institutum iam a S. C. de P. F. in quasdam provincias ecclesiasticas sibi subiectas inductum erat (*Litt. ad Vic. Apost. Ind. Orient.*, 8 sept. 1869. — Instr. ad Vic. Apost. Sin., 18 Oct. 1883, V, 6) (1).

Iure Codicis institutum hoc factum est lex universalis Ecclesiae, exceptis locis quibus S. Sedes aliter providet.

1. Consultores dioecesani, iure communi, sunt sacerdotes qui in regimine dioecesis vices Capituli cathedralis gerunt, in quibus dioecesibus nondum constitui potuit restituive cathedrale canonicorum Capitulum (**c. 423**).

Hoc consilium non in solis regionibus missionum, sed v. g. in Stat. Foed. Amer. Sept. exsistit.

Qui consultores omnino distinguendi sunt a clericis quos episcopus eodem nomine constituit ut eorum ope utatur, praesertim in negotiis quae consensum aut consilium capituli non requirunt. De his Codex non agit.

2. Nominandi sunt ab episcopo (**c. 424**), ubi pauci sacerdotes sint, saltem quattuor, alibi saltem sex (**c. 425**), ad triennium et post id temporis spatium semper iterum eligibiles (**c. 426**).

Etsi Vicarius Generalis tamquam Consultor eligi potest (Resp. *S. C. C.*, 27 febr. 1914), S. Sedes suadet ut, saltem si consultores pauci sint, inter eos Vicarius Generalis non asciscatur, quo maior sit consultorum libertas opinandi et agendi.

3. *Sede vacante* : *a*) si triennium excedisse contigerit, consultores in officio manent, confirmandi vel removendi a novo episcopo intra sex menses ab inita possessione ; *b*) si aliquis consultor moriatur vel renuntiet, a Vicario capitulari nominatur alius de consensu reliquorum, postea ab episcopo confirmandus (c. 426).

475. - 1. Quae canones ad gubernationem dioecesis, sive sede plena sive impedita vel vacante, Capitulo tribuunt, ea de coetu consultorum dioecesanorum intellegenda sunt (**c. 427**).

Consultores tamen non fruuntur iuribus quae Capitulorum qua talium propria sunt, ut insignia, ius condendi statuta, etc. ; neque obligationibus Capitulorum quod ad cultum divinum propriis tenentur, v. g. servitio chorali vel servitio episcopi.

---

(1) Coll. P. F. II, nn. 1346. 1606.

Collegialiter consuli et agere debent. Id tum e verbis Codicis (*coetus* consultorum), tum e modo quo lege particulari constituebantur et de iis S. C. C. loquebatur, satis eruitur.

Quando et quibus de negotiis consulendi sint Codex sub diversis titulis definit, v. g. ad removendum consultorem durante muneris triennio (c. 428), ad convertendam paroeciam ex inamovibili in amovibilem (c. 454), ad peccata reservanda (c. 895), ad determinandam taxam funeralem (c. 1234), etc.

2. « Durante munere, consultores ne removeantur, nisi ob iustam causam ac de consilio ceterorum consultorum » (**c. 428**).

Caput VII. - De sede impedita aut vacanti ac de Vicario capitulari

(cc. 429-444)

Scriptores : DE HERDT, *Praxis capitularis*, p. 186, ss. — WERNZ, II, n. 794, ss. — AYRINHAC, *Constitution of the Church*, in h. cc. — BLAT, O. P., *Commentarium*, in h. cc. — DE MEESTER, *Compendium*, II, n. 784, ss. — WERNZ-VIDAL, S. I., *Ius canonicum*, II, nn. 701, ss.

476. - **Ordo materiae.** Cum dioecesis, sede impedita, saepe, vacante vero, fere semper a Vicario capitulari regatur, Codex primo de sede impedita aut vacanti, dein in specie de Vicario capitulari agit et de oeconomo a quo adiuvatur. In canonibus qui de Vicario capitulari et de oeconomo agunt, nobis proponuntur eorum electio (cc. 432-434) ; iura et obligationes (cc. 435-442) ; modus quo munus cessat (cc. 443. 444).

§ 1. NOTIONES DE SEDE IMPEDITA AUT VACANTI

477. - Sedes impedita dicitur si episcopus propter captivitatem, relegationem, exsilium aut inhabilitatem, ne per litteras quidem, cum dioecesanis communicare potest.

Regimen tunc est penes Vicarium generalem vel alium ecclesiasticum ab episcopo designatum ; qui, si defecerint vel fuerint quoque impediti, penes Capitulum a quo Vicarius capitularis nominandus est. — S. Sedes ab eo qui regimen suscepit de re quamprimum certior est facienda.

Si episcopus in excommunicationem, interdictum vel suspensionem inciderit, providet S. Sedes, illico a competenti Metropolita vel antiquiore Suffraganeo monenda (**c. 429**).

Administratio dioecesis extra casus in iure expressos a Capitulo assumi non potest ; quare, si umquam acciderit ut episcopus tantum *in remotis agat* et eius Vicarius generalis moriatur, regimen ad Capitulum non transit, sed S. Sedes pro provisione adeunda erit (1).

478. - « Sedes episcopalis vacat episcopi morte, renuntiatione a

(1) S. C. *Ep. et Reg.*, *Messanen.*, 11 ian. 1616.—FERRARIS, v° Capitulum, art. III, n.26.

R. Pontifice acceptata, translatione ac privatione episcopo intimata » (c. 430, § 1).

Renuntiatio debet fieri omnino libere et ex iusta causa, ut est ex. g. debilitas corporis ; R. Pontifici est notificanda et ab eo acceptanda. Neque vacat dioecesis antequam episcopus a S. C. *Consistoriali* authenticum nuntium de acceptatione acceperit.

Translatio est actus quo episcopus a sua ad aliam ecclesiam vacantem auctoritate R. Pontificis transit. Primis saeculis omnino fuit prohibita. Sed mitior disciplina in Oriente a saec. VI° et mox in Ecclesia occidentali est facta. E praxi vigenti, haud ita raro episcopi ad aliam sedem, saltem archiepiscopalem, transferuntur.

In casu translationis, prior sedes non plene vacat donec episcopus canonicam alterius sedis possessionem ceperit ; quod facere debet intra quattuor menses ab accepta translationis notitia. — Interim episcopus in dioecesi *a qua* iura et obligationes Vicarii capitularis obtinet, et fructus mensae episcopalis percipit (c. 430, § 3).

Privationis poena, ob delictum grave illata, a S. Sede semper est declaranda. Ipso iure tamen sua sede privatur qui per sex menses a cognita promotione consecrationem suscipere neglexerit (c. 2398).

479. - Sede vacante, regimen dioecesis ad Capitulum cathedrale devolvitur, nisi adfuerit administrator apostolicus aut aliter S. Sedes providerit. — Administrator, a quocumque designetur, iura et obligationes Vicarii capitularis obtinet (c. **431**).

Ad Capitulum iurisdictio ordinaria episcopi transit, exceptis iis quae in iure expresse sunt prohibita.

§ 2. DE VICARIO CAPITULARI

480. - 1. *Electio.*

Vicarius capitularis eligendus est intra octo dies ab accepta notitia vacationis, a Capitulo cathedrali, ad normam cc. 160-182 (Cf. supra, n. 241), « salvis peculiaribus huius capitis normis » (c. **434**, § 2), v. g. de tempore electionis, de amissione iuris eligendi, etc.

Si Capitulum, intra tempus determinatum, neminem elegerit aut invalidam electionem fecerit, eius defectui supplere debet Metropolita aut, si culpandum fuerit Capitulum metropolitanum, senior provinciae Suffraganeus (cc. 432. 434).

2. Ad *validitatem* electionis, requiritur ut :

1° Vicarius *unus* eligatur (c. 433, § 1);

Contraria *consuetudo* reprobatur, itaque longae disputationi finis imponitur.

2° *Sacerdos* sit, *triginta* annos natus, ad eandem sedem *non electus*, nominatus aut praesentatus (c. **434**, § 1) ;

3° *Numerum suffragiorum* validorum absolute maiorem obtinuerit (c. 433, § 2).

3. *Illicite* eligeretur qui non esset theologiae aut iuris canonici saltem vere peritus, iisque moribus et prudentia praeditus quae tale officium requirit. — Nullibi dicitur e gremio Capituli assumendus. — Ei non licet aliud officium cum novo incompatibile, ut esset paroecia, retinere.

4. Haec electio nullius confirmatione indiget (**c. 438**).

481. - *Potestas, iura et privilegia.*

1. Ad Vicarium transit *ordinaria* episcopi *iurisdictio* in spiritualibus et temporalibus (**c. 435**, § 1), cuius nullam partem Capitulum sibi retinere potest (**c. 437**).

Nisi aliud *expresse* cautum fuerit, rescripta a S. Sede episcopo concessa exsequi potest et facultatibus « habitualibus » uti (Cf. supra, n. 153).

2. *Exercitium pontificalium* cuilibet episcopo concedere vel per se ipse, si episcopus sit, exercere potest, excluso usu throni et baldachini (c. 435).

Usus enim throni et baldachini non conceditur una cum facultate exercendi pontificalia, sed licentiam specialem episcopi residentis requirit (Cf. c. 337, § 3).

3. Vicarius capitularis *praecedit* publice et privatim omnibus dioecesis clericis, nisi quis charactere episcopali sit praeditus, quo ipse careat. — Si episcopus non est, habet, durante munere, *privilegia* et *insignia* protonotarii apostolici titularis (cc. **439**, 370).

482. - *Fines* potestati Vicarii capitularis ponunt expressae iuris exceptiones et **c. 436** : « Sede vacante nihil innovetur ».

Hoc principio prohibetur Vicarius capitularis (et Capitulum) quidpiam facere quod *in detrimentum* ecclesiae vel Praelati successoris vergere possit ; dioecesis enim minori aequiperatur (c. 100, § 3), cuius integra iura servari debent. Quae vero ecclesiae vel successori prosint, facere potest (Cf. Reiffenstuel, in l. III, t. 9, n. 13, ss.).

Actus expresse iure prohibiti sunt, v. g. : convocare synodum dioecesanam (c. 357) ; unire paroeciales ecclesias inter se aut cum beneficio non curato (c. 1423) ; nominare canonicos ad honorem (c. 406) ; dare dimissorias litteras infra annum a vacante sede iis qui non arctantur ratione beneficii recepti vel recipiendi, etc. (c. 958) ; concedere indulgentias (c. 912) ; condere Congregationem religiosam (c. 492). Ac iam ante Codicem, propter principium « sede vacante nihil innovetur », Vicarius capitularis prohibebatur admittere Institutum religiosum in dioecesi nondum exsistens (Cf. Vermeersch, *De religiosis*, I2, n. 104).

Ius habet ad congruam *retributionem*, desumendam e reditibus mensae episcopalis aut aliis emolumentis, nisi aliter ipsi fuerit legitime provisum. — Cetera emolumenta quae, sede plena, ad episcopum pertinent, sede vacante, futuro episcopo reservantur (**c. 441**).

483. - *Obligationes.*

1. *Professionem fidei* coram Capitulo cathedrali personaliter emittere debet, antequam iurisdictionem obtineat (cc. **438.** 1406. 1407).

Ad iuramentum contra modernismum non tenetur.

2. *Residentia* et *applicatio missae* pro populo ei, ut episcopo, imponuntur (cc. **440.** 338. 339. Cf. supra, nn. 409. 410).

484. - *Cessat* Vicarii *officium* :

1) *Remotione*, quae S. Sedi reservatur.

2) *Renuntiatione*, etiam non acceptata a Capitulo, cui tamen exhibenda est.

3) Quando episcopus *praesentatione* suarum *litterarum* canonicam possessionem dioecesis capit (cc. **443.** 334, § 3).

Vicarius capitularis, si fuerit in episcopum electus aut nominatus, officium suum usque ad captam dioecesis possessionem, retinere et exercere potest (c. 334). Ita definitur sententia olim multum disputata.

Episcopo, non autem Capitulo, rationem sui officii et administrationis reddere debet (c. **444**).

§ 3. DE OECONOMO

485. - 1. In dioecesi in qua fructus percipiendi sunt, Capitulum, sede vacante, praeter Vicarium capitularem, oeconomum constituere debet, nisi malit istud munus ipsi Vicario tribuere (c. 432).

Oeconomus, intra idem tempus (c. 432) ac Vicarius *eligendus* (c. 433), sub eius auctoritate administrationem rerum ecclesiasticarum et proventuum gerit (c. **442**).

2. Ius quoque habet ad legitimam *retributionem* (c. 441).

3. Cessat eius munus iisdem modis atque officium Vicarii (c. 443). Rationem suae administrationis episcopo reddere debet (c. 444).

Caput VIII. - De Vicariis foraneis

(cc. 445-450)

Scriptores : Wernz, II, n. 812, ss. — De Meester, *Compendium*, II, n. 803. — Wernz-Vidal, S. I., *Ius canonicum*, II, nn. 714-716.

486. - Vicarius foraneus est sacerdos qui districtui pluribus paroeciis constanti ab episcopo praeficitur (c. **445**).

Inter saec. VI et IX, mos invaluit maiores dioeceses in plures archidiaconatus dividendi, qui in archipresbyteratus rurales dismembrati sunt. His praeerant archipresbyteri seu decani rurales cum potestate satis restricta.

Decanus vocabatur Religiosus qui decem monachis et Capitulo regulari praeerat: inde vox ad archipresbyterum translata est (1).

Ab episcopo libere eligitur et ab officio removetur ; commendatur ut potius inter rectores ecclesiarum paroecialium eligatur (c. 446).

487. - Vicarius foraneus, si quam *iurisdictionem* habeat, non habet nisi delegatam. Facultates enim eius in synodis vel a singulis episcopis definiuntur.

Eius munus est praesertim invigilandi num a parochis omnia quae ad disciplinam ecclesiasticam et cultum divinum pertinent, rite serventur. Eorum ecclesias statis ab episcopo temporibus visitare debet (c. 447). Convocat eos ad collationes casuum, quibus ipse praesidet (c. 448). Singulis annis de statu sui decanatus episcopo rationem reddit et remedia defectibus adhibenda proponit (c. 449).

Ad ipsum pertinet operam dare ne parochi sui districtus, si graviter decumbant, spiritualibus auxiliis, neve si decesserint, honesto funere careant et « curare ne eo [parocho] aegrotante vel decedente libri, documenta, sacra supellex aliaque quae ad ecclesiam pertinent, depereant aut asportentur » (c. 447).

De ipsa visitatione eduntur instructiones speciales vel consulenda sunt acta synodorum dioecesanarum (2).

488. - *Iura. Sigillum* habet vicariatus proprium et ceteris sui decanatus sacerdotibus *praecedit* (c. 450), etiam parochis, etsi ipse parochus non sit.

Canon 450 agit de casibus in quibus Vicarius foraneus cum sacerdotibus incedit, quibus vi officii praeest (3). Si canonicus sit, nullam in Choro praecedentiam qua Vicarius foraneus obtinet.

Ad synodum dioecesanam convocandus est (c. 358). Habitualiter ipsi est concedenda potestas absolvendi a peccatis episcopo reservatis cum facultate toties quoties subdelegandi (c. 899).

---

(1) CE, v° Archpriest. — D. Arch. Lit., v° Archiprêtre. — KL, v° Decan.

(2) V. g. « Visitatio et relatio fiant iuxta normas a nobis statutas » (*Statuta syn. dioec. Namurcen.*, 1925, n. 68). *Instr. archid. Colonien.*, 15 oct. 1920 : *Kirch. Anzeiger f. d. Erzd. K ln*, 1 ,20, 135, ss.

(3) Resp. *Comm. I C.*, 10 nov. 1925, ad IV. — AAS, XVII, 1925, 582. — *N.R.Th.*, 1926, 227.—*Per.* XIV, 177.

Caput IX. De parochis

(cc. 451-470)

Scriptores : BOUIX. *Tractatus de parocho.* — WERNZ, II, n. 819, ss. — AYRINHAC, *Constitution of the Church*, p. 293, ss. — BARGILLIAT, *Droits et devoirs des curés et des vicaires paroissiaux.* — BLAT, O. P., *Commentarium*, II, in h. cc. — DE MEESTER, *Compendium*, II, n. 804, ss. — FANFANI, O. P., *De iure parochorum.* — SCHAFER, T., O. M. Cap., *Pfarrer und Pfarrikure.* — TOSO, *Comm. minora in h. cc.* — WERNZ-VIDAL, S. I., *Ius canonicum*, II, n. 717, ss.

489. - Ordo materiae. Caput IX in quattuor partes dividitur. Prima iuridicam notionem parochi plene tradit (c. 451) ; secunda normas provisionis officii (cc. 452-461) ; in tertia, iura parochi (cc. 462-463), in quarta, eius obligationes proponuntur (cc. 464-470).

§ 1. DE NOTIONE ET DIVISIONE OFFICII PAROCHORUM

490. - Definitio. « Parochus est sacerdos vel persona moralis cui paroecia collata est in titulum cum cura animarum sub auctoritate Ordinarii loci exercenda » (c. **451**, § 1).

Officium parochi circa saec. V ortum videtur, quando presbyteri qui ruricolarum curam habebant, ad civitatem episcopalem non iam redibant, sed in maioribus urbibus et in ipsis vicis populo certo permanenter praepositi sunt. — *Nomen* « parochus » a fine tantum saec. XIV adhiberi coeptum est. Vocabatur in primis saeculis presbyter dioecesanus, villanus, forensis, parochitanus ; dein sacerdos proprius (iam a saec. VIII°) ; tandem plebitanus, curatus, pastor.

Paroecia *essentialiter* constituitur certo populo cuius universam fori interni curam pastor legitimus vi officii et nomine proprio exercet, ita ut ab ipso fideles quaedam sacra recipere debeant. — Iure tamen communi, paroecia, quantum fieri potest, ratione territorii est constituenda, ideoque :

Paroecia (generatim) est distincta pars territorialis dioecesis, cui peculiaris ecclesia cum populo determinato est assignata et praefectus peculiaris rector, tamquam proprius eius pastor pro necessaria animarum cura (Cf. c. 216, § 1).

491. - Parochis aequiperantur in iure, nisi aliud expresse caveatur quasi-parochi, qui quasi-paroeciam regunt (cf. c. 216, § 3. Supra, n. 292, 2) et ii Vicarii paroeciales qui plena potestate sunt praediti. Hi enim totum parochi officium obtinent, ut in capite sequenti fusius explicabitur (c. 451, § 2).

Rectores *ecclesiae subsidiariae* vel *cappellaniae* ob deficientem fidelium numerum vel dotem congruam erectae loco verae paroeciae (1), eandem

(1) Cf. supra, n. 292, 1.

animarum curam exercent atque parochi. Obligatione tamen celebrandi pro populo non tenentur (Declar. S. C. *Consistorialis*, 1 aug. 1919) (1).

492. - *Cappellani militum* saepe parochi militum vocantur. De his tamen praescripta peculiaria S. Sedis vigent, quae proin non sunt mutata (c. 451, § 3).

Cappellani militum alii a singulis Ordinariis, ut in Gallia, Belgio, pendent; alii a supremo quodam Vicario Apostolico, qui episcopus castrensis vel Ordinarius militaris vocatur, ut in Hispania, in Italia, in Polonia et in exercitu gallico qui Germaniam tenet.

Priorum iura e litteris delegationis sunt eruenda et a singulorum Ordinariorum locorum delegatione pendent ; istorum iurisdictio in foro interno vel ad assistendum matrimoniis militum finibus dioecesium non limitatur (2). — In Austria cappellanus divisionis (Brigadepfarrer) iurisdictionem pro matrimoniis habet personalem et « solum intuitu personarum quae exercitui annumerantur » territorialem (sc in toto regno) (*Wiener Diöcezanbl.*, 1924, 40).

493. - Divisio. Parochi (vel paroeciae) dividi possunt :

1. In *habituales* et *actuales*.

Parochus habitualis dicitur persona moralis, i. e. collegium vel Capitulum penes quod cura animarum definiti territorii est, etsi illam curam *actu* exercendam Vicario paroeciali committere omnino debet. *Actualis* parochus est persona physica quae curam animarum de iure et de facto exercet.

Notandum est Codicem personam moralem, v. g. Capitulum cathedrale aut regulare tamquam verum parochum habere, ut ex ipsa c. 451, § 1 definitione elucet ; satisque est consulere Pallottini, *Collectio SCC*, sub verbo *Parochus*, ut quis videat in plurimis S. C. *Concilii* et canonistarum textibus curam animarum *penes* personam moralem esse ; quod etiam e nomine Vicarii (c. 471, § 1) paroecialis patet. — Quare assertum P. Wernz « parochi habituales veri parochi non sunt » (3) recte est intellegendum, ne doctrinae communi et Codici aperte contradicatur.

2. In *amovibiles et inamovibiles*, pro minore maioreve gradu stabilitatis sui officii.

Haec distinctio in Codice expressis verbis proponitur (cc. 454. 2147, ss.). Porro etsi *omnes* parochi ob certas causas removeri possunt, processus ad *removendos* eos qui sunt inamovibiles paulo complexior est (Cf. c. 2153, ss. *Epitome*, III, n. 353) neque inviti sine speciali S. Sedis facultate *transferri* possunt (c. 2163, § 1. *Epitome*, III, n. 362).

Inamovibilitatem ergo ad *essentiam* paroecialis officii non pertinere iam satis certum erat e communiore Doctorum sententia (4) ; nec ulli dubio subiacet e Decreti *Maxima cura* (10 aug. 1910) canone 30 (5) ; dein cum ex ipso Codice, tum e declaratione S. C. *Consistorialis*, 1 aug. 1919, clare eruitur (6).

---

(1) AAS, XI, 1919, 346. — *N. R. Th.*, 1920, 32. — *Per.* X, 50.

(2) Cf. *S. C. Cons.*, Decr. 6 mart. 1925. — AAS, XVIII, 1926, 42. — *N. R. Th.*, 1926, 298.

(3) *Ius Decretalium*, II, n. 821, II, a. — Wernz-Vidal, *Ius canonicum*, II, n. 720, II, a. — (4) Cf. Bouix, *De parocho*, I, p. 209, ss. — (5) AAS, XI, 1910, 636.

(6) Cf. Hinschius, *System des kath. Kirchenrechts*, II, p. 305. — Wernz, II, p. 669, notam 15.

Nullum igitur iam dubium est quin *succursalistae* in Gallia et Belgio veri dicendi sint parochi. In his enim regionibus « succursalistae » vocantur rectores praepositi ecclesiis secundariis, ex institutione primaeva sine dotatione civili, et ad nutum episcopi *revocabiles*, iuxta articulos organicos (14, 31, 60, 63, 68) concordati gallici. Ob eorum amovibilitatem, multi eos parochos, proprie dictos, habere nolebant (Cf. De Brabandere, *Compendium*, I[8], p. 492).

3. In *locales* et *personales*.

Haec divisio non est perfecta. Competentia enim parochi determinatur *a*) vel solo territorio ; *b*) vel territorio et personarum indole, si v. g. praeest omnibus qui in territorio definito ad certum ritum aut nationem pertinent ; *c*) vel sola personarum qualitate, v. g. vinculo consanguinitatis aut servitio militari.

4. In *saeculares* et *religiosos*. Quae distinctio explicatione non indiget

§ 2. DE PROVISIONE CANONICA PAROCHORUM

494. - Ut provisio sit *valida* requiritur nominatio personae physicae, salvo indulto Apostolico, sacerdotis, a legitimo Superiore designati.

Ut sit *licita*, provisio fiat oportet plerumque in perpetuum, intra tempus legitimum, in favorem dignioris, qui unus unam paroeciam regat.

495. - *De subiecto passivo.*

1. Paroecia conferenda est personae *physicae* neque potest sine indulto Sedis Apostolicae « personae morali pleno iure uniri, ita nempe ut ipsamet persona moralis sit parochus » (c. 452, § 1).

Duplex unio ecclesiae cathedralis vel collegialis cum paroecia exsistere potest ; priore omnia iura, spiritualia sc. et temporalia, paroeciae cum ecclesia cathedrali vel collegiali aut cum monasterio uniuntur ; altera reditus tantum paroeciae in commodum ipsius ecclesiae cathedralis, etc. cedunt, iura vero spiritualia ad proprium, fere in omnibus independentem, pastorem paroeciae pertinent. Prior unio sine indulto S. Sedis est invalida, altera ab episcopo pendet (c. 1423, § 2).

Renovatur praescriptum multis S. Congr. *Concilii* responsis et decretis inculcatum, committendi *totam* curam actualem animarum Vicario paroeciali, cum omnibus obligationibus et iuribus parochorum (cc. 452, § 2 ; 471) (1).

2. « Ut quis in parochum *valide* assumatur debet esse in sacro presbyteratus ordine constitutus » (c. 453, § 1).

Hoc iure communi nunc primum exigitur.

3. « Sit insuper bonis moribus, doctrina, animarum zelo, prudentia, ceterisque virtutibus ac qualitatibus praeditus, quae ad vacantem paroeciam cum laude gubernandam iure tum communi tum particulari requiruntur » (ibid. § 2).

(1) Cf. Pallottini, v° Parochus.

Cum parochi officium sit doctrinam sacram proponere, animas in tribunali paenitentiae dirigere, de matrimoniis inquisitiones habere, opera quaedam moderari aut saltem consiliis adiuvare, facile perspicitur praeter virtutem scientiam ei esse necessariam ; quam conservandi aut acquirendi gravis ei obligatio incumbit.

496. - *De stabilitate officii.*

1. Codex officium parochi *stabile* vult esse, ita tamen ut omnes parochi ad normam iuris removeri queant (**c. 454**, § 1).

Confirmat divisionem iam exsistentem inter parochos *inamovibiles* et *amovibiles*, distinctos *gradu* stabilitatis, ut dictum est supra n. 493, 2. Perpetuitati officii aperte favet ; etenim iuxta c. 454, § 3 : « Paroeciae inamovibiles nequeunt amovibiles reddi sine beneplacito apostolico ; amovibiles possunt ab episcopo, de Capituli cathedralis consilio, non autem a Vicario capitulari, inamovibiles declarari ; novae quae erigantur, sint inamovibiles, nisi episcopus, prudenti suo arbitrio, attentis peculiaribus locorum ac personarum adiunctis, audito Capitulo, amovibilitatem magis expedire decreverit ».

Illicite, non certo invalide (proin propter dubium iuris, valide) ageret episcopus qui in his negotiis Capitulum non consuleret (Cf. c. 105, 1o. Supra, n. 194).

De processu amotionis, cf. infra, l. IV, p. III.

2. « Quasi-paroeciae sunt omnes amovibiles » (c. 454, § 4).

3. Parochi *religiosi* sunt semper, ratione *personae*, amovibiles ad nutum episcopi et sui Superioris, ita ut uterque, altero quidem monito, sed etiam invito, et causis non manifestatis, religiosum a paroecia removere possit (c. 454, § 5).

Facultas utrique Superiori facta e voto oboedientiae parochi religiosi intellegitur. Attamen hoc ius cum aequitate et caritate exercendum est, ita ut religioso, quantum possibile est, integra sua fama servetur tum apud alterum Superiorem, tum apud populum.

Maior stabilitas parochorum inamovibilium in eo est quod removeri nequeunt nisi semel et *iterum* rationes eorum recusationis ab Ordinario cum examinatoribus vel parochis consultoribus examinatae fuerint neque sine facultate speciali *S. Sedis* inviti transferri possunt (c. 2163, § 1).

Perpetuitas saltem relativa officii istud commodi affert quod parochus, quo melius oves cognoscit et populi sui dotes necessitatesque, eo melius paroeciam administrat populumque gubernat (Cf. Trid. S. XXIV, c. 13 de ref. et *S.C.C.*. Resp. 14 dec. 1846).

497. - *De Superiore competenti.*

1. « *Ius nominandi* et *instituendi* parochos competit Ordinario loci exceptis paroeciis S. Sedi reservatis, reprobata contraria consuetudine, sed salvo privilegio electionis aut praesentationis, si cui legitime competat » (**c. 455**, § 1).

Nominare in hoc canone idem sonat atque libere conferre officium, dum *institutio* necessariam collationem electo, rite praesentato, etc. designat. — Provisio officii parochi *reservari* potest S. Sedi, sive iure communi, ex. gr. cum

beneficium vacat per obitum beneficiarii in ipsa Urbe (c. 1435), sive iure speciali, ex. gr. e lege fundationis, e concordato. In Belgio, vi concordati, omnis reservatio officii paroecialis est suppressa. — *Consuetudo* contraria, cum reprobetur, etiam immemorabilis tollenda est. — *Ius electionis* v. g. interdum omnibus qui sunt caput familiae in paroecia iure speciali concessum est, ius autem *praesentandi* v. g. iis qui a beneficii fundatore ortum ducunt. Id in quibusdam Italiae, Helvetiae et Germaniae urbibus obtinet.

2. Sede vacante aut impedita, qui dioecesim legitime regit, eas nominationes vel institutiones facere potest, quae necessariae sunt ut fideles nullum animae detrimentum patiantur et iura electorum vel patronorum non laedantur.

Quare potest : 1° constituere Vicarios oeconomos et adiutores et approbare substitutos (Cf. cc. 472-476) ; 2° instituere parochos legitime electos aut praesentatos ; 3° nominationes facere si sedes *ab anno* vacaverit (c. 455, § 2).

Provisio facta ante annum a vacatione *irrita* esset, ut clarius e verbis c. 1432, § 2 eruitur quam ex hoc c. 455, § 2, 3°.

3. *Vicarius generalis*, nisi loco episcopi per relegationem impediti, etc. egerit (Cf. c. 429, § 3), ad hos actus omnes speciali mandato indiget (c. 455, § 3).

4. Parochi *religiosi* a Superiore, quem constitutiones designant, praesentantur et ab Ordinario loci instituuntur (c. 456).

5. *Vicarius* et *Praefectus* Apostolicus debent ad nominationem quasi-parochorum saecularium audire Consilium quod iuxta c. 302 e tribus saltem antiquioribus et prudentioribus missionariis constituerunt (c. 457).

498. - *De tempore provisionis.* Provisio *intra sex menses* utiles ab habita notitia vacationis facienda est, nisi peculiaria adiuncta eam prudenter differendam suadeant (c. 458).

De computatione temporis *utilis*, cf. supra n. 121

499. - *De forma provisionis.*

1° Clerico qui, omnibus perspectis, *magis idoneus* apparet paroecia ab Ordinario conferenda est (c. 459, § 1).

Quae obligatio gravis esse declaratur ; non servata collationem irritam non facit, nisi institutus dote ad validitatem provisionis requisita careat, v. g. si non sit sacerdos.

2° Non scientiae tantum, sed omnium dotum quae in parocho *huius* paroeciae requiruntur ratio habenda est.

3° Codex indicat modum quo Ordinarius notitiam sibi necessariam comparare debet.

a) Dotes morales e notis ex Curiae tabulario haustis, aut, si opportunum iudicaverit, ex notitiis etiam secretis perspectas habeat.

b) De scientia clerici promovendi examine certior fiat (c. 459, § 3) iuxta has normas :

α) Rationem habebit examinum, quibus clericus, nisi legitime dispensatus fuerit, per triennium expletis theologiae studiis subici debuit (cf. c. 130, § 2. Supra, n. 218).

β) Clericum promovendum examini subiciet coram se et examinatoribus synodalibus, nisi *de istorum consensu* sacerdotem laude scientiae theologicae commendatum dispensare velit ;

Nota periculum de quo in c. 996, § 2 et 3, ad ordines suscipiendos, ne ad primae quidem paroeciae provisionem sufficere « nisi versetur... circa omnia de quibus interrogandus est clericus de paroecia providenda » (1), neque examen de quo in c. 130, § 2.

γ) Concursum generalem vel specialem, si in regione lex concursus adhuc viget, instituet. Quam legem, ubi viget, retinendam esse edicit c. 459, § 4 « donec Sedes Apostolica aliud decreverit ».

Concursus *generalis* ille est, quo sacerdotes de aptitudine ad munus paroeciale in genere, non autem relate ad certam quandam paroeciam examinantur. Forma autem *specialis* concursus vocatur quae primum in Conc. Trid., S. XXIV, c. 18 de ref. proposita, a nonnullis RR. PP. magis definita, in meliorem ordinem a Benedicto XIV redacta et universaliter praescripta est (C. *Cum illud*, 14 dec. 1742. — Cf. Documentum IV ad calcem Cod.). Lex generalis concursus viget in dioecesibus Germaniae, Austriae, Hispaniae ; specialis concursus in regionibus quibusdam Italiae, Portugalliae, Americae meridionalis. In Anglia, Belgio, Gallia et in America septemtrionali non est concursus ; in Belgio locum eius tenent examina statis temporibus per plures annos subeunda.

Iuxta resp. Comm. I. C., 24 nov. 1920 (2) : 1° parochus translatus ad aliam paroeciam, proponente ac suadente Ordinario, non est denuo examini subiciendus ; si translatio ad instantiam parochi fiat, examen erit imponendum, nisi Ordinarius, auditis examinatoribus synodalibus, iudicet idoneitatem perdurare eamque esse sufficientem ad novam paroeciam ; 2° examini denuo subiciendus non est parochus inamovibilis modo administrativo a sua paroecia remotus et ad aliam translatus (cf. c. 2154) aut 3° ob bonum animarum a sua quam bene gerebat ad aliam paroeciam translatus (cf. c. 2162, ss.) ; 4° si nullus sacerdos examini se subicere velit, v. g. pro parva paroecia, et ab eo ex resp. sub 1° non sit exemptus, ad S. C. C. recurrendum erit. De insufficientia examinis ad ordines aut triennalis examinis, iam supra dictum est.

500. - *De unicitate parochi.*

Eidem parocho una tantum paroecia *in titulo* committenda est, i. e. cuius sit ordinarius et perpetuus pastor. — In eadem vero paroecia

(1) Resp. *Comm. I. C.*, 24 nov, 1920, ad V et VI. — AAS, XII. 1920, 573. — *N.R.Th.*, 1921, 153. — *Per.* X, 250.

(2) AAS, XII, 1920, 574. — *N. R. Th.*, 1921, 153. — *Per.* X, 250.

unus tantum parochus curam *actualem* animarum habeat « reprobata consuetudine contraria et revocato quolibet contrario privilegio » (c. 460).

Prohibetur pluralitas parochorum qui stricte *cumulativi* sint, i. e. qui *simul* actualem animarum curam exerceant. Etsi quidam parochos quoque qui *per turnum*, v. g. hebdomadarium, simul eandem paroeciam regant, excludi sentiunt (Cocchi, *Commentarium*, III, p. 386), id neque e textu c. 460 neque e responso *Commissionis Pontificiae* certo eruitur. Isti enim parochi non sunt stricte *cumulativi* (Resp. *Comm.* ad 3) ; neque *promiscuitatem* parochorum inducunt (Cf. Benedicti XIV, C. *Ad militantis*, 30 mart. 1742, § 16). Ita sentiunt canonistae quidam romani optimae notae. — Praxis tamen S. C. *C.* huic instituto prorsus non favet.

Tam stricta iuris communis prohibitio hic primum invenitur. Etsi enim Tridentinum, S. XXIV, c. 13 de ref., et multa Concilia particularia contrariam praxim damnaverant, in paucis tamen casibus multiplicitas parochorum, praesertim in Capitulis, concessa erat (1).

§ 3. DE POTESTATE ET IURIBUS PAROCHI

501. - 1. Vi officii sui, parochus *potestatem domesticam* in suos subditos obtinet, non autem *iurisdictionis* ordinariae *in foro externo* (exceptis casibus in Codice expresse statutis). — Nulla enim functio paroecialis iurisdictionem huiusmodi requirit, sed illam potestatem quae officio vigilandi et administrandi necessaria est et sufficit.

Huic sententiae antea communi, ut ait Benedictus XIV (2), Codex nullo verbo contradicit neque ullus canonista.

Parochi possunt dare praecepta non iurisdictionalia, minoribus paenitentiis urgenda, reprehendere et moderate coercere discolos, exercere munus testis authorizati in sponsalibus et matrimonio, administrare bona paroeciae.

Quare canones qui de iurisdictione parochi (c. 1230, § 3) vel paroeciali (c. 1368) loquuntur, verbum *iurisdictio* lato sensu usurpant ; simul indicant actus potestatis administrativae, ius assistendi matrimoniis et facultates fori tum interni tum externi quae parocho vi officii aut iuris communis vel specialis competunt. In *indice codicis* sub v° iurisdictio (pro foro externo) parochus non citatur ; estque utilis confirmatio sententiae per se certae.

2. Attamen parochis *iure communi* conceditur : 1° potestas dispensandi, etiam in foro externo, super impedimentis matrimonii in periculo mortis et in casu urgenti (c. 1045, ss.) ; 2° facultas dispensandi in casibus particularibus a lege communi de observantia festorum ac de abstinentia et ieiunio (c. 1245), ut suo loco explicabitur.

Haec potestas, cum sit ordinaria, delegari potest.

3. Praeterea parochus habet iurisdictionem *ordinariam in foro interno sacramentali*, sc. ad audiendas confessiones omnium qui ad ipsum in territorio accedunt et ubique suorum subditorum (cc. 873. 881, § 2).

(1) Cf. Hinschius, *System des kath. Kirchenrechts*, II, p. 305. — Wernz, II, p. 669, nota 15.

(2) *De syn. dioec.*, V, iv. — Bouix, *De parocho*, p. 137.

Hanc potestatem delegari non posse patet ex cc. 874. 875, iuxta quos soli Ordinarii locorum et Superiores in religione clericali exempta iurisdictionem *delegatam* ad *confessiones* audiendas concedere possunt et ex responso *Comm. I. C.*, 16 oct. 1919, quod disputationem authentice solvit (1).

Nulla competit parocho facultas peccata sibi reservandi (c. 893).

502. - 1. Paroeciani seu subditi parochi sunt, si paroecia territorialis est, omnes qui intra fines paroeciae *domicilium* aut *quasi-domicilium* habent, nisi iure aut ab episcopo eximantur. *Vagi* quoque subduntur parocho in cuius territorio actu commorantur, itemque illi qui non habent nisi dioecesanum domicilium vel quasi-domicilium (c. 94). Cf. supra, n. 186, ss.

Si dubium est utri paroeciae domus quaedam pertineat, solvendum est e situ ingressus vel portae principalis. Si duae sint portae principales, domus a parocho pendebit qui in ea ius administrandi sacramenta possessione detinet (2).

2. Etsi episcopo iurisdictionem parochi ad arbitrium restringere non licet, « potest... iusta et gravi de causa, religiosas familias et pias domos, quae in territorio paroeciae sint et a iure non exemptae, a parochi cura subducere » (c. **464**, § 2).

Hanc potestatem, quae dismembrationi aliquo modo similis est, olim scriptores negabant. Consuetudine tamen in certis regionibus, ut Gallia et Belgio, erat episcopis acquisita. Concilium Mechlinien. rectoribus collegiorum ecclesiasticorum, religiosarum et sodalium virorum religionis laicalis nonnulla iura parochorum tribuit (nn. 157. 158).

3. « Curam animarum parochus obtinet a momento captae possessionis » iuxta normas iuris particularis (c. **461**. Cf. cc. 1443-1445) (3).

Vicarius personae moralis, cui cura habitualis animarum incumbit, « installatione » non indiget, sed a momento institutionis authentice intimatae, sua iurisdictione et potestate administrativa potitur.

503. - Dum functiones paroeciales ecclesiastica officia et munera potius designant, iura paroecialia vocantur facultates quibus iura stolae vel aliqua praecedentia annexa sunt (4).

Functiones parocho reservatae sunt, nisi aliud iure caveatur (c. 462) :

1. Sollemnis administratio baptismi (Cf. *Epitome*, II, n. 23).

2. Publica delatio SS. Eucharistiae ad infirmos, extra ecclesiam, in propria paroecia.

Quia S. Communio ad infirmos publice deferenda est, « nisi iusta et rationabilis causa aliud suadeat » (c. 847), quoties parochus ipse

(1) AAS, XI, 1919, 477. — *N. R. Th.*, 1920, 168. — *Per.* X, 100. De disputatione antea vigenti, cf. *Revue du clergé français*, t. 97, 1919, 401, ss. ; t. 98, 1919, 377, ss.
(2) Cf. *N. R. Th.*, 1912, 711, ss.
(3) Cf. *Coll. Brug.* XIV, 362, ss. — *Epitome.* II, n. 773. — *Ami du cl.*, 1929, 17, s.
(4) Cf. PRÜMMER. *Manuale*, i. e., 3 ed,, p. 206.

vel per suos Vicarios S. Eucharistiam publice deferre voluerit, alii sacerdoti non licet eam *privatim* deferre; deest enim tunc iusta et rationabilis causa. Ubi vero parochus S. Communionem infirmo legitime, etiam saepius, exoptanti publice deferre non potuerit, eam quilibet sacerdos privatim deferre potest, « de venia saltem praesumpta sacerdotis, cui custodia SS. Sacramenti commissa est » (c. 849, § 1). — Hanc enim ipsi facultatem, sine alius licentia, expresse facit (Cf. infra, l. III, commentarium ad cc. 847. 849).

Iura parochi quod ad *communionem paschalem* in Epitome, II, n. 128, quod ad primam puerorum *privatam communionem* ibid., n. 118 proponuntur.

Estne sollemnis communio puerorum functio paroecialis? Id iure communi non statuitur, sed iure particulari decerni potest. Etenim post inductam disciplinam decr. *Quam Singulari*, sollemnis puerorum communio, ut verbis Conc. Mechliniensis IV utamur, totum opus christianae eorum institutionis quasi coronat estque publica fidei professio a pueris in primo adolescentiae limine collective et sollemniter peracta (1). Quare ad Ordinarios eam ordinare prorsus spectat, quibus non deerunt bonae causae iubendi ut sollemnis communio a plerisque in ecclesia paroeciali fiat, in domibus vero iuventuti instituendae inservientibus intra certos fines ab ipsis Ordinariis pressius determinandos. Non enim desunt seria motiva permittendi ut sollemnis communio omnium puerorum qui simul educantur in ipsa domo educationis fiat, in qua etiam melius saepe praeparari potest. Quare Statuta dioecesana de hac re consulenda sunt et observanda.

3. Publica aut privata delatio SS. Eucharistiae, tamquam Viatici, ad infirmos et administratio Extremae Unctionis, intra fines paroeciae.

Excipiuntur tamen casus sequentes: *a*) *episcopo* decumbenti ministrant sacramenta dignitates vel canonici ecclesiae cathedralis, iuxta ordinem praecedentiae (c. 397, 3°); *b*) in *omni* religione *clericali* hoc ministerium Superiori competit erga omnes qui in sua domo diu noctuque degunt « ratione famulatus aut educationis aut hospitii aut infirmae valetudinis »; in *monialium* autem domo, confessario ordinario vel eius vices gerenti; in alia *religione laicali*, cappellano, si quis parocho ab episcopo suffectus fuerit (c. 514) *c*) in Seminario, Rector ejusve delegatus hoc ius paroeciale sicut et alia exercet (c. 1368); *d*) *in casu necessitatis* vel cum licentia parochi rationabiliter praesumpta, licet omni sacerdoti illa sacramenta, etiam publice, administrare (c. 848).

Sublata est excommunicatio l. s., R. Pontifici reservata, contra Regulares illegitime administrantes extremam unctionem.

4. Proclamatio ordinationum (c. 998, § 1) et nuptiarum (c. 1022, ss.); assistentia matrimonio (c. 1094) eiusque benedictio (cf. c. 1108, ss.).

5. Funebria persolvere.

(1) Conc. Mechlinien. IV, 1920, art. 193.

Ex iure ordinario, *proprius* defuncti *parochus* ius habet eidem funebria persolvendi, i. e. cadaver e domo ad ecclesiam ducendi, exsequias celebrandi, corpus ad coemeterium deducendi (c. 1216). — Si fidelis longe a propria paroecia decesserit, neque in casu commode asportari possit aut saltem e liberis heredum impensis deferatur, tunc ius funerandi ad parochum loci pertinet in quo supremum diem obiit (c. 1218).

Hoc ius cum suis exceptionibus infra ad c. 1216 fusius explicabitur.

6. Benedictio domorum Sabbato sancto vel alio die pro consuetudine locorum.

Agitur de sollemniore domorum benedictione Sabbato sancto iuxta Rit. Rom. a parocho domos paroeciae visitante facienda. Consuetudo eam in aliam diem transferre potuit. In multis locis Belgii in usu non est. — Iuxta resp. S. C. *Rituum*, 2 iul. 1915 (1), Ordinarius loci potest prohibere istam benedictionem diebus Sabbatum sanctum praecedentibus, immo per totam Quadragesimam impertiri ne tunc collata pro benedictione paschali habeatur.

7. Benedictio fontis baptismalis in Sabbato sancto.

Ubi vero Capitulum ecclesiae, quae simul paroecialis est, sacras Sabbati sancti functiones peragit, eius est quoque fontem baptismalem benedicere (2).

8. Ducere publicas processiones extra ecclesiam.

Parocho ius quoque competit ducere publicas processiones quae ab aliis ecclesiis, etiam Regularium, intra ambitum territorii paroeciae initium ducunt. — Integrum manet ius Regularium, ducendi processiones intra octavam Corporis Christi (cf. c. 1291) et quas de Ordinarii loci licentia ipsi ducere possunt (c. 1293) ; item ius Rectoris ecclesiae eminentioris ducendi processionem generalem in festo S. Marci aut Corporis Christi ; item ius Capitulorum pro suis ecclesiis.

Si vero Regulares processionem circa muros tantum suae ecclesiae ducunt, nullum ius eam ducendi parocho competit (3).

9. Benedictiones extra ecclesiam cum pompa et sollemnitate impertiri.

Benedictiones in domibus laicorum vel religiosorum dandae parocho non reservantur.

10. Benedictionem illius supellectilis sacrae quae ad normam legum liturgicarum benedici debet antequam ad usum sibi proprium adhibeatur, impertiri potest parochus pro ecclesiis et oratoriis in territorio suo positis (c. 1304, 3°).

Id tamen non potest, contradicente Superiore vel ecclesiae Rectore : 1° in ecclesiis quae proprium Rectorem habent ; 2° in ecclesiis pertinentibus ad religionem clericalem ; 3° in ecclesiis Monialium quae sint Superiori eiusdem Ordinis subiectae ; 4° in ecclesiis domorum piarum et Religiosarum quae ab Ordinario ab eius iurisdictione subductae sunt (Cf. commentarium can. 1304).

Hanc potestatem parochus non potest delegare, quia est potestas ordinis (cf. c. 210).

---

(1) AAS, VII, 1915. 388.

(2) Cf. *N. R. Th.*, 1900, 552.

(3) Cf. Resp. *Comm, I. C.*, 12 nov. 1922 (AAS, XIV, 1922, 662. — *Per.* XI, 181) et 10 nov. 1925 (AAS, XVII, 1925, 582. — *N. R. Th.*, 1926, 227. — *Per.* XIV, 177 et 183).

11. Benedictio *puerperarum* iure communi non reservatur parocho ; re particulari tamen ipsi reservari potest, quod obtinet ex. g. in oecesibus Belgii (*Coll. Brug.*, 1923, 79).

504. - Iura utilia.

Parochus ius habet ad *praestationes* quas Concilium provinciale aut piscoporum coetus determinavit (c. 1507, § 1) aut probata consueudo (c. 463, § 1) ; si maiores exegerit, ad restitutionem tenetur bid. § 2).

Praestationes illae sunt oblationes quae in celebratione cultus divini aut occaone administrationis sacramentorum vel sacramentalium fiunt. — Parocho nullum s est ad oblationes quae in ecclesiis ab ecclesia parochiali *independentibus* int aut in collectis vel in capsis quae finem bene determinatum habent ; qui nis generatim in schedula capsis apposita indicatur.

Si oblationes fiunt ad rem vel opus quae in ambitu potestatis fabricae ecclesiae ersantur, ipsae oblationes secundum voluntatem donatorum a fabrica sunt npendendae (1).

« Licet paroeciale aliquod officium ab alio fuerit expletum, praestaiones tamen parocho cedunt, nisi de contraria offerentium voluntate erto constet circa summam quae taxam excedit » (c. 463, § 3).

Multis in locis parocho cedunt oblationes factae ab illis qui sibi porrectas eliquias deosculantur. De hac re, consuetudo est consulenda.

Recusare ministerium iis qui solvendo pares non sint, iustitiae, si e necessariis sacramentis agitur, secus caritati adversatur ; quare Codex monet ne illis gratuitum ministerium denegetur (c. 463, § 4)

§ 4. DE OBLIGATIONIBUS PAROCHORUM

505. - De obligationibus parochorum *principium* generale c. 464. 1 proponitur his verbis : « Parochus ex officio tenetur curam animarum exercere in omnes suos paroecianos, qui non sint legitime xempti ».

Obligatio est *gravis* genere suo, virtute *iustitiae* imposita, cum oriatur e acito contractu, sc. ex accepto officio pastoris. Hoc officium ad exemptos non xtenditur, quorum cura ab episcopo alii commissa est. Singulae obligationes uae sequuntur, si professionem fidei et conservationem librorum paroecialium xcipias, fere immediate ex officio curae animarum profluunt.

506. - Professio fidei coram Ordinario eiusve delegato personaliter mittenda est quoties nova paroecia obtinetur, *ante* possessionem aut *n ipso actu* possessionis capiendae (cc. 461. 1406).

Simul erit praestandum iuramentum antimodernisticum, quod, cum

(1) Cf. *Coll. Brug.*, 1924, 491.

professioni fidei accedat, *in actu* possessionis capiendae praestari posse censemus (1).

507. - Residentia.

1 Parochus debet *modo habituali* residere in domo *paroeciali*, prope ecclesiam. In alia habitare non permittitur, nisi iusta de causa, cum episcopi licentia, nullo animarum detrimento (**c. 465**, § 1).

Canone 465 innovatur ius tridentinum (praesertim S. XXIII, de ref. c. 1), ut communiter a canonistis explicatur. — Obligatio personalis residendi ita ut rationabiliter praesto sit paroecianis. Quare obligatio residentiae est iuris divini graviter violari potest, etiamsi lex ecclesiastica integre servetur, v. g. si quis, non relicto Vicario, saepe a mane usque ad vesperam absit. — Absentiae paucarum horarum in die, praesertim non saepe repetitae, nullo modo residentiae officiunt.

2 *Absentiae legitimae.*

1° *Tempus* per quod parochus ob iustam causam abesse permittitur, est duorum mensium, sive sint continui sive intermissi (c. 465, § 2).

Causae iustae sunt visitatio propinquorum, pia peregrinatio, sacrum ministerium in alio loco faciendum, relaxatio a labore, cura valetudinis, etc. — Menses continui, prouti sunt in calendario et de momento ad momentum, computantur ; intermissi vero, spatium bis triginta dierum comprehendunt quorum 24 horae debent de momento ad momentum computari. — Qui igitur a f. IV^a^ mane ad f. VI vespere afuerit, per *duos* dies absens fuit. Horae quae supersunt tempori absentiae sequentis addendae non sunt.

Episcopus gravi de causa tempus absentiae lege communi definitum protrahere aut contrahere potest (c. 465, § 2). — Non computatur tempus quo parochus sacris exercitiis, semel in anno, vacat (ibid. § 3).

Causae graves protrahendi tempus a Tridentino afferuntur sequentes : « christiana charitas, urgens necessitas, debita oboedientia, ac evidens Ecclesiae vel reipublicae utilitas » (Trid. S. XXIII, c. 1 de Ref.). Exempla dantur : pax componenda inter inimicos, gravis morbus curandus, officium grave praestandum episcopo (rarissime hoc licebit) aut S. Pontifici, deputatio ad synodum dioecesanam, etc.

2° *Licentia episcopi.*

Parochus, cum absentia ultra hebdomadam duratura est, indiget licentia *scripta* episcopi et, si religiosus sit, consensu sui Superioris. — Si repente ad idem tempus discedere cogitur, episcopum quam primum moneat (c. 465, §§ 4. 5).

Potest episcopus exigere ut de brevioribus absentiis moneatur. Solet potius Vicario foraneo facultas committi huiusmodi licentias concedendi.

---

(1) Cf. Motu proprio *Sacrorum Antistitum*, 1 sept. 1910. — AAS, II, 1910. 669. — *Per* V, 200 — Resp. *S. O.*, 21 mart. 1918. — AAS, X, 1918, 136. — Formula professionis fidei invenitur initio Codicis, immediate ante textum canonum.

3° *Vicarius substitutus* (1).

Quoties absentia ultra hebdomadam duratura est, parochus Vicarium substitutum, ab episcopo (et, si parochus sit religiosus, a Superiore religioso) approbandum constituat. — In brevioribus absentiis debet quoque, iuxta locorum adiuncta, necessitatibus fidelium providere. In urbe plerumque satis erit vicinum parochum monere, ruri saepe consulendum ut alius sacerdos in ipsa paroecia resideat.

Tamquam Vicarius substitutus constitui potest, approbante episcopo, Vicarius cooperator aut sacerdos quilibet, etiam ex alia dioecesi, ceteroquin aptus ad munera parochi implenda. De eius potestate et obligationibus, cf. infra n. 518.

3. *Poenae contra non residentes.*

a) Parochus qui ultra duos menses absentiam illegitime protrahit eo ipso privatur fructibus sui beneficii pro rata parte absentiae eosque episcopo tradere debet in causas pias erogandos (c. 2381).

b) Episcopus parocho non residenti tempus ad redeundum praestituat. Si parochus non redierit et causas absentiae ab eo allegatas, post necessariam investigationem, auditis examinatoribus, episcopus illegitimas censuerit, parochum amovibilem statim, inamovibilem post novum deductionum examen, beneficio privet ad normam cc. 2168-2175 (Cf. *Epitome*, III, n. 365).

508. - Missa pro populo.

1. Parochi obligantur *sub gravi* et *ex iustitia* unam missam pro fidelibus sibi commissis applicare omnibus diebus festis de praecepto etiam suppressis (**c. 466**, § 1).

Hac obligatione tenentur parochi (c. 466) ; Vicarius curatus (c. 471, § 4) ; Vicarius oeconomus (c. 473) ; Vicarius parocho absenti substitutus, ex condicto tantum cum parocho (cc. 466, § 5 ; 474) ; non autem Vicarius adiutor (c. 475, § 2), nec Vicarii cooperatores (c. 476).

2. Obligatio simul est *personalis* et *realis*, sc. parochus, si legitima et iusta causa impeditus fuerit, per alium missam applicare debet. Si neque id praestare possit, quamprimum per se ipse vel per alium applicet alio die (Cf. c. 339, § 4).

Legitimae causae applicandi missam per alium sunt ex. g. : *a*) necessitas celebrandi eadem die missam conventualem (c. 419, § 2), exsequiae aut aliud sollemne officium quae differri non possint et ab ipso parocho celebranda (2) ; *b*) infirmitas ; *c*) absentia legitima (infra sub 5).

Obligatio *realis* missae pro populo applicandae semper gravis est ; aliae determinationes obligant sub gravi per se, sed levitatem materiae admittunt ; obligatio *personalis* obligationi *locali* praestat (3).

(1) Cf. Resp. *C. I. C.*, 14 iul. 1922. AAS, XIV, 1922, 527. — *N. R. Th.*, 1921. 200 ; 1923, 46. — *Per.* XI. 163. (2) Conc. Mechlinien. IV, 1920. n. 150. — Cf. *Per.*, XVII, 136*. — (3) Cf. Claeys-Boúúaert, *Coll. Gand.*, XII, 1925, 174, ss.

3. Una tantum missa pro populo offerri debet, etiamsi parochus duabus paroeciis pleno iure unitis praesit vel plures administret.

Scilicet *eodem festo die una* tantum missa pro *diversis* populis celebrari debet, contra normam iuris anterioris; sed si festa Patroni loci aut dioecesis aut regni *diversis diebus* in diversis paroeciis occurrant, singulis vicibus missa pro populo celebranda erit (1).

4. Dies festi e catalogo Urbani VIII desumendi sunt, uti decreto S. C. *Concilii*, 28 dec. 1919, proponitur. Cf. supra, n. 410.

Quasi-parochi autem hanc missam applicare debent tantum in festis Ecclesiae universalis, excepta Circumcisione, et dominicis Paschatis et Pentecostes.

« Ordinarius loci, *iusta de causa,* permittere potest ut parochus missam pro populo applicet alia die atque ea qua iure astringitur » (c. **466**, § 3).

Facultas haec Ordinariis olim per indulta concedebatur; cum Codex eum iuris communis faciat, latam interpretationem patitur (2).

Dies statuti obligationem determinant, non exstinguunt; ideoque, missae non applicatae quam primum erunt supplendae.

5. Missa offerenda est in ecclesia paroeciali, nisi aliud adiuncta exigant aut suadeant, v. g. si missa coram populo, occasione processionis vel sollemnitatis, in oratorio celebretur (c. 466 § 4).

« Legitime absens parochus potest missam pro populo applicare vel ipse per se in loco in quo degit, vel per sacerdotem qui eius vices gerat in paroecia » (c. 466, § 5).

509. - Sacrum ministerium.

1. « Debet parochus *officia divina* celebrare » (c. **467**, § 1), sc. missam celebrare regulariter, etiam diebus non festivis. Decet ut officia dierum festorum maiori apparatu ordinet; vesperas cantet diebus dominicis et festis, etc.

2. Debet « administrare *sacramenta* fidelibus quoties legitime petant » (c. 467, § 1).

Quaenam neglegentia in ordinariis adiunctis gravis sit, definire haud facile erit; diiudicanda est e detrimento spirituali fidelium, scandalo, incommodo parochi, etc. — Debet etiam cum gravi suo periculo administrare baptismum et paenitentiam, vel, loco huius extremam unctionem fidelibus in gravi vel extrema necessitate versantibus; non omnes consentiunt viaticum vel extremam unctionem cum vitae periculo iis qui rite confessi sunt, ministranda esse.

Haec praecipue parocho curanda sunt (3) :

1° Ut *baptismus* infantibus *quamprimum* conferatur (c. 770); « ut

---

(1) Cf. Resp. *S. C. C.*, 12 nov. 1927. — *AAS.*, 1928, 84. — *N. R. Th.* 1928, 389. — *Per.* XVII, 64. — (2) *Coll. Brug.* 1928, 464. — (3) Cf. MUTZ, F. X., *Die Verwaltung der hl. Sakramente vom pastoralen Standpunkte*, 5[te] u. 6[te] Aufl., Freiburg, 1923.

fideles, praesertim obstetrices, medici et chirurgi, rectum baptizandi modum pro casu necessitatis probe ediscant » (c. 743) (1) ; ut omnes *fetus abortivi*, pro adiunctis, absolute aut condicionate baptizentur (c. 747) ; ut patrinus adhibeatur qui hoc munere dignus sit (c. 765, ss.) ;

2° ut fideles ad illud [*sacramentum confirmationis*] opportuno tempore accedant :

3° ut « pueri ad *sacram synaxim* ne accedant ante adeptum usum rationis », qui casus rarior in dies, ne rarissimum dicamus, est et erit ; sed magis ne pueri « sine sufficienti dispositione » at, quod probe notandum est, « devote pro suae aetatis modulo » accedant ; item, et hic multi adhuc gravi suo officio desunt, « ut usum rationis assecuti et sufficienter dispositi quamprimum hoc divino cibo reficiantur » (c. 854, §§ 3. 5) ; ut fideles facile possint, etiam quotidie, pane Eucharistico refici (c. 863) ; ut « sanctum Viaticum infirmis ne nimium differatur » (c. 865) ;

4° ut audiant « sive per se sive per alium *confessiones* fidelium sibi commissorum, quoties ii audiri rationabiliter petunt », ad quod « gravi iustitiae obligatione tenentur » (c. 892, § 1) ;

5° « omni studio et diligentia curandum ut infirmi dum sui plene compotes sunt, [sacramentum *extremae unctionis*] recipiant » (c. 944) ;

6° ut nomina fidelium suorum qui ad *singul*[illegible]*cros ordines* promovendi sunt publice denuntient, salva dispensatione ab Ordinario concessa (c. 998, § 1) ;

7° « populum prudenter erudire de *matrimonii* [illegible]*mento* eiusque impedimentis » (c. 1018) ; *opportuno* antea tempore, *diligenter* investigare num matrimonio contrahendo aliquid obstet (c. 1020, § 1) ; publicationes praescripto loco et tempore facere (c. 1022, ss.) ; matrimonio vagorum aut eorum qui ex longinqua regione in suam paroeciam advenerint non assistere nisi de statu libero et de absentia impedimentorum ad normam *Codicis* et *instructionis S. C. de sacramentis* (2) moraliter certi sint (cc. 1031, § 1, 3° ; 1032) ; fideles, tempestive et quantum possunt, deterrere a matrimonio contrahendo cum acatholico quolibet aut cum eo qui catholicam fidem abiecit (c. 1060, ss.).

« Monendi sunt fideles ut frequenter, ubi commode id fieri possit, ad suas paroeciales ecclesias accedant ibique divinis officiis intersint et verbum Dei audiant » (c. 467, § 2).

Commendatio datur, non praeceptum, cuius termini quidam afferuntur, sc. « frequenter », non unice ; « ubi commode id fieri possit » ; praeterea ipse finis

(1) Cf. HOORNAERT, G.—Dr DECLAIRFAYT — A. HOORNAERT, *Baptême d'urgence pour raisons médicales*, Bruxelles, 1922.

(2) *Instr. S. C. de Sacram.*, 26 iun. 1921. AAS, XIII, 1921, 348.

frequentationis parochum de muneribus rite implendis satis admonet : oportet enim ut fideles in ecclesia paroeciali officiis divinis rite celebratis interesse et verbum Dei clare, solide, pie propositum audire possint. Qui finis cum praecipuus sit, per frequentationem *etiam* aliarum ecclesiarum obtinendus est, dummodo sine gravi causa ecclesia paroecialis non deseratur.

3. *Praedicatio verbi divini et instructio religiosa.*

1° Parochus debet habitualiter ipse diebus dominicis ceterisque per annum festis de praecepto consueta homilia, praesertim intra missam magis frequentatam, verbum Dei populo nuntiare (c. 1344. Cf. *Epitome*, II, n. 679). Legitime impeditus istud officium per alium implere potest, si Ordinarius causam probaverit.

2° Iisdem diebus debet hora magis apta catechismum quoque fidelibus adultis explicare (c. 1332) (1).

3° Parochus religiosam puerorum instructionem sedula cura per se et alios idoneos procurabit ; eos ad primam communionem et, tempore paschali, ad sacramenta cum fructu recipienda praeparabit (cc. **467**, § 1 ; 1330. 1333, ss.).

4. Praecipua *cura quorundam fidelium et operum.*

1° Curae parochi praesertim commendantur peccatores, pauperes ac miseri, pueri et infirmi. Isti sunt sedulo visitandi, praesertim cum morti proximi sunt, sacramentis reficiendi ; neque eorum post mortem obliviscatur (c. **468**, § 1). Addit c. 1350, § 1 « ... parochi acatholicos, in suis... paroeciis degentes, commendatos sibi in Domino habeant ».

Parochi ne omittant pueros qui indicia vocationis ecclesiasticae praebeant peculiaribus curis informare et in eis germen vocationis fovere (c. 1353).

« Parocho aliive sacerdoti qui infirmis assistat, facultas est eis concedendi benedictionem apostolicam cum indulgentia plenaria in articulo mortis, secundum formam a probatis liturgicis libris traditam, quam benedictionem impertiri ne omittat » (c. 468, § 2).

Textus et ritus huius benedictionis reperiuntur in *Rit. Rom.*, tit. V, c. 6. Formula praescripta est *ad valorem* adhibenda. Haec benedictio in eodem mortis periculo repeti nequit, potest vero si morbus gravis esse certo desierit et periculum mortis denuo oriatur (2). — Utile erit eos quoque visitare qui non graviter decumbant, ne visitatio parochi mortem praenuntiare videatur.

2° Parochus ius et officium habet vigilandi « ne quid contra fidem ac mores in sua paroecia, praesertim in scholis publicis et privatis, tradatur » (c. **469**, § 1).

---

(1) Cf. Pii XI Motu proprio *De christianae doctrinae institutione toto orbe catholico ordinanda*, 29 iun. 1923. — AAS, XV, 1923, 327. —*Per.* XII, 122. Documenta recentiora de hac re invenies in *N. R. Th.*, 1925, 163.

(2) Cf. Beringer-Steinen, S. I., *Die Ablässe*, 1921, I, 567, ss.

Quare ius et officium incumbunt parocho visitandi scholas non exemptas in iis quae ad fidem et mores pertinent (1).

3° « Opera caritatis, fidei ac pietatis foveat aut instituat » (ibid.).

Inter opera caritatis maxime utilia recensendi sunt coetus quibus opifices et omnes fideles humilioris condicionis, stipe statis temporibus collecta, praesertim acquisita civiliter qualitate personae moralis, necessitatibus morbi, casuum infeicium, senii, etc., mutuum sibi auxilium conferunt. Concilium Mechliniense praeclara de his monita continet, art. 313, ss. — Inter opera fidei ac pietatis, ab Ecclesia maxime probantur Tertii ordines et Confraternitates, nostrisque diebus opera quae missiones exteras promovent.

510. - Obligatio conficiendi et servandi libros paroeciales (c. 470) (2).

Debet parochus in distinctis libris vel eiusdem libri partibus sedulo annotare baptizatos, confirmatos, matrimonio iunctos et defunctos. Librum quoque de statu animarum, iuxta praescripta *Ritualis*, t. X, c. 6, conficiat.

Liber baptizatorum principalis est (c. 777), in quo etiam annotandum est si baptizatus confirmationem receperit (c. 798, ss.); si matrimonium contraxerit, nisi matrimonium sit conscientiae, quod in separato et secreto libro annotatur (cc. 1103. 1107) ; si sacrum subdiaconatus ordinem susceperit (c. 1011) vel professionem sollemnem emiserit (c. 576). — Eae omnes annotationes in documenta recepti baptismi referendae sunt (c. 470, § 2).

Parochus sigillo speciali utatur et archivum habeat, cuius inventarium duobus exemplaribus exstet, altero in archivo paroeciali, altero in dioecesano servando (cc. 470, § 4 ; 383).

In fine cuiuslibet anni debet mittere ad curiam episcopalem exemplar authenticum, i. e. sive propria manu subsignatum sive sigillo paroeciali munitum, librorum paroecialium, excepto libro de statu animarum.

§ 5. DE CESSATIONE OFFICII PAROECIALIS

511. - Munus parochi cessat :

a) Morte titularis.

b) Renuntiatione omnino libera, episcopo intimata et ab eo acceptata.

c) Translatione administrativa ad aliam paroeciam, generatim meliorem, ad bonum ipsius ecclesiae (Cf. lib. IV, t. 29. *de modo procedendi in translatione parochorum* c. 2162, ss.).

d) Amotione oeconomica, ad normam c. 2142, ss.

e) Privatione ob delictum (Cf. c. 2168, ss.) ; depositione et degradatione (Cf. cc. 2298. 2303. 1576).

(1) Cf. *Coll. Lacensis*, v° Educatio. — *Arch. f. k. KR*, 1919, 193, ss. 1920, 201, ss. 1921, 195, ss.

(2) Cf. Besson, *Enregistrement canonique des actes paroissiaux*. — *N. R. Th.*, 1909, 657, ss.

Caput X. - De Vicariis paroecialibus
(cc. 471-478)

Scriptores : WERNZ, II, n. 837, ss. — COCCHI, *Commentarium*, III, in h. cc. — DE MEESTER, *Compendium*, II, n. 865, ss. — FANFANI, O. P., *De iure parochorum*, n. 424, ss. - SCHÄFER, I., O. M. Cap., *Pfarrer und Pfarrvikare.*

512. - 1. *Notio.* Vicarii paroeciales sunt sacerdotes qui vices agunt alicuius parochi in exercitio curae animarum (1).

Non sunt vicarii in iurisdictione, quia parochus nullam in foro externo iurisdictionem, exceptis paucis casibus iure determinatis, obtinet ; sed sunt vicarii in divinis, quia parochum adiuvant in administratione sacramentorum. Praeterea partem assumunt administrationis paroeciae.

2. *Divisio.*

Codex *quinque species* Vicariorum paroecialium distinguit : vicarium personae moralis, quem scriptores Vicarium *curatum* vel Vicarium perpetuum nominant (c. 471) ; Vicarium *oeconomum* in vacanti paroecia constitutum (cc. 472. 473) ; Vicarium *substitutum* in locum parochi absentis (c. 474) ; Vicarium *adiutorem* (c. 475) parochi digni, sed suo muneri imparis, quem coadiutorem quoque vocant ; Vicarium *cooperatorem* (c. 476), qui parocho nimiis negotiis onusto, auxilium praestat.

3. **Ordo Codicis.** Propositis notione, obligationibus et iuribus singulorum Vicariorum (cc. 471-476), Codex duos canones omnium communes addit de cessatione muneris (c. 477) et de iure praecedentiae (c. 478).

Ordo huius capitis desumitur e finibus potestatis : Vicarii curatus et oeconomus *totam potestatem* parochi, ille per se *in perpetuum*, iste *ad tempus* vacantiae habent ; Vicario substituto tota potestas parochi *plerumque* conceditur, sed ad satis *parvum tempus* ; Vicarius adiutor *pro adiunctis* maiorem minoremve potestatem obtinet, quae ad universam parochi potestatem extendi potest ; Vicarii cooperatores per se *partem potestatis*, totam vero potestatem in adiunctis tantum extraordinariis exercent.

§ 1. DE VICARIO CURATO

513. - 1. Quotiens paroecia personae morali pleno iure incorporata est, constituendus est Vicarius, cui actualis cura animarum universa et independens committenda est (**c. 471**, §§ 1. 4).

Iste vicarius vocatur Vicarius curatus, perpetuus, administrator.

2. *Praesentatio* Vicarii ad parochum habitualem vel ad Superiorem religiosum, *institutio* ad episcopum pertinet. — Ius *liberae nominationis* episcopo acquiri potest privilegio, consuetudine, conventione, i. e. condicione addita vicariae dotationi quam ipse constituerit.

Si paroecia pleno iure i. e. in spiritualibus et temporalibus, *monasterio* uniatur, parochus e religiosis nominari potest ; in ceteris casibus, saecularis designatur.

(1) CE., vº Curate.

3. Vicarius *religiosus* amovibilis est ad nutum episcopi et sui Superioris, ad normam c. 454, § 5 (cf. supra, n. 496, 3) ; ceteri omnes praesentantur in perpetuum, sed ab episcopo sicut ceteri parochi removeri possunt, monito eo qui praesentavit (c. 471, § 3).

Non reprobatur consuetudo contraria, nominandi nempe Vicarios *temporarios*, quae in compluribus Capitulis cathedralibus vel collegiatis, teste WERNZ (II, n. 840, III, c) invaluerat. Isti Vicarii temporarii ad certum tempus, v. g. ad annum, aut saltem ad nutum amovibiles constituebantur (1).

514. - Obligationes et iura Vicarii curati *spiritualia* eadem sunt atque parochorum. Si est saecularis, assignanda est ei pensio congrua a persona morali, aut ab episcopo dotatio constituenda. — Parochus religiosus acquirit paroeciae bona quae ei intuitu paroeciae obveniunt, religioni vero quae fructus propriae industriae sunt, v. g. iura stolae, oblationes occasione administrationis sacramentorum factae, stipendia missarum (Cf. commentarium can. 630).

Notatu digna est definitio Conc. Westmonast. II, iuxta quam (X, 2) intuitu missionis (seu paroeciae), non rectoris (seu parochi) factae censentur oblationes ad offertorium in ecclesia factae (2 .

Quod ad relationes inter parochum et Capitulum, cum ecclesia simul est cathedralis vel capitularis et paroecialis, cf. supra, n. 469.

§ 2. DE VICARIO OECONOMO

515. - Vicarius oeconomus est sacerdos cui regimen paroeciae *vacantis* cum omnibus iuribus et officiis parochi committitur (c. 472, 1°).

Dicitur interdum deservitor vel administrator.

Libere *nominatur* ab episcopo ; cum consensu Superioris, si religiosus sit.

Ante eius constitutionem, regimen paroeciae assumit Vicarius cooperator primus, si plures sint, aut inter aequales, munere antiquior ; si desint Vicarii, parochus quem tamquam viciniorem episcopus in synodo vel extra synodum designaverit ; Superior vero religiosus, si paroecia religiosis commissa sit (c. 472, 2°). His onus incumbit episcopum de vacatione statim certiorem facere (ibid. 3°).

516. - *De iuribus et officiis Vicarii oeconomi.*

1. Vicarius oeconomus omnia *iura* et *obligationes* parochi habet, in iis quae ad curam animarum spectant. Nihil tamen in detrimentum parochi aut beneficii innovare potest (c. 473, § 1).

Licentiam assistendi matrimonio ad normam cc. 1095, § 2. 1096 concedere potest (3).

---

(1) Cf. RICHTER, *Canones Conc. Trid.*, p. 53, nn. 16. 17.

(2) Cf. *Coll. Lac.*, t. 3, c. 980.

(3) Resp. *Comm. I. C.*, 20 maii 1923. — AAS, XVI, 1924, 114. — *N. R. Th.*, 1924, p. 350-360.

Ei assignanda est pars fructuum pro congrua sustentatione (c. 472, 1°). Oblationes liberae vel iure particulari praescriptae, quae tempore vacationis fiunt, ei cedunt.

Iurisdictio eius *in foro interno* ordinaria est. E speciali enim commissione non oritur, et officio stricte dicto annectitur.

2. Eius *munus cessat* cum novus parochus vel oeconomus legitime officii possessionem capit et aliis modis ordinariis. — Novo parocho vel oeconomo successori, coram Ordinarii delegato, clavem archivi tradere debet et rationem reddere accepti et expensi tempore administrationis (c. 473, § 2).

Vicarius oeconomus qui plures simul vacantes paroecias regit, diebus iure praescriptis unam tantum missam pro populis sibi commissis celebrare debet. Hanc e cc. 473, § 1 et 466, § 2 certam conclusionem authentice confirmavit *Comm. I. C.*, responso d. 14 iul. 1922 (1).

§ 3. DE VICARIO SUBSTITUTO

517. - 1. Vicarius substitutus est sacerdos vices gerens parochi, qui ultra hebdomadam a paroecia afuturus est (c. 465) aut qui de iudiciali beneficii privatione ad S. Sedem appellavit (c. 1923).

In resp. *Commissionis I. C.*, d. 14 iul. 1922 (2) distinguitur ad normam canonis 465, Vicarius substitutus (casus ordinarius, § 4) a sacerdote supplente (casus urgens, § 5), quorum institutio paulo aliter procedit. Sacerdos tamen supplens recte ad normam c. 474 Vicarius substitutus vocatur. — Cum parochus a paroecia minus quam septem dies afuturus est, debet quoque fidelium necessitatibus providere (c. 465, § 6), sed sacerdos qui eorum curam suscipit neque nomen neque iura specialia obtinet.

2. *Nominatio* Vicarii substituti in casu privationis beneficii fit a solo Ordinario, aut, si casus ferat, cum consensu Superioris religiosi ; in casu absentiae, Vicarius a parocho designatur, approbandus ab Ordinario et simul, si casus ferat, a Superiore religioso. — Sedulo distinguendus est casus absentiae praevisae a casu urgentis profectionis. In priore enim Vicarius substitutus ante approbationem Ordinarii legitime non constituitur ; in casu urgenti, valide et licite parochi vices gerit, quamdiu Ordinarius contrarium non dixerit.

Extra casum urgentem, estne Vicarius *valide* constitutus ante approbationem Ordinarii loci ? — Negativa responsio est probabilior. Haec solutio nititur :

1° Ipso textu canonis 465, § 4. Agitur enim de concedendo officio et nominatus dicitur « ab Ordinario probandus » antequam loco parochi relinquatur. Contrariam tamen sententiam talis textus non excludit.

2° E resp. *Comm. I. C.*, d. 14 iul. 1922, ad V, quod negat Vicarium substitutum « valide et licite assistere matrimoniis ante Ordinarii approbationem », Etsi non contradicat isti responso qui asseruerit eundem sacerdotem valide.

(1) AAS, XIV, 1922, 528. — *N. R. Th.*, 1923, 47. — *Per.* XI, 164, 169.

(2) *Ibid.* Cf. de hoc argumento CLAEYS-BOÚÚAERT, *De vicarii substituti constitutione ac munere* in *Ius pont.*, 1927, 72, ss.

at illicite, matrimoniis assistere, hanc fuisse Commissionis mentem non putamus. Invalidatio actus *ante* approbationem forte innuitur in responso affirmativo ad dubium sequens « Utrum id [delegare licentiam assistendi matrimonio] possit vicarius substitutus... *post* Ordinarii approbationem,... ». Praesertim cum dubium sequens sit : « Utrum vicarius, seu sacerdos supplens, de quo in cit. c. 465, § 5, id possit *ante* Ordinarii approbationem » (1). Liceat canonistis cum reverentia desiderare in responsis opportunam inter validum et licitum potestatis usum distinctionem.

Approbatio Superioris ubi de religioso designando agitur, ad solam liceitatem requiritur. Ratio est quod officium ab Ordinario loci confertur.

Cum omnes facultates Vicarii substituti *ipso iure* conferantur, intra fines ab Ordinario vel a parocho positos, sequitur *per se* designari etiam posse sacerdotem qui in dioecesi nullam potestatem aliunde obtineat (2).

518. - *De potestate Vicarii substituti.*

1. Iuxta c. 474 Vicarius substitutus « locum parochi tenet in omnibus quae ad curam animarum spectant, nisi Ordinarius loci vel parochus aliquid exceperint ».

Quare constituitur ipso iure Vicarius paroecialis qui plena potestate paroeciali praeditus sit, nisi exceptio ab Ordinario vel a parocho fiat ; aequiperandus est ergo parochis cum omnibus iuribus et obligationibus, quod ad curam animarum. Id confirmatur responso pluries citato *Comm. I. C.*, iuxta quod matrimoniis valide et licite assistit, nisi haec facultas ei expresse negata sit.

Salva expressa restrictione, obtinet iurisdictionem *ordinariam* ad audiendas confessiones paroecianorum (c. 873) ; potest dare delegationes particulares ad assistendum matrimoniis (c. 1095) (3) ; dispensare a ieiunio et abstinentia ad normam c. 1245, etc.

Generatim quo brevior absentia parochi fuerit, eo magis conveniet ut ipse per se pro populo celebret, et casus graviores administrationis sibi reservet.

2. *Munus cessabit* reditu parochi, provisione ab Ordinario facta post sententiam S. Sedis de appellatione aut retractata approbatione Ordinarii loci vel Superioris religiosi.

§ 4. DE VICARIO ADIUTORE

519. - 1. Vicarius adiutor, seu coadiutor, *constituitur* ut curam animarum totam vel partim assumat in paroecia cuius pastor « ob senectutem, mentis vitium, imperitiam, caecitatem aliamve *permanentem* causam suis muniis rite obeundis impar evasit » (c. 475, § 1).

Si tamen parochus praesentia sua, etiam inculpabiliter at graviter,

(1) AAS, XVI, 1924. 114.
(2) Cf. *N. R. Th.*, 1921, 202. — Consentit CLAEYS-BOÚÚAERT, *Ius pont.*, 1927, 80, etsi neget id in ordinariis adiunctis esse licitum.
(3) Cf. supra, n. 517, 2.

bono animarum noceat, ab officio ad normam cc. 2147-2161 removendus est.

Causa igitur institutionis est defectus *personalis* et satis *permanens* parochi, dum cooperatores ob causam *realem* seu *localem* dantur.

2. Vicarius adiutor libere *constituitur* ab episcopo, salvo iure praesentationis in paroecia religiosis commissa.

3. *Iura et obligationes.*

Duo casus distinguendi sunt :

1° Vicarius debet *in omnibus* vicem supplere.

Tunc parochis aequiperatur, quorum omnia iura et obligationes habet, excepto onere missae pro populo, quae parochum gravat (c. 475, § 2).

Quare tunc Vicarius adipiscitur iurisdictionem ordinariam ad confessiones audiendas ; delegare potest ad assistendum matrimoniis (1) ; dispensare poterit super impedimentis matrimonialibus, etiam in foro externo, ad normam c. 1044, etc. Haec sequuntur e c. 451, § 2, 2°. — Si parochus celebrando impar sit, celebrabitur pro populo per alium, impensis parochi (Cf. c. 339, § 4).

2° Vicarius parochi vicem *ex parte* supplet.

Eius iura et obligationes e litteris deputationis desumenda sunt.

Tum ex hoc textu (c. 475, § 2), tum ex analogia Vicariorum cooperatorum (cf. c. 1096, § 1), censemus delegationem generalem ad assistendum matrimoniis ei ab Ordinario concedi posse. Munus enim Vicarii cooperatoris vere implet ; praeterea, cum Codex episcopo determinationem potestatis huius Vicarii simpliciter permittat, non est cur talem facultatem, muneri ita consentaneam, dari posse negetur.

3. Congruae *sustentationi* Vicarii rata fructuum portione vel alio modo, quem episcopus determinabit, est providendum.

4. *Officium cessat* praesertim morte parochi aut nova paroeciae provisione.

§ 5. DE VICARIIS COOPERATORIBUS

520. - Vicarius cooperator est presbyter qui parocho suam paroeciam administranti et in ea residenti auxilium praestat in cura animarum (c. 476, § 1).

Vocantur hi Vicarii gallice : *vicaires* ; neerlandice : *kapelanen*, *onderpastoors* ; anglice : *curates*.

Necessitas huius auxilii oritur, sive (ut plerumque) e causa locali sive e causa personali non perpetua, ut sunt multitudo populi, amplitudo territorii, infirmitas parochi temporaria, etc.

521. - Ordinarius loci Vicarios saeculares, audito parocho, *libere nominat*, religiosos a Superiore suo, audito parocho, praesentatos approbat (c. 476, §§ 3. 4).

---

(1) Cf. Resp. *Comm. I. C.*, 20 maii 1924. — AAS, XVI, 1924, 115.

Extenditur hoc canone ad universam Ecclesiam ius quod antea in plerisque Europae regionibus, v. g. in Gallia, Belgio, Hispania, Germania, Austria, ex legitima consuetudine vel alio iure particulari vigebat. In pluribus regionibus parochus ne audiendus quidem erat. Iure autem communi, nominatio Vicarii cooperatoris ad parochum pertinebat, approbante episcopo. — Si episcopus consilium parochi non petierit, nominationem esse validam nobis probabile est (Cf. supra, n. 194, 11, p. 126).

S. Congr. *Concilii*, in Zagabrien., *Nominationis vicariorum cooperatorum*, 13 nov. 1920 (1), censuit, contra votum consultoris, non servandam esse consuetudinem, etiam centenariam, nominandi vicarios cooperatores inaudito parocho. Ex hac enim parochi consultatione nullum sequitur detrimentum ; praescriptum Codicis vult uniformitatem inducere ; contra hunc canonem praescribi non potuit, cum sit novum eius tam generale praescriptum.

522. - *Potestas et iura Vicarii cooperatoris.*

1. Vicarius cooperator solet habere iurisdictionem ab Ordinario loci *delegatam* ad audiendas confessiones et obtinet aliquam *potestatem domesticam*, cuius ambitus a parocho multum pendet. Eam definiunt statuta dioecesana et litterae deputationis ab Ordinario datae (c. 476, § 6).

Episcopus posset declarare in synodo vel extra synodum iurisdictionem ipsa nominatione Vicarii concessam intellegi. — Quod vi officii Vicarius debeat : « parochi vicem supplere eumque adiuvare in universo paroeciali ministerio », nullo modo sequitur eum *ordinariam* iurisdictionem in foro interno obtinere, contra atque asserit R. P. FANFANI (2). Illa enim verba dependentiam Vicarii a parocho, non eius potestatem definiunt. Recte e contra dicit cl. DE MEESTER (3) : « Iurisdictio Vicariorum non a iure, quod de ea silet, sed ex commissione Superiorum habetur ». Nec qui alium in omnibus adiuvare debet, ipso facto eius potestatem totam obtinet. Quare cum eodem cl. scriptore censemus, sententiam contrariam quam tenent quoque BARGILLIAT (4) et cum haesitatione COCCHI (5), nulla intrinseca probabilitate niti. Nobiscum sentit quoque DE SMET, *Ephem. theol. Lovan.*, 1924, 560 (6).

Ei concedi potest delegatio generalis ad assistendum matrimoniis, quam primus Vicarius magnarum quarundam urbium solet litteris delegationis obtinere (cf. c. 1096).

De muniis parochi a Vicariis cooperatoribus exercendis, has regulas proponit et demonstrat DE MEESTER (7) :

« *Regula* 1ª. Sine licentia parochi, regulariter expressa et semper revocabili, nequeunt Vicarii sibi assumere munia parochialia... quae sunt : missa pro grege, praedicatio, catechesis et sollemnis communio puerorum. — *Regula* 2ª, Sine licentia parochi, regulariter expressa, aliquoties praesumpta et semper revocabili, nequeunt Vicarii sibi assumere munia parochialia... qualia sunt : distributio communionis paschalis [si parochus eam sibi *extra missam* reservaverit], cantus

(1) AAS, XIII, 1921, 43. — *Per.* X, 293.
(2) *De iure parochorum*, n. 251, B. 6.
(3) *Compendium* II, n. 881, 1°.
(4) *Praelectiones iuris canonici*, ed. 37, n. 1174.
(5) *Commentarium*, III, n. 369.
(6) Cf. *Monit. eccl.*, 1925, 312, ad 83.
(7) *Compendium*, II, nn. 886-888,

divinorum officiorum, proclamationes, baptisma, benedictiones mulierum post partum, matrimonium, funera et sepultura, externum parochiae regimen. — *Regula* 3a. Quod si parochus munia pastoralia per se implere non possit, Vicarii ius strictum non habent ut vices eius suppleant ; sed aequitas naturalis suadet ut cura illa ipsis potius quam extraneo committatur : qui sentit onus, sentire debet commodum ». Munia de quibus in 1a regula ex iure a parocho personaliter implenda sunt ; quare extra casus omnino speciales licentia ea obeundi praesumi nequit.

2. *Ius ad congruam sustentationem.* Nisi vicaria sit beneficialis, dos congrua ab episcopo assignanda est. Ubique constitui saltem partim poterit e stipendiis missarum, et oblationibus occasione functionum non paroecialium datis. In Belgio adduntur pensio gubernii et subsidia quae sive fabricae ecclesiae sive municipia conferunt.

523. - *Obligationes* quoque Vicarii cooperatoris statutis dioecesanis, litteris episcopi et commissione parochi definiuntur ; quaedam tamen iure communi statuuntur.

1° *Residentia* in paroecia, ad normam iuris particularis, quod de licitis feriis in specie consulendum erit. « Immo prudenter curet Ordinarius .. ut in eadem paroeciali domo (sc. cum parocho) commoretur » (c. **476**, § 5).

2° « Nisi aliud expresse caveatur, ipse debet ratione officii, parochi vicem supplere eumque adiuvare in universo paroeciali ministerio, excepta applicatione pro populo » (ibid. § 6). Quare, in dubiis praesumendum est ius parochi exigendi ut Vicarii vicem suam suppleant ; attamen recte monebat De Brabandere « ... suo cooperatore parochus discrete utatur, videlicet ut socio laboris et non ut homine qui solus portet onus diei et aestus » (1).

3° *Reverentiam* et in munere implendo *oboedientiam* parocho debent, cuius est eos paterne instruere, in cura animarum dirigere et de iis ad Ordinarium saltem quotannis referre.

§ 6. COMMUNES QUAEDAM PRAESCRIPTIONES

524. - *De cessatione muneris.*

Praeter modos cessationis iam allatos, notandum est Vicarios *oeconomum, substitutum* et *adiutorem* posse ad nutum episcopi et Vicarii capitularis, non autem Vicarii generalis, sine mandato speciali, removeri. Si religiosi sint, monendus est eorum Superior, a quo etiam removeri possunt. — Vicarius *cooperator* est ad nutum episcopi *amovibilis* eiusque officium revocabile. Si tamen vicaria sit beneficialis, amotio iuxta regulas amotionis parochorum est facienda. Sed causis amotionis addendus est gravis defectus subiectionis erga parochum (c. **477**).

---

(1) *Compendium*, I (8a edit.) n. 514, nota.

525. - *De praecedentia.*

Vicarius paroecialis Capituli cathedralis praecedit omnibus aliis dioecesis parochis aut vicariis ubicumque parochi qua tales in actu vel concessu partem habent (1). Vicarii substitutus et adiutor praecedunt, dum in munere manent, vicariis cooperatoribus; hi vero aliis sacerdotibus ecclesiae paroeciali addictis. Ius Vicarii oeconomi determinatur tempore eius promotionis ad beneficium, dein ad ordinem, tandem aetate (cc. **478**. 106).

Caput XI. - De rectoribus ecclesiarum

(cc. 479-486)

Scriptores : De Meester, *Compendium*, II, n. 896. ss. — Fanfani, O. P., *De iure parochorum*, n. 459, ss.

526. - I. Rector ecclesiae vocatur sacerdos cui « cura demandatur alicuius ecclesiae quae nec paroecialis sit nec capitularis, nec annexa domui communitatis religiosae, quae in eadem officia celebret » (c. **479**, § 1).

Huiusmodi ecclesiae erunt v. g. templa in quibus pia peregrinatio exsistit, ecclesia beneficii simplicis aut pro communitate erecta, ut sunt ecclesia xenodochii, seminarii, collegii iuvenum, communitatis religiosae laicalis, etc.

Rectores ecclesiarum libere *nominantur* ab Ordinario loci. Si cui competit ius eligendi aut praesentandi, approbatio candidati ad episcopum spectat.

Rector ecclesiae ad religionem exemptam pertinentis et a domo religiosa separatae nominatur a Superiore, approbatur ab episcopo (ibid. § 2).

In seminariis collegiisve quae a clericis reguntur, Superior simul est ecclesiae rector, nisi episcopus alium constituat (c. **480**).

527. - II. *Iura rectoris.*

1. Rector ad functiones paroeciales obeundas ius non habet (c. **481**), nisi episcopus communitatem curae parochi subduxerit.

Hoc privilegium speciali S. Sedis indulto aut legitima consuetudine acquiri potest. Ipsum ius commune rectoribus seminariorum maiorum officium parochi erga omnes qui in seminario degunt committit (c. 1368).

2. Potest in ecclesia officia, etiam sollemnia, celebrare (c. **482**).

3. Sine eius licentia, ad normam iuris danda vel neganda, nemini licet in ecclesia missam celebrare (cf. c. 804), sacramenta ministrare aliasve functiones sacras peragere (cf. cc. 874. 1341, etc.) (c. **484**, § 1).

Licentia potest quoque dari ab « alio legitimo Superiore », v. g. Superiore collegii, Vicario generali, etc.

(1) Cf. S. C. C., *Forolivien*, Praecedentiae, 10 febr. et 9 iun. 1923. — AAS, XVI, 1924. 400, ss. — *N. R. Th.*, 1924, 60.

Parochus tamen loci ex eius ecclesia SS. Eucharistiam ad infirmos deferendam libere desumere potest (**c. 483**, § 2).

Conc. Mechliniense IV (aº 1920), rectoribus collegiorum ecclesiasticorum instituendae iuventuti inservientium, praeter iura rectorum ecclesiarum, facultatem confert ministrandi S. Eucharistiam per modum viatici, necnon extremam unctionem, omnibus periculose aegrotantibus, qui diu noctuque in collegio habitant. Quod ad ius funerandi, standum est ordinationibus dioecesanis (art. 157).

528. - *Obligationes rectoris.*

1. Si ecclesia paroecialis nimis distet, Ordinarius loci potest rectori ecclesiae praecipere « ut horis populo commodioribus officia celebret, fidelibus dies festos et ieiunia denuntiet et catecheticam instructionem et Evangelii explicationem tradat » (c. 483, 1°).

2. Rector debet, in missa cui fideles astant, diebus festis de praecepto brevem Evangelii aut doctrinae christianae explicationem proponere, si episcopus praescripserit ut id in ecclesiis fiat (c. 1345).

3. « ... debet curare seu advigilare ut divina officia ad sacrorum canonum praescripta ordinate in ecclesia celebrentur, onera fideliter adimpleantur, bona rite administrentur, sacrae suppellectilis atque aedium sacrarum conservationi et decori prospiciatur, et ne quidpiam fiat quod sanctitati loci aut reverentiae domui Dei debitae quoquo modo repugnet » (**c. 485**).

4. Cavere debet ne celebratione divinorum officiorum noceat ministerio paroeciali. Ordinarii loci est dubia de hac re dirimere (c. 482).

529. - *De cessatione muneris.*

Rectorem ecclesiae Ordinarius loci qualibet iusta de causa removere potest.

Si religiosus sit, ab episcopo et Superiore religioso removeri potest, altero semper monito, quin tamen alterutrius consensus requiratur (**c. 486**).

530. - **Scholion.** *De cappellanis.*

« De cappellano religiosarum, sodalium virorum religionis laicalis, confraternitatis vel alius legitimae associationis, serventur particularium canonum prascripta » (**c. 479**, § 2).

Cappellani vocabantur clerici qui in regno Francorum cappam seu cappellam S. Martini eiusque insignes reliquias custodiebant. Inde nomen translatum est ad cappellanos regios, dein ad omnes huiusmodi clericos.

Saepe cappellani communitatis religiosae parocho, quod ad sacramentorum administrationem, sufficiuntur. Quo casu sacrum Viaticum et Extremam unctionem religiosis eorumque alumnis administrant (cc. 464, § 2 ; 514), et funera defunctorum religiosorum noviciorumque celebrare possunt (c. 1230, § 5).

Conc. Mechliniense IV rectoribus religiosarum et sodalium virorum religionis laicalis istas omnes facultates concessit (a. 158).

PARS SECUNDA - DE RELIGIOSIS

(A. VERMEERSCH S. J.)

531. - Ordo Codicis. Codex deputat religiosis 195 canones, quos, praeter quinque, in novem titulos distribuit, qui tituli sunt tit. IX-XVII libri II. Ipsis titulis quinque primo canones praeponit, quibus, de statu religioso, nos docet : *descriptionem* ; - *nomina* quibus instituta, domus et personae in Codice designabuntur ; - *leges* quibus religiosi reguntur ; - *ordinem* quo procedunt vel collocandi sunt.

Utilitati autem multorum lectorum consulere cogitamus, dum historica status religiosi fata breviter narrabimus, et expositionem canonicam morali quadantenus perficere conabimur.

INTRODUCTIO

(cc. 487-491)

Scriptores : S. THOM. 2, 2, q. 24, art. 9 ; 183, art. 1 et 4 ; q. 184-186. *Opusculum de perfectione vitae spiritualis* ; — SUAREZ, *De religione*, tr. 7, ll. 1-3 ; — PIAT, O. F. M., *Praelectiones iuris regularis*, p. 1-25 ; — ANGELUS A SS. CORDE, O. F. M., *Manuale iuris communis regularium* t. 1., p. 1-16 ; — BIEDERLACK-FÜHRICH, S. I., *De religiosis*, n. 1-25; — CHELODI, *Ius de Personis*, n. 243-246; — CHOUPAIN, S. I., *Nature et obligations de l'état religieux*, p. 25, ss. — CREUSEN, S.I., *Religieux et religieuses d'après le droit ecclésiastique*, éd. 3 n. 1-20. — FANFANI, O. P., *De iure religiosorum*, n. 1-8, 29-33. — SCHAFER, O. M. C., *Das Ordensrecht*, p. 14, ss. — *De religiosis ad normam iuris canonici*, n. 1-62.

I. STATUS RELIGIOSI DESCRIPTIO

532. - Definitio. — Status religiosus **c. 487** describitur : « Stabilis in communi vivendi modus, quo fideles, praeter communia praecepta, evangelica quoque consilia servanda per vota oboedientiae, castitatis et paupertatis suscipiunt ».

Singulae istius descriptionis partes explicandae sunt.

« *Stabilis* » modus vivendi ad omnis status essentiam pertinet. Status enim firmam dicit condicionem quam quis in civitate, seu hic in Ecclesia, obtinet. Ac pro maiore vel minore firmitate, ratio status plenius vel minus plene habetur. Perpetuitas Codice non exigitur, sed, ex mente legislatoris, intentionem religiosorum per se ingreditur, cum temporaria vota sint, per se, elapso tempore renovanda, ex c. 488, 1°.

Ut autem status habeatur, quaedam approbatio Ecclesiae omnino est necessaria. Accedente ista approbatione, vota fiunt publica ; habetur iam non simplex votorum nuncupatio, sed *professio* votorum statui religioso essentialis. Condicio ista hoc canone implicite tantum (in voce *stabilis*) continetur.

533. - « *In communi vivendi modus* » non quidem ipsa rerum essentia, sed hodierna disciplina ecclesiastica ad statum religiosum exigitur.

Satis diu enim eremitica seu solitaria vitae ratio est ab Ecclesia admissa. Nunc autem nulla agnoscitur religiosae vitae professio sine vita communi (1), quae saltem complectitur : *a*) communem regulam seu communes Constitutiones ; *b*) Superiores communes. — Praeterea tectum commune saltem ut factum ordinarium supponitur, v. g. in c. 606, quo Superiores vetantur permittere, nisi causa studiorum, ut subditi, ultra sex menses, extra domum propriae religionis degant. Cf. infra, tit. XIII, ad c. 606, § 2.

Haec tertia condicio non obstat quin S. Sedes probare possit et re vera probaverit quasdam religiones quarum sodales, ex ipsis constitutionibus nec veste exteriore dignoscantur, nec tecto communi recipi debeant.

Quocirca etiam, condicio ista vitae in communi non stricte connumeranda est cum elementis essentialibus status religiosi. Si enim deficiat, i. e. si S. Sedes approbet vel accipiat vota sine vita in communi, re ipsa habetur professio trium votorum substantialium ac proin status religiosus.

534. - « *Evangelica consilia.* » Consilium, obiective sumptum, seu opus consilii est, *stricte*, actio qua utilis ad finem : quae actio potest esse ex obiecto, bona aut indifferens ; latiore usu dicitur actio bona, non praecepta, melior suo opposito vel sui negatione non mala (Cf. PASSERINI, *De hominum statibus*, in q. 184, n. 25. 26). — Consilia alia sunt *universalia*, alia *particularia*. Priora sic dicuntur propter generalem vim qua conferunt ad perfectiorem virtutum in universum, et potissimum caritatis exercitationem.

Esse, praeter praecepta, consilia in evangelio, pertinet ad fidem catholicam et a pluribus haereticis negatum est. Verum, inter Novae legis consilia, tria eminent quae nomine quasi proprio dicuntur evangelica : quod c. 487 ipse suo modo dicendi confirmat, dum professionem consiliorum evangelicorum partem facit vitae religiosae. Sunt autem *voluntaria paupertas*, *perfecta castitas*, et *oboedientia*.

Paupertas commendatur tum exemplo Christi qui de se testabatur : « Vulpes foveas habent et volucres caeli nidos : Filius autem hominis non habet ubi caput reclinet (2) » ; tum verbis quibus idem Dominus pericula divitiarum denuntiavit (3), et adulescenti, interroganti de perfectione, abdicationem bonorum suasit (4).

Consilium continentiae facile erueris ex celebri loco ubi Christus Dominus eunuchis a natura vel ex humana vi eos subiunxit « qui seipsos castraverunt propter regnum caelorum » ; quos illico laudavit aiens : « Qui potest capere capiat » (5). Genuinum praeterea mentis Christi interpretem habemus Apostolum, ex professo de virginitate disserentem in primo epistola ad Corinthios, c. 7.

Addas exemplum Christi virginis, nati de purissima virgine, et cuius immaculatam vitam nulla calumnia ausa est impetere vel suspicari.

---

(1) Cf. de consecrat. virginum in saec°. S. C. *de Rel.*, Resp. 25 mart. 1927. *AAS*, XIX, 140. *Per.*, XVI, 30. — (2) Matth. 8, 20 ; Luc. 9, 58. — (3) Matth. 13, 22 ; 19, 23. — (4) Matth. 29, 21. — (5) Matth. 19, 11, 12.

Oboedientia religiosa communiter intellegitur quaedam satis universalis abdicatio propriae electionis, et mancipatio in manibus alterius, prudenter electi, qui tacite vel expresse promittit se fore magistrum perfectionis, seu vitae Deo et proximo devotae. Hodie, magisterium istud est penes Institutum, cuius normae ab hierarchica auctoritate sunt probatae, et penes Superiores rite constitutos, qui, ex ecclesiastica sanctione, vera potestate sunt praediti.

Huiusmodi disciplina commendatur perpetua et universali abdicatione qua Christus humanam suam voluntatem divinae postposuit, secundum illud : « Humiliavit semetipsum, factus oboediens usque ad mortem, mortem autem crucis » (1). Etenim, ex admissa directione viri prudentis, qui, dum alii modum agendi praescribit, occaecante amore proprio solutus est et praeterea, qua verus Superior, actus indifferentes in bonos et necessarios sua iussione convertere potest, quaerit religiosus oboediens, etiam in particularibus actionibus suis, illam voluntatem divinam, quam Christus directa intuitione in omnibus rebus percipiebat (2).

Commendatur quoque evangelica praedicatione caritatis et humilitatis. Est enim aptissimum medium obtinendi ut corde non diviso soli Deo placere studeamus (3) ; deponendi omnem saeculi sollicitudinem ; fugiendi « superbiam vitae » id est fastum, arrogantiam, insolentiam quae non est ex Patre sed ex fragili mundo (4) ; contemnendi terrenam sublimitatem, et, considerata Christi ignominia, praeferendi subiectionem praelationi, deponendi omnem contentionem, alios sibi superiores existimandi (5), exuendi omnem amorem proprium, propriam postponendi utilitatem ad quaerendam utilitatem alienam (6), et vitam agendi quae intentione et destinatione, quodam modo fiat universalis.

Oboedientiam istam ipsi *Superiores* in praeparatione animi possident et colunt ; ac praeterea in regula cui subsunt et in Superioribus maioribus, exercendam reperiunt.

Eadem oboedientia, quatenus socialem permittit consectationem perfectionis, sociali Ecclesiae institutione commendatur : ipse Christus auctor esse videtur ut studia supernaturalia communiter colantur.

Communis autem omnibus religiosis, etiam Superioribus est haec necessaria oboedientia, qua, in studiis perfectionis, subordinantur magisterio ecclesiastico, ac proin Summo Pontifici, si a dioecesanis episcopis fuerint exempti (Cf. S. Thom. 2, 2, q. 186, art. 5 ad 3).

Porro oboedientia ista perspicitur esse aliquid principale in sectanda perfectione. Obiecto enim est universalior quam paupertas et castitas, quae in ea continentur ; et holocaustum continet magis directum et perfectum nobilissimae facultatis, voluntatis. « Votum oboedientiae, ait S. Thom. 2, 2, q. 186, art. 8, est religioni essentialius ». Et in iure legitur : « Magna quidem paupertas, sed maior integritas ; bonum est oboedientia maximum, si custodiatur illaesa » (C. 1, Extrav. Ioann. XXII, *De V. S.*, 14).

535. - « *Servanda per vota.* » Votum, ut postea explicabitur, est *promissio Deo facta.* In hodierna disciplina, vota religiosorum ita Deo fiunt, ut simul obligent erga Institutum religiosum. Quod potissimum valet de oboedientia : promittitur Deo oboedientia, quae vero Superiori debetur ; dum privatum votum oboedientiae, quod, v. g. fiat confessa-

---

(1) Philipp. 2, 8.
(2) Cf. P. Claeys-Bouuaert, S. I., *Le principe surnaturel de l'obéissance*, *Rev. Asc. et Myst.*, I, 1920, 50, ss.
(3) I Cor. 7, 33. — (4) Matth. 13, 22 ; Philipp. 4, 6 ; 1 ep. Ioan. 2, 16. 17. — (5) Philipp. 2, 3. — (6) I Cor. 10, 24 ; Philipp. 2, 4.

rio, hunc Superiorem constituere nequit: promittitur tunc Deo id quod, secundum prudentem confessarii directionem, aestimatur esse melius.

Votis procuratur firmitas quae statui requiritur. Imperfecta autem firmitate, quae votis temporariis, adiecta perseverantiae intentione, innititur, Codex contentus est.

536. - Votis istis obstacula generalia perfectioni satis removentur et sufficiens exercitatio perfectionis procuratur, ut homo in statu perfectionis versari inde merito dicatur.

Paupertate enim, in radice et de se removetur concupiscentia oculorum et sollicitudo de bonis exterioribus; *continentia perfecta*, removetur concupiscentia carnis et sollicitudo de uxore et liberis; *oboedientia*, removetur superbia vitae et inordinatio voluntatis quae non potest iam arbitratu suo se huc illuc ferre, sed appetere iubetur quae iudicantur ad perfectionem esse necessaria, omittere quae huic studio adversantur. Qua simul ratione demonstratur sufficiens perfectionis exercitatio.

Duplex autem est *ratio* qua *status perfectionis* concipi potest. Sub priore, status religiosus eorum est « qui se totaliter mancipant divino servitio, quasi holocaustum Deo offerentes » (1); et sic explicatur quo modo viri in eo reperiantur qui vel iam antea, vel in ipso statu religioso, fructum sanctitatis non communis sint consecuti. Sub altero respectu, est « quaedam disciplina vel exercitium ad perfectionem perveniendi » (2), quia ad humanam virtutem novae semper accessiones fieri possunt; et, de statu suo interrogati, sancti viri, cum sibi vilescant, non aliud sane faterentur, nisi se esse virtutis ac perfectionis studiosos. Deinde, imperfectis viris et peccatoribus aditus ad statum religiosum per se non negatur.

537. - Status religiosi *aestimatio absoluta et comparativa.*

1. Ex eodem canone **487**, « status religiosus ab omnibus in honore habendus est ». Etenim, quamvis non nulli qui in communi statu versantur sint religiosis perfectiores, nihilo minus status religiosus praedicandus est simpliciter perfectior statu vitae communis; idque non tantum extensive, quatenus, praeter praecepta, complectatur consilia; sed quatenus accessione consiliorum ad praecepta, via ad perfectionem sternatur expeditior et efficacior.

2. Si praeterea inter se conferre velimus *episcopos, sacerdotes* et *religiosos,* haec ab Angelico Doctore mutuamur (3).

Tria sunt hic attendenda: *status, ordo, officium. Statu* suo episcopi, quatenus caritati exercendae, et religiosi, quatenus caritati asse-

---

(1) S. THOM. 2, 2, q. 186 art. 1, c. — (2) Ibidem, art. 2, c.

(3) Cf. DE GUIBERT, S. I., *Rev. Asc. et Myst.*, I, p. 280, ss. — LOTTIN, O. S. B., *La doctrine de S. Thomas sur l'état religieux*, in per. *La Vie spirituelle*, VIII, p. 385.

quendae et excolendae firmiter addicuntur, praestant sacerdotibus, qui statu sunt saeculares et nulli ecclesiae sunt desponsati. *Ordine*, episcopi anteponuntur sacerdotibus ; sacerdotes vero iis qui non sunt sacerdotes. *Officio*, priores sunt qui curam habent animarum. Hactenus de excellentia partiali seu secundum quid.

3. Simpliciter vero, primae partes deferendae sunt episcopis, qui ceteris eminent officio, ordine, atque etiam statu. Statu enim sunt *perfectores*. Excellentia autem perficiendi alios, propter graviorem obligationem et suppositam iam sanctitatem, efficit ut status pontificalis religioso sublimior sit. — Episcoporum perfectioni S. THOMAS proximos facit religiosos sacerdotes qui spiritualibus ministeriis funguntur. — Inter saecularem cum cura animarum et regularem sacerdotem sine cura, « si fiat comparatio secundum *bonitatem*, sic praefertur status religionis officio presbyteri curati ». Is enim non gerit principaliorem curam animarum, neque ad eam obligat *omnem* vitam suam. Atque id eo confirmatur quod Ecclesia presbytero curato positive permittit aditum ad religionem. Cf. c. 2, C. XIX, q. 2 ; et c. 542, 2°.

Sacerdos denique saecularis religioso laico potior est tum dignitate, qua ad sublimia ministeria deputatur, tum requisita sanctitate. Cf. S. THOM. 2, 2, q. 184, art. 6 et 8 ; q. 188, art. 6 ; Opusc. *De perfectione vitae spiritualis*, c. 17.

II. STATUS RELIGIOSI FATA HISTORICA ET VOCABULA

538. - Ut sequentes canones de variis nominibus quae in status religiosi iure usu veniunt melius intellegantur, pauca praemittenda videntur **historice** de variis formis, quibus status religiosus, labentibus saeculis, est veluti indutus.

Post primordia, in quibus *virgines* et *ascetae* sectabantur religionem perfectiorem per continentiam, bonorum abdicationem, abstinentias et orationes (1), primus apparet *monachismus*, tum orientalis, a Deciana persecutione ; tum occidentalis, a saec. VI°. Communis cuiuslibet vitae monasticae ratio est ipsa professio sanctitatis : sanctitatis propter se intentae, non autem ad aliquem finem Instituti directae. Ecclesiae tamen per accidens opitulari, si res postulabat, monachi non abnuerunt. Ad sanctitatem autem pertinere intellegebantur fuga saeculi, rerum penuria, cultus continentiae, studium abstinentiae et mortificationis, rerumque divinarum contemplatio. Magna ceterum, in prima aetate, varietas studiorum cernitur ; quae tamen in duo principalia genera cogi potest : *eremitarum* seu *anachoretarum*, et *coenobitarum*. Priores erant solitarii homines, quorum primum exemplar fuit S. PAULUS eremita, illustris autem propagator S. ANTONIUS abbas ; posteriores communi erant regimini obnoxii, quod S. PACHOMIUS sapienter ordinavit. Monachis nova aetas exorditur a regula S. BASILII in Oriente et S. BENEDICTI in partibus Occidentis.

Pro fine intento, monachi dignitate clericali minime opus habebant ; potiusque, ex humilitate et fuga tumultus et negotiorum, animo erant ab isto honore et onere alieni. Regula S. Benedicti, omnium prima, continet, praeter principia spiritualis conversationis, diurnas exercitationes quae monasticae vitae referunt

(1) Cf. VERMEERSCH, *De religiosis*, etc. t. 2, Suppl. I.

imaginem ; atque, ut aliquid principale, vult monachum *stabiliter* voti nexu monasterio addictum. Singula monachorum monasteria erant sui iuris. Morali tamen coniunctione coeptae sunt copulari domus quae ab una principali originem trahebant, et sic efficere congregationem monasticam, cuius generis, iam a° 1080 fuit Congregatio *Hirsaugiensis* (Hirschau, Würtemberg), Ordinis S. Benedicti. Alia monasteria, propter eandem susceptam reformationem, in Congregationem coaluerunt : sic, in eodem Ordine Benedictino exstant Congregatio Cluniacensis, Cisterciensis, quae recentiori formae Ordinum praeluserunt. Congregationes monasticae auctae sunt numero, ex quo sola monasteria quae in Congregationes erant redacta, plena exemptione frui potuerunt. Cf. Trid. s. xxv, *De Reg. et Mon.*, c. 8.

Saeculo xi°, nati sunt *canonici regulares*, qui vitam communem cum professione paupertatis coniungebant, et clerici erant ecclesiarum vel cathedralium vel saltem principalium. Singulae eorum domus, initio sui quaeque iuris erant ; deinde, inter monasteria communis originis vel reformationis, vinculum est inductum ; et natae sunt plures eorum congregationes, quales sunt Canonici regulares *Lateranenses*, *Praemonstratenses*, *Crucigerorum*. In hoc Institutorum genere, iam cernitur coniunctio clericatus cum professione religiosa, habeturque finis proprius Instituti, servitio alicuius ecclesiae et sacri cultus decore contentus.

Ineunte saec. xiii°, cum plures sectae haereticorum exprobrarent Ecclesiae labentem disciplinam, et, apostolicam severitatem simulantes, non paucos ignaros caperent, visum est ipso vitae regimine calumniam propulsare et apostolicis ministeriis errores debellare. Hanc suscepere provinciam *Ordines mendicantes*, quorum principales auctores fuerunt S. Dominicus et S. Franciscus Assisiensis. Attenta primaeva eorum institutione, Ordines isti colunt *paupertatem in communi*, et mixtum contemplatione et sacris ministeriis vitae genus ducunt. Ad propriam eorum rationem pertinet etiam *collegialis institutio*, ita ut omnes domus uni regimini subsint, habeantque hierarchiam cuius caput est Superior generalis.

Recentioris aetatis sunt *clerici regulares*. Hi, omisso nomine canonicorum, quod aliquam dignitatem sapiebat, clericalia munera in universum cum professione religiosa coniungere cogitarunt. Id primi omnium fecerunt *Theatini*, quos anno 1524 S. Caietanus condere coepit. Ad hanc religionum classem pertinet *Societas Iesu*.

Clericatus ergo, qui monachis est aliquid secundarium, a mendicantibus vero aeque ac regula intenditur, canonicis et clericis regularibus fit quodam modo principale, ita ut apud eos, potius quam clericatus regulae adiungatur, regula clericatui accedat.

Sic quoque factum est ut vox *Ordo*, quae primo designabat condicionem personarum in Ecclesia, ita ut *Ordo monasticus* mere significaret universitatem monachorum, translata sit ad singula religiosorum collegia quae in Ecclesia probata sunt.

Societates vero sive clericorum sive laicorum quae, ad peculiarem assequendum finem pietatis vel caritatis, accedunt ad religionum rationem, sed ab ea, deficiente voto aliquo, vel votorum acceptatione ab Ecclesia, aliqua ratione differebant, dictae sunt *Congregationes ecclesiasticae*, de quibus in tit. xvii agitur. Tempore prima fuit *Congregatio Oratorii*, quam sine votorum obligatione, a° 1566, condidit S. Philippus Nerius. Proprio autem nomine *Congregationum religiosarum* vocari coepta sunt Instituta, quibus inest essentia status religiosi favetque S. Sedis assensus, votorum tamen sollemnitas non est concessa. Sic *Congregatio Doctrinae christianae*, quam a° 1592 Caesar de Bus, Congregatio *Fratrum Scholarum christianarum*, quam a° 1679, S. I. B. de la Salle pauperum institutioni addixit. Interdum *piae Congregationes* vocatae sunt societates

quae sola episcoporum auctoritate probatae erant; magis proprie autem sunt societates quae votis perpetuis vel aliquo e votis substantialibus carent.

Regula monachorum aeque ad viros et ad mulieres conveniebat. Quare iuxta monachos fuere ab initio moniales seu sanctimoniales. Et quia mulieres quoque chori servitio addici poterant, exstitere etiam *canonicae regulares*. — Conditores autem Ordinum mendicantium, quorum regula ad solos viros aptata erat, alteram mulieribus scripsere, quae sic constituerunt secundum Ordinem. Immo ipsis saecularibus, sanctioris vitae cupidis, accommodarunt regulam, qua initium dederunt *Tertiis Ordinibus saecularibus*.

539. - Restat iam ut, secundum ipsum canonem 488, tradamus quisnam usus fiat nominum in Codice.

1. Religio est « societas, a legitima ecclesiastica auctoritate approbata, in qua sodales, secundum proprias ipsius societatis leges, vota publica, perpetua vel temporaria, elapso tamen tempore renovanda, nuncupant, atque ita ad evangelicam perfectionem tendunt ».

Religio, ante Codicem, erat nomen proprium Instituti cum votis sollemnibus. — Legitima auctoritas quae religionem approbare potest est cum S. Sedes, tum loci Ordinarius. — Vota dicuntur *publica*, eo quod nomine Ecclesiae a legitimo Superiore ecclesiastico sunt approbata; *sollemnia*, si ab Ecclesia uti talia fuerint agnita (Cf. can. 1308). — Observes hic iam ne insinuari quidem necessitatem tecti communis. Cfr. LARRAONA probatum a SCHÄFER, p. 33, n. 4.

540. - 2. Ordo est « religio in qua vota sollemnia nuncupantur »; Congregatio monastica est « plurium monasteriorum sui iuris inter se coniunctio sub eodem Superiore »; — *Religio exempta* est « religio, sive votorum sollemnium sive simplicium, a iurisdictione Ordinarii loci subducta »; — *Congregatio religiosa* vel *Congregatio* simpliciter « religio in qua vota dumtaxat simplicia, sive perpetua sive temporaria, emittuntur » (c. 488, 2°).

541. - 3. *Religio iuris pontificii* est « religio quae vel approbationem vel saltem laudis decretum ab Apostolica Sede est consecuta; *iuris dioecesani*, religio quae, ab Ordinariis erecta, hoc laudis decretum nondum obtinuit » (c. 488, 3°).

Sic *praesens* redditur disciplina, quae C. *Conditae* LEONIS XIII, 8 dec. 1900 est authentice promulgata. De antiquioribus autem institutis, potius centenarii vel immemorabiles usus, qui possessionem firmant, erunt consulendi. Immo non repugnat quin expressa S. Sedis approbatio simul regimen episcopale seu dioecesanum cuipiam religioni imponat.

Approbationum ordo consuetus, sed minime necessarius, is est, ut, consulta S. Sede, Religio ab Ordinario loci approbetur; ut deinde, facta postulatione, impetretur a S. Sede sic dictum *decretum laudis* quo religio commendatur; ut postea concedatur decretum *approbationis Instituti*, quod sequitur vel non raro comitatur approbatio constitutionum ad tempus, puta septennium; ut denique Constitutiones definitive approbentur.

Series approbationum concessis votis sollemnibus coronaretur; sed, ab exeunte saec. XVIII, nulla nova religio sollemnia vota consecuta est.

542. - 4. *Religio clericalis* est « religio cuius plerique sodales sacerdotio augentur; secus est laicalis » (c. 488, 4°).

Estne istud criterium perpetuum ? Id merito dubitari potest. Religio enim quae duplici classe constet, altera clericorum, altera laicorum, ita ut classis laicorum sit alteri plene subordinata, clericalis dicenda videtur, quamvis per accidens vel etiam per se plures sint laici quam clerici. De quadam religione huiusmodi interrogata Pontificia Commissio Codicis, rem remisit ad S. Congregationem *Religiosorum*, quae iam ut clericalem agnovit Congregationem in qua laici clericos numero superabant.

543. - 5. *Domus religiosa* est « domus alicuius religionis in genere » ; domus regularis « domus Ordinis » ; *domus formata,* « domus religiosa in qua sex saltem religiosi professi degunt, quorum, si agatur de religione clericali, quatuor saltem sint sacerdotes » (c. 488, 5°).

Si quando religio non ex numero clericorum sed ex regiminis ratione habenda est pro clericali, plerumque exigi non poterit ut domus formata quattuor sacerdotes complectatur ; sed satis esse debebit ut ibi saltem sex religiosi professi degant.

Domus non formata dicitur *filialis,* si domui cuidam maiori ita annectitur ut quasi membrum sit domus a qua dependet. Superior non habet veram potestatem propriam, nec proin est ibi communitas vere distincta a domo principali. Sic, apud ordines monasticos, erunt simplices *oboedientiae*, *simplices prioratus* (MOLITOR, *Religiosi iuris capita selecta*, p. 377) ; atque etiam, ut nobis videtur, parvae veluti stationes Sororum quae duae vel tres praeficiuntur scholis elementariis, vel aegrotos curant in nosocomiis : harum praefecta minimam habet auctoritatem sed saepissime ad Superiorissam saltem maiorem recurrere debet. Cf. resp. S. C. de Religiosis, 1 feb. 1924 (AAS, XVI, 1924, 95. *Per.* XIII, 53). Fatendum tamen est notionem domus filialis nondum plene distinctam proponi, ita ut locus sit dubitandi et etiam abutendi facta declaratione.

Addi potest, *monasterii* nomen apud viros potius dici de domiciliis monachorum, quae etiam dicuntur proprie *Abbatiae*, propter praesulem a quo reguntur ; quo nomine veniunt quoque domicilia canonicorum regularium ; domicilia mendicantium saepe vocari *conventus* ; recentiorum religionum domicilia saepe ex destinatione vocari *noviciatus*, *collegia*, *residentias*. Verum ipsae domus studiis monachorum vel mendicantium addictae recipiunt quoque nomen *collegii*.

Apud mulieres, *monasteria* stricte sunt domus ubi viget clausura papalis, ac proin ubi vota sollemnia emittuntur. Satis proprie vocari etiam possunt monasteria, domus ubi vota sunt ex instituto sollemnia.

544. - 6. *Provincia* est « plurium religiosarum domorum inter se coniunctio sub eodem Superiore, partem eiusdem religionis constituens » (c. 488, 6°). Sed cf. dicenda n. 557.

545. - 7. *Religiosi* sunt « qui vota nuncuparunt in aliqua religione » ; *religiosi votorum simplicium*, « qui in Congregatione religiosa » ; *regulares,* « qui in Ordine » professi sunt ; *sorores* « religiosae votorum simplicium » ; *moniales* « religiosae votorum sollemnium aut, nisi ex rei

natura vel ex contextu sermonis aliud constet, religiosae quarum vota ex instituto sunt sollemnia, sed pro aliquibus locis ex Apostolicae Sedis praescripto sunt simplicia ».

Itaque qui in Ordine vota simplicia nuncuparunt non recte vocantur *religiosi votorum simplicium* : sunt enim *regulares* ; quamvis *professi* votorum simplicium dici possint. Ante Codicem, id controvertebatur, utrum necne sodales Ordinum, post vota simplicia, nomen regularium usurpare possent. — Vis vocis *monialium* erit ergo ex rei natura vel ex contextu sermonis colligenda, ita ut praesumatur tamen convenire quoque ad religiosas quarum vota ex instituto erant sollemnia sed hodie, saltem in pluribus locis, non sunt talia.

546. - 8. *Superiores maiores* sunt « Abbas Primas, Abbas Superior Congregationis monasticae ; Abbas monasterii sui iuris, licet ad monasticam Congregationem pertinentis ; Supremus religionis Moderator, Superior provincialis, eorundem vicarii aliique ad instar provincialium potestatem habentes » (**c. 488, 8°**).

Analogia iuris utentes quam c. 20 permittit et insinuat, Superioribus maioribus accensebimus quoque Superiores vel Superiorissas domus quae sit sui iuris. Non sunt tamen *Ordinarii*, nisi pertineant ad religionem clericalem exemptam (1).

Ad instar provincialium potestatem habent v. g. qui dicuntur *Visitatores*.

III. LEGES QUIBUS RELIGIOSI REGUNTUR (2)

547. - Regimen religiosorum componitur :

1. *Privilegiis et indultis* ab Apostolica Sede concessis religioni. Haec enim, ex c. 4, Codice minime abrogantur.

2. *Consuetudinibus centenariis et immemorabilibus*, quae, nisi Codici expresse reprobentur, tolerari poterunt, si Ordinarii earum remotionem iudicent imprudentem (c. 5). Practice, ipsa S. Sedes, dum relationes quinquennales examinat, de hac re iudicium feret.

3. *Praescriptis huius Codicis* et decretis seu legibus quae, vel post Codicem ferantur, vel Codice implicite confirmantur, vel ex authentica declaratione vigere dicenda sunt, sicut declaratum est de praescriptis circa iuramentum antimodernisticum, et decreto *Inter reliquas*, circa servitium militare religiosorum.

---

(1) Admitti nequit quod, temperatis tamen verbis, proponit R. P. LARRAONA, *Comment. pro religiosis*, IV, 113, i. e. Superiorem maiorem Congregationis clericalis non exemptae etiam nomine Ordinarii designari, in rebus in quibus visitationi episcopali non subsit. Obstat enim explicita Codicis definitio ; obstat ratio iuridica : non formaliter propter exemptionem, sed propter habitualem iurisdictionem fori exterioris, quam in religionibus non exemptis nullus Superior habet, qualitas et nomen Ordinarii confertur ; obstat periculum generalis regulae a privato viro contra litteram Codicis confectae. Nec ulla est necessitas istius extensivae interpretationis. — Sane, in applicatione decreti *Redeuntibus*, S. C. *Consistorialis* declaravit ad Moderatores Generales duarum Congregationum vocem « Ordinarium in casu extendi » ; sed huiusmodi exceptione regula firmatur. Cf. *Per.* X, 46 et plura *Per.* XIII, (1) ss. Cf. SCHAFER, *De relig.* p. 48, f.

(2) Cf. FANFANI, op. c., *De religiosorum regimine*, n. 29-35.

Canone **490** monemur per se valere quoque de mulieribus quae de religiosis statuta sunt et masculino vocabulo sunt expressa.

Nec obstat accommodationem Constitutionum ad Codicem nondum fortasse esse recognitam. Ex quo enim vigere coepit, normam suis Constitutionibus superiorem religiosi in Codice agnoscere debent.

4. *Propriis regulis et constitutionibus,* quae canonibus Codicis non sint contrariae. Contrariae enim abrogantur (c. **489**). Nec ideo abrogationem effugerint, quia a R. Pontifice fuerint specifice approbatae, nisi ex obiecto vel ex adiunctis demonstrentur vim habere privilegiorum. Hoc enim seposito casu, ipsae leges pontificiae, Codici contrariae, Codice sunt abrogatae.

548. - *Leges* ecclesiasticae non praesumuntur mere poenales. Quare canones de religiosis conscientiam obligant. Sed, quamvis ius proprium religiosorum definiant, eorum violatio non censetur voto oboedientiae adversari. Secus dicendum esset, si praeceptum oboedientiae exprimerent.

Regulae aliae, in pluribus saltem partibus, obligationem conscientiae inducunt, qualem ferat materia ; aliae regulae sub levi peccato praecipiunt ; pleraeque regulae recentiores, et iam Constitutiones Fratrum Praedicatorum, non obligant nisi ad sustinendam poenam. Haec dispositio necessitatem obiecti praecepti aufert, sed a regulis generalibus honestatis dispensare nequit. Quare, attento *motivo* violationis deliberatae ; attento *nocumento* vitae communis quod affert ; attento facili *scandalo* quod parit ; attenta *inconstantia* propositorum quam demonstrat, deliberata regulae transgressio vix a levi culpa immunis erit, ubi locus non fuerit epikeiae. *Formalis* autem *contemptus* regulae qua talis, non autem alicuius regulae minoris momenti, grave foret peccatum duplici malitia contra religionem et humilitatem infectum. Conscientiam quoque obligant indirecte, regulae quae, de materia votorum, explicant quo modo votum intellegendum sit in definita religione.

N. B. Nomen *regulae* potius reservatur normis antiquioribus vel fundamentalibus ; recentiores vocantur *Constitutiones.*

IV. ORDO QUO RELIGIOSI PROCEDUNT VEL COLLOCANTUR

549. - Canon **491** definit ordinem praecedentiae inter *clerum saecularem, familias religiosas* et *laicos.*

Primus ordine venit clerus saecularis. In propriis tamen ecclesiis, religiones clericales praecedunt clero saeculari, ac proinde aliis religionibus, nisi agatur de capitulo cathedrali vel collegiali : hoc ubique locorum religiosis praecedit (c. 491, § 21).

Inter ipsas religiones, clericales praecedunt laicalibus, nulla facta distinctione antiquitatis vel sollemnitatis votorum. Inter religiones

clericales, primi veniunt canonici regulares, dein monachi, tum ceteri regulares. Salva praecedentia qua religiones clericales praecedunt laicalibus, regulares praecedunt congregationibus religiosis ; Congregationes iuris pontificii, Congregationibus iuris dioecesani. In eadem specie, ea religio praecedit quae est in pacifica quasi-possessione praecedentiae ; et, si de hoc non constet, quae prius in loco ubi quaestio oritur instituta est (c. 491, § 1 et c. 106, 5°).

Codex igitur regulares clericos in tria tantum genera dividit : canonicorum, monachorum et aliorum Regularium. Ante Codicem locum peculiarem, et quidem ante monachos, dare solebant clericis regularibus. Nunc ergo clerici regulares cum mendicantibus confunduntur.

Canon iste *privilegia* non tollit. Privilegium autem praecedentiae, etiam interdum prae clero saeculari, competit *Canonicis Lateranensibus*. Et, extra saltem processiones, *Fratres Praedicatores* inter mendicantes primum locum ex privilegio habent.

Religiosi denique laicis praecedunt.

De praecedentia adeundum quoque est *Caeremoniale episcoporum*, tum in c. 23 libri I, ubi agit de ordine thurificandi ; tum in c. 31 eiusdem libri, ubi ordinem procedendi et sedendi in synodo dioecesana et in concilio provinciali indicat. Hic abbatibus benedictis locum assignat ante dignitates et canonicos, quando non capitulariter procedunt. Argumentum fuse tractat R. P. A. LARRAONA, commentando c. 491 in *Commentarium pro religiosis*, 1923, IV, p. 172, ss. Cf. quoque SCHÄFER, *De religiosis* n. 57-62.

TITULUS IX.

DE ERECTIONE ET SUPPRESSIONE RELIGIONIS, PROVINCIAE, DOMUS

(cc. 492-498)

Scriptores : SUAREZ, *De religione*, tr. 7, l. 2, c. 15-17 ; — PIAT, *Praelect. iuris reg.* t. 1. p. 16-22 ; 209. 210 ; t. 2, p. 269-286 ; — WERNZ, *Ius Decr.* t. 3, n. 616-624 ; — AUGUSTINE, O. S. B., *A Commentary*, etc. in hos canones ; — BASTIEN, O. S. B., *Directoire canonique*, P. 1, L. I, -36, L. II, nn. 473. 524 — BIEDERLACK-FÜHRICH S. I., *De religiosis*, n. 16-25. — CHELODI, *Ius de Personis*, n. 247-249. — CREUSEN, S. I., *Religieux et Religieuses*, n. 21-37 — DE MEESTER, *Iur. can. et iuris Can.-civ.-comp.* II, 935-943. — FANFANI, O. P. *De iure religiosorum*, n. 9-28 ; — PRÜMMER, O.P., *Manuale*. p.179-182 ; — SCHAFER, O.M.C., *Das Ordensrecht*, p. 33, ss. — *De religiosis ad normam iuris canonici*, n. 63-89.

550. - Rubrica tituli eius **divisionem** indicat in tres partes, quibus ordine agit de erectione et suppressione *religionis*, - *provinciae*, - *domus*.

I. DE ERECTIONE ET SUPPRESSIONE RELIGIONIS

551. - **Auctores.** Praeter absolutam potestatem *Sedis Apostolicae*, de qua loquendum non est, **c. 492** facultatem condendi vel approbandi *Congregationes religiosas episcopis* concedit.

Eandem facultatem *negat Vicario capitulari* et *Vicario generali*. Ratio est, quia introductio novae religionis in dioecesim, huius statum notabiliter afficit, et quia est negotium nimii momenti ut episcopus eam alii demandet.

Facultati episcoporum ponit *condiciones*. Oportet ut prius consulant Sedem Apostolicam. Prius inquam. Cavere igitur debent ne approbationem S. Sedis post factum sollicitent. Antea tolerare vel admittere poterunt quaedam tentamina vitae communis et operum zeli ; sed nequeunt permittere ut personae a quibus id tentatur et forma vestium et nomine assumpto communiter iam pro religiosis habeantur.

Praeterea instituenda vel instituta Congregatio non poterit esse Tertiariorum, nisi a supremo primi Ordinis moderatore suae religioni aggregetur.

Negative dein vetatur, ne vel nomen vel habitus assumatur religionis iam constitutae.

Condiciones istae, attenta littera Codicis, *non sunt ad valorem*. Sed ex natura rei, Tertiariorum Congregatio exsistere nequit sine legitima aggregatione primo Ordini. Et S. Sedes poterit quoque sua sanctione irritam facere Congregationem illegitime conditam.

Expresse data ad condendas *Congregationes religiosas*, facultas condendi *Ordines religiosos* seu religiones votorum sollemnium indirecte negatur. Iam a Concilio Lateranensi IV (1215), confirmato a Conc. Lugdunensi II (1274), constitutio Ordinis religiosi est Apostolicae Sedi reservata, ipsa prohibitione « Ne quis de cetero novam religionem inveniat ».

In libello quo episcopus S. Sedem consultum adit, ex ipsa rei natura proponenda sunt quae Motu proprio *Dei providentis*, 16 iul. 1906, exigebantur in libello supplici quo, ex eodem Motu proprio, episcopus *licentiam* condendi novum Institutum petere debebat. Haec igitur docenda sunt : « Quis qualisque sit novae sodalitatis auctor, et qua is causa ad eam instituendam ducatur ; quibus verbis conceptum sit sodalitatis condendae nomen seu titulus ; quae sit forma, color, materia, partes habitus a noviciis et professis gestandi ; quot et quaenam sibi opera sodalitas assumptura sit ; quibus opibus tuitio eiusdem contineatur ; an similia in dioecesi sint instituta, et quibus illa operibus insistant » (Cf. *Per.* II, 127).

Congregatio Tertiariorum bifariam oriri potest. Etenim, ut non raro olim factum est, Tertiarii saeculares vitam communem cum votis assumere volunt ; vel instituta religio evadere vult congregatio Tertiariorum. In utroque casu, aggregatio a supremo Moderatore facta est essentialis ; in priore autem, secus atque in altero, aggregatio ante ipsam vitam religiosam promittitur.

Post decreta S. C. *Indulgentiarum*, 16 iul. 1887 et 31 ian. 1893, singuli religiosi nequeunt simul esse Tertiarii alterius Ordinis. Verum nihil repugnat quin ipsa religio *collective* primo vel secundo Ordini aggregetur, (Cf. exemplum huiusmodi concessionis, in indulto 1 sept. 1910, quo aggregatio Congregationis Fratrum laicorum indigenarum a S. Vincentio a Paulo ad Tertium Ordinem S. Francisci concessa est (*Per.* VI, 3) (1).

(1) Proprie loquendo, Congregatio non aggregatur Tertio Ordini saeculari, sed, qua Tertiaria, aggregatur primo vel secundo Ordini. Inde confusio quaedam verborum in relato monumento. Orator postulavit aggregationem ad Tertium Ordinem (saecularem) ; Congregatio concessit aggregationem ad Tertium Ordinem *regularem* (qui revera exsistit). Mens erat, ni fallimur, concedendi et obtinendi aggregationem ad primum Ordinem regularem.

Per se quidem requiritur ut nomen ferant et vestes satis similes primi vel secundi Ordinis. Sed ab ipsa condicione per specialia decreta partim saltem recessum est (1). Ex disciplina autem praesenti, effectus istius aggregationis est participatio indulgentiarum quae tum personis tum locis primi et secundi Ordinis sunt concessae. Cf. decr. S. Congr. *Indulgent. et SS. Reliquiarum*, 28 aug. 1903. Sed nullam dependentiam religionis aggregatae a primo Ordine affert. Et peculiares fines quibus religiones Tertiariorum sunt addicti huiusmodi dependentiam nulla tenus suadere videntur.

Nisi aliquam mutationem postulet in punctis quae S. Sedi proposita et probata fuere, aggregatio Congregationis dioecesanae ad primum vel secundum Ordinem fieri posse videtur sine nova S. Sedis consultatione.

552. - Congregatio sic condita est iuris dioecesani, manetque talis, quamvis in plures dioeceses diffundatur, usque dum decretum laudis vel approbationis a S. Sede sit consecuta (c. 492, § 2).

Decretum laudis istud intellegitur quo S. Congregatio non solam intentionem fundatoris sed ipsum institutum laudat et commendat. Res hoc modo nunc in AAS, refertur : « Decretis S. C. de Religiosis, SS. D. N. Benedictus PP. XV, 13 ianuarii 1920, Institutum Filiarum a S. Ioseph, vulgo « Protectoras de la Infancia » nuncupatum, cuius domus princeps in civitate S. Iacobi de Cile sita est, *laudavit...* » (AAS, XII, 1920, 119).

Ad decretum laudis consequendum, exhiberi debent S. Congregationi *de Religiosis* supplex libellus ad S. Pontificem, subscriptus a Moderatore generali et a suis assistentibus ; una cum litteris testimonialibus episcoporum seu Ordinariorum locorum ubi exstant domus ; relatio de statu personali, disciplinari, materiali, oeconomico eiusdem instituti ; quam relationem episcopus domus principis veridicam et authenticam testetur ; Constitutiones ab episcopo recognitae et approbatae ; demum, ex decr. 29 mart. 1919, communicari quoque debent alii libri qui sub vario nomine *Directoriorum*, *Consuetudinariorum*, *Librorum precum communium*, modum vivendi et orandi religionis manifestant. (Cf. AAS, XI, 1919, 239).

Simul cum decreto laudis indicationes quaedam dari consueverunt de articulis Constitutionum qui vel mutandi vel supplendi videntur.

Deinde conceditur approbatio ipsius instituti, ad experimentum, utputa per septennium. Hoc elapso, spes est obtinendi approbationem definitivam, nisi, propter adiuncta, novus terminus approbationi praefigendus sit. Cum approbatione definitiva approbari consueverunt *Constitutiones*, quarum Codex, secundum observationes factas correctus, exhibendus est.

Huic tamen ordini sequendo, S. Sedes, ut per se perspicitur, non est alligata.

Approbatio similibus verbis quibus laus Instituti per Acta Apostolicae Sedis promulgatur, mutato verbo *laudavit*, in *approbavit* (*institutum* vel *Constitutiones*, ad *tot annos* vel *definitive*). Cf. dicta n. 541.

(1) Cf. rescripta S. C. *Episc. et Regul.* 18 mart. 1904, pro Sororibus *Tertiariis SS. Trinitatis* in Hispania ; 30 ian. 1905, pro Generali *Fratrum Minorum Capuccinorum* ; 20 maii 1917, pro *Societate Filiarum S. Ursulae* (*Per.* I. 40 ; 147 ; II, 57 ; IX, 48).

553. - Sola S. Sedis auctoritate supprimi potest semel condita religio, etiamsi iuris fuerit dioecesani et unica domo constet (**c. 493**).

Ac dispositio de bonis reservatur S. Sedi, quae ipso c. 493, se profitetur attentam ad voluntatem eorum qui bona largiti sunt.

Et quia voluntate sociorum religio exstingui nequit, duplex tantum est causa qua, hodierno iure, religio cessare possit : si positive supprimatur ; si, deficientibus sociis, per centum annorum spatium esse desierit (c. 102, § 1 ; cf. n. 195).

554. - De mutandis regulis vel Constitutionibus, haec observanda sunt. Lex perpetua est ut quod S. Sedes semel probavit, sine S. Sedis assensu mutari nequeat. Quare ne in dioecesana quidem Congregatione sine S. Sedis assensu, mutari possunt quae eidem subiecta fuerunt ut erectionem permitteret (**c. 495**, § 2).

Salvis his punctis, leges Instituti dioecesani auctoritate episcopali mutari possunt. Sed si religio in pluribus dioecesibus diffusa sit, singuli Ordinarii in quorum territorio sedes habentur, in mutationem consentire debent, ita ut simplex maioritas suffragiorum non sufficiat, sed locum habeat istud : « Quod omnes uti singulos tangit, ab omnibus probari debet » (c. 101, § 1, 2°).

Leges autem religionis iuris pontificii, eae saltem quae aliquam pontificiam approbationem consecutae sint, sola S. Sedis auctoritate abrogari vel obrogari possunt. In easdem vero nihil posse episcopum, per se, ex natura rei est manifestum.

555. - Adeunda quoque est S. Sedes, vi c. 674, de erectione et suppressione Societatis sodalium qui communi vivendi ratione religiones imitantur, votis autem publicis carent.

De societate autem quae vita communi careat, nullus canon potestatem episcoporum limitat.

II. DE ERECTIONE ET SUPPRESSIONE PROVINCIAE

556. - I. *In religione iuris pontificii.* Statum provinciae tria afficiunt : *erectio, circumscriptio, suppressio.* Quae tria, quando sermo est de religione iuris pontificii, S. Sedi reservantur (**c. 494**, § 1).

Exstincta provincia, de eius bonis statuitur : *a*) secundum iustitiae leges, quae v. g. exigere possunt ut bona debitis solvendis inserviant ; *b*) secundum voluntatem fundatorum, quae esse potest ut bona addicta maneant utili operi, utputa scholae, ipsius regionis ubi provincia exstabat ; *c*) secundum Constitutiones ; *d*) secundum decretum sive, Capituli generalis, si fuerit congregatum, sive Moderatoris generalis cum suo Consilio (c. 494, § 2).

Ex contexta oratione, cùm c. 494, § 2 ipsius Capituli congregati decretum postulet, votum deliberativum Consilii *hic* requiri videtur,

etsi canon vocibus utatur quae de voto consultivo intellegi per se possunt. (Cf. n. 194, 2), et sic intellegatur a CREUSEN, n. 26. Nobiscum SCHÄFER, p. 89 nota. 5.

557. - Ex ipsa definitione supra, n. 542, ex c, 488, 6°, relata, provincia dicit novam unitatem cum administratione propria et distincta ab administratione generali, quamvis ei sit subordinata, ita ut Moderator provincialem administrationem supprimere nequeat. Itaque quod de provinciis hic statuitur, traduci non debet ad imperfectam vel inchoatam divisionem quam ipse Moderator, sine propriae potestatis limitatione, inducit constituens quempiam quasi suum procuratorem vel mandatarium, eumque praeficiens cuipiam, v. g. magis distanti regioni. Hoc ob iustas causas facere Superior non prohibetur. Atque exstant Instituta valde diffusa, quae provinciis carent. Sic Patres dicti *Augustiniani ab Assumptione* et ipsi *Fratres scholarum christianarum.*

558. - De diversa **unione monasteriorum** sui iuris vel eorum separatione a monastica Congregatione ; ac, multo magis, de erectione novae Congregationis monasticae, valent dicta de provinciis religionis pontificiae (c. **494**, § 1). Sic litteris in forma brevis 20 febr. 1920, e seiunctis a *Beuronensi* Congregatione et a *Brasiliensi* monasteriis, nova effecta est Congregatio Benedictina titulo *Annuntiationis B.M. Virginis.* Simul abbatia monialium S. Scholasticae de Maredret. a Congregatione Beuronensi separata, Abbati Primati subiciebatur (AAS., XII, 102) donec decreto S. C. *de Religiosis*, 14 iun. 1927, Belgicae Congregationi ascripta est eiusque Praesidi subiecta, firmo iure Ordinarii loci approbandi confessarios et invigilandi in clausuram.

Dicta valent quoque de provincia Societatis sine votis (c. 674).

559. - II. *In religionibus dioecesanis.* Quam diu religio in una dioecesi manet, eius divisio in potestate est Ordinarii territorii.

Erectio domus in alia dioecesi est res quae cum Ordinarium domus principis, tum Ordinarium loci ubi domus erigetur simul afficit. Quare utriusque consensus requiritur. Attamen cum utilis religionis diffusioni favendum sit, Ordinarius domus principis (qui nomine Ordinarii loci unde excedit, in c. **495**, § 1, designari videtur) consensum sine gravi causa denegare non potest.

Quaeres utrum consensus utriusque Ordinarii requiratur pro singulis domibus quae in altera dioecesi erigentur, an sufficiat eum pro prima habuisse. Pro singulis requiri affirmant PRÜMMER, *Man. I. C.* q. 181, SCHAFER, n. 82, nos ipsi in prioribus editionibus; negant autem BLAT, O. P. *De personis* n. 549; CREUSEN, *Religieux*, etc. n. 28. Priores allegant vocem plurali numero positam *domos* can. 495 § 1 ; alii contextum canonis loquentis de *commigrante, de excedente e loco*, et ius superius C. *Conditae*, I, n. IV quae mere vetat ne sine utriusque consensu *transgrediatur.* MAROTO, *Comm. pro religiosis* II. 325 not. 1 dubitare videtur. Dicemus de obligatione non constare : attendendum putamus ad domum unde assumuntur religiosi novae domus. Consensus habendus est Ordinarii domus unde religiosi migrant. Ac perinde dicendum arbitramur si de migratione in tertiam dioecesim agatur. Firma manent, ut liquet, iura Superioris generalis.

Domus princeps ea est ubi Superior generalis sedem suam habet. Constitutiones definire solent ubi domus ista exsistat et quo pacto mutari queat. Silentibus Constitutionibus, translatio in aliam dioecesim requirere videtur consensum Ordinarii loci qui domus istam possidet et Ordinarii loci quo transferenda sit. Si domus est Constitutionibus determinata, alio transferri nequit sine consensu omnium Ordinariorum in quorum territorio religio ista exsistit (Cf. c. 495. § 2).

Divisio vero *in provincias* eo modo fieri potest qui Constitutionibus definitur. Si nihil definiant, constitutio provinciarum ipsas leges religionis ita afficere videtur ut secundum c. 495, § 2, consensum omnium Ordinariorum in quorum territoriis sedes exsistant, necessarium dicamus.

III. DE ERECTIONE ET SUPPRESSIONE DOMUS

560. - I. Condicio generalis. Oportet ut, secundum prudentem aestimationem, congruae sodalium habitationi et sustentationi sit provisum (**c. 496**).

II. Licentia requisita. 1. *De ipsa domo religiosa.* Omissa distinctione domus formatae et non formatae, distinguendae sunt domus religiosae exemptae ; monasterium monialium ; domus religiosae in locis S. C. *De Prop. Fide* subiectis : pro his omnibus requiritur beneplacitum Sedis Apostolicae et consensus, in scriptis datus, Ordinarii loci (**c. 497**, § 1).

Pro aliis domibus religiosis, sufficit Ordinarii venia (c. 497, § 1). Erectio tamen domus noviciatus, in religione iuris Pontificii, licentiam Sedis Apostolicae postulat.

Sanctio omissarum licentiarum est iuridica nullitas erectionis, ita ut in tali domo nec religiosi localibus suis privilegiis fruantur, immo nec legitime habitare pergant. Seponimus hic adiuncta extraordinaria dispersionis, etc. Scriptura tamen non est licentiae condicio essentialis ; et, ut Pius IX litteris 26 oct. 1865 ad Arch. Parisiensem Darboy, expresse declaravit, satis est « ut episcopi consensus accedat post erectionem, quia ratihabitione potest confirmare ». — In locis subiectis Propagandae Fidei, distinguendae sunt domus religiosae et domus quae, pertinentes ad Vicariatum vel Praefecturam Apostolicam, potius quam domus religiosae, sunt domus quasi-episcopales vel quasi-paroeciales. Non omnis enim domus ubi religiosi habitant est religiosa, nisi ibi qua religiosi sedem habuerint. — Quando sola requiritur Ordinarii venia, scripta licentia canonibus non requiritur.

In Gallia et in Belgio, monasterium monialium quae vota simplicia emittunt sola auctoritate episcoporum per se, erigi poterat, dummodo aliunde, v. g. ex c. 632, de transitu ab uno ad aliud monasterium, nihil obstaret. Sed ius istud, quod declaratione 22 maii 1919 confirmatum erat, recens, decreto *Religiosae sanctimonialium*, 23 iun. 1923, abrogatum est, ita ut consensus Ordinariorum erectioni monasterii monialium non iam sufficere possit. Cf. *Per.* XII, 76, ss.

Denique legitime erectae manent, sine nova ratihabitione, domus regulares quae sine beneplacito apostolico erectae sunt in locis ubi, ante Codicem, de ista implenda condicione non constabat. Cf. Vermeersch, *De religiosis*, etc. 1, 109.

2. Erectio *scholae, hospitii* vel similis institutionis in domo *separata* a religiosa, specialem requirit Ordinarii loci licentiam scriptam, quae sufficit (c. 497, § 3).

Similis domus fuerit orphanotrophium, non vero villa seu grancia ad rusticandum.

3. **Conversio domus** in alios usus per se easdem sollemnitates exigit atque ipsa domus religiosae erectio. Excipe tamen si, salvis fundationis legibus, mere referatur ad internum regimen et disciplinam religiosam (c. 497, § 4).

Ita, sine nova licentia, noviciatui domus studiorum pro religiosis adici potest. Idem dicas de admissione *postulantium* in domum studiorum vel noviciatus. Quid de *schola* dicta *Apostolica*, ubi selecti adulescentes alantur qui spem dant vocationis religiosae ? Si non solis convictoribus constet, institutio scholae omnibus sollemnitatibus per se est obnoxia. Si soli admittantur convictores, qui sint quasi lato sensu postulantes nec domum paternam repetant, res dubitari potest. Ex modo tamen quo canon 497, § 4 postulat *per se* easdem sollemnitates ac pro erectione domus religiosae, beneplacitum Apostolicum et licentiam scriptam Ordinarii requiri arbitramur. Ordinarii enim interesse potest ut in tali loco huiusmodi institutum non exsistat. Ad collegium tamen convictorum, huiusmodi institutio sine nova licentia, in domo contigua, addi poterit.

561. - III. **Vis factae licentiae.** Facultas indefinite dari potest et iustis condicionibus circumscribi. Sic integrum est Ordinario ut a permissione excludat oratorium publicum. Salvis huiusmodi condicionibus, permissio constituendae domus secumfert *pro omnibus* religionibus facultatem pia opera exercendi religionis propria ; et, pro religionibus *clericalibus,* facultatem habendi ecclesiam vel publicum oratorium domui annexum et sacra ministeria exercendi (c. 497, § 2). Attamen ut in certo ac determinato loco oratorium istud aperiatur, licentia Ordinarii loci postulatur, ex c. 1162, ad quem c. 497 remittit. Satius itaque erit ut ante ipsam conventus erectionem de ista re convenerit.

562. - IV. **De domus suppressione.** Nulla facta distinctione domus formatae et non formatae, domus religiosa religionis exemptae sine beneplacito apostolico supprimi nequit ; domus Congregationis non exemptae sed iuris pontificii, supprimi potest a supremo Moderatore consentiente Ordinario loci ; domus Congregationis iuris dioecesani sola Ordinarii loci auctoritate, audito Congregationis moderatore, dummodo ne agatur de unica Congregationis domo ; et salvo recursu in suspensivo ad Sedem Apostolicam (**c. 498**).

Observes igitur Congregationi religiosae quae religiosam domum cum annexa schola in aliquo loco aperuit, integrum iam non esse ut vel domum vel scholam claudat, sed Ordinarii licentiam esse requisitam. Eadem condicio pro claudenda schola separata nullo canone expresse postulatur, nec proinde, salva diversa passione, necessaria demonstratur. Sed recursus ad Sedem Apostolicam semper patet omnibus.

Dissentiente autem Moderatore supremo ab Ordinario loci, domus Congregationis iuris pontificii non exemptae supprimi nequit sine licentia S. Sedis. Ipsi vero Ordinario loci deesse videtur, propter ius quaesitum religionis, potestas ut per se solus sive domum religiosam sive scholam vel hospitium separatum supprimat.

Dicta de domibus religiosis valent de domibus societatis quae, sine votis, vitam agit communem (c. 674).

563. - N. B. In isto titulo nulla fit derogatio privilegiis legitime acquisitis. Sed privilegium iuris antiqui, quod dicebatur *cannarum*, quia prohibebat ne alia monasteria intra certam distantiam, 140 cannis definitam, aedificarentur, iam antea, propter privilegia contraria et domos Congregationum quae isto privilegio stricte non impediebantur, parum erat in usu. (Canna fere aequivalet 2 m. 23.) Et necessarium beneplacitum Apostolicum, sicut cavet condicionibus prudenter requirendis, ita privilegia neglegere potest. Quare ad illud vix iam est attendendum. Antiquo iure, pro erectione domus regularis, plures personae erant audiendae. De his iam siletur. Ipsa rerum natura postulat ut aliorum incolumitati rationabiliter prospiciatur.

TITULUS X

DE RELIGIOSORUM REGIMINE

(cc. 499-537)

Scriptores : Piat, *Prael. iuris regularis*, Parte iv. — Augustine, O. S. B., *A commentary*, etc. in hos canones. — Bastien, O. S. B., *Directoire canonique*, 2 et 3. P. — Biederlack-Führich, *De religiosis*, c. 3. — Chelodi, *Ius de Personis*, n. 250-262. — Creusen, S. I. *Religieux et religieuses*, n. 38-135. — De Meester, *Iur. comp.* II, 944-981. — Fanfani, O. P., *De iure religiosorum*, n. 34-126. — Prümmer, O. P., *Manuale*, Q. 183-198. — Schafer, O. M. C., *Das Ordensrecht*, p. 64, ss. — *De religiosis ad normam iuris canonici*, n. 90-212.

564. - **Ordo materiae.** Titulus X Codicis tria capita complectitur : de regimine quasi fori exterioris (cc. 499-517) ; de confessariis et capellanis (cc. 518-537) ; de bonis temporalibus (cc. 530-537) ; — seu de administratione personarum exteriore et interiore, et de administratione oeconomica.

Caput I. - De Superioribus et de Capitulis

§ 1. QUINAM SINT SUPERIORES

Duplici hierarchiae subduntur religiosi, exteriori et interiori.

I. DE EXTERIORE HIERARCHIA

565. - Exterior hierarchia continet in primis Romanum Pontificem ; dein, pro recepta facultate, *Sacras Congregationes* ; et, quod ad religiones non exemptas, *episcopum seu quasi-episcopum*, qualem Abbatem *nullius* vel Vicarium Apostolicum.

Superioribus quadantenus accedit *Cardinalis Protector*.

566. - Romano Pontifici, tamquam supremo Superiori, religiosi oboedire debent etiam vi voti oboedientiae (c. **499**, § 1).

Potestas ista est, natura sua, iurisdictionis ; vi autem sua circumscribitur

rebus quae vel diserte vel tacite in religiosa professione promissae sunt (Cf. nostrum *De religiosis institutis et personis*, I, n. 388, AUGUSTINE, in h. c.).

567. - De Congregationibus Romanis, tacet ipse Codex. Aliunde tamen novimus, religiosos, qua tales, esse subiectos S. C. *de Religiosis*, quae proinde ipsum votum urgere seu vi voti oboedientiae praecipere potest.

Ceterae Congregationes, secluso mandato speciali, quale iam pro una alterave Congregatione obtinuit S. C. *de Propaganda Fide*, religiosis, *qua talibus*, non imperant, nec proinde vi *voti* oboedientiae quidpiam praecipiunt ; eosdem tamen alio titulo subditos habere possunt. Sic religiosi, quatenus dirigunt Universitates vel Facultates catholicas, subduntur S. C. *de Seminariis et Universitatibus studiorum* ; quatenus sunt missionarii, subduntur S. C. *de Propaganda Fide* ; et compositio de bonis ecclesiasticis, etiam quae ad religiosos pertinent, spectat ad S. C. *Concilii* (cc. 250. 252. 256).

568. - Ordinario loci quoque subduntur religiosi non exempti (c. **500**, § 1).

Verum hic religio iuris Pontificii a religione iuris dioecesani distinguenda est. Prioris religionis sodales, non qua religiosi sed qua clerici vel fideles Ordinario loci parere debent ; sodales posterioris religionis etiam qua religiosi eidem oboediunt. Quare votum oboedientiae in Congregatione dioecesana etiam episcopo fieri solet. Si votum ei non fiat, potestas episcopi non erit dominativa sed iurisdictionalis. Quae iurisdictio, salva positiva exceptione ab episcopo facta, etiam, ex c. 368, ad *Vicarium generalem* pertinere videtur, ita ut is quoque in virtute s. obedientiae religiosis dioecesanis praecepta dare *possit.*

Porro canon monet exemptionem religiosorum non esse completam, sed esse puncta in quibus ipsi exempti Ordinario loci parere debent.

Moniales aliae subsunt, ex praescripto constitutionum, Praelatis regularibus sui Ordinis, aliae non. Priores, quae Praelato sui Ordinis subduntur, Ordinario loci non subduntur nisi in casibus iure expressis. Posteriores vero vel pertinent ad monasterium exemptum vel non. Si pertinent ad monasterium exemptum, subduntur immediate S. Sedi, quae Ordinarium loci constituit Visitatorem istius monasterii (c. **512**). Quae ad monasterium non exemptum pertinent, Ordinariis locorum subduntur, etiam qua moniales.

Iam vero ex praesenti iure c. 615, sine indulto peculiari, exemptae non sunt ipsae Moniales stricte dictae quae Superioribus regularibus non subsint. Ipsum munus visitandi monasteria exempta officio Ordinariorum loci ita est ex iure annexum, ut non iam, sicut ante Codicem, ad delegatam sed ad ordinariam Ordinariorum loci potestatem pertinere videatur.

Religiosa autem mulierum Congregatio nequit, sine peculiari S. Sedis indulto, sub regimine vel spirituali cura et directione specialiter poni religionis virorum, sive haec Ordo sive Congregatio fuerit (c. 500, § 3), ita ut Sorores sint isti religioni subditae, ab ea solummodo confessarios obtinere possint, etc.

569. - Hodierno iure, Cardinalis Protector, quem S. Sedes plerisque religionibus (non tamen *Societati Iesu*) assignare solet, nullam, qua talis, iurisdictionem obtinet ; nec potest se interiori disciplinae et bonorum administrationi immiscere, «sed eius est tantummodo bonum religionis consilio et patrocinio promovere » (c. 499, § 2).

Id peculiares delegationes minime excludit. Assumitur quoque ut exsecutor rescriptorum quae laicali Congregationi conceduntur.

II. DE REGIMINE INTERIORE

570. - Regimen ordinarium religiosorum exercetur a Superioribus, sive solis, sive cum Consilio suo ; quaedam tamen potioris momenti acta Capitulis reservantur.

Suprema igitur potestas interior est penes Capitulum, quod, in Ordinibus proprie talibus, distinguitur in Capitulum *generale*, *provinciale*, et interdum *locale*, ita tamen ut non raro Capitulum provinciale omni potestate praeceptiva careat, et non possit nisi vota exprimere et delegatos ad Capitulum generale eligere.

Capitulum vero monasterii sui iuris erit simul locale et quasi-generale.

De tempore autem et modo convocandi Capitulum propriae religionis constitutiones adeundae sunt. Convocatio in sextum quemque annum pro normali haberi potest, praeter extraordinariam convocationem quam vacatio officii supremi necessariam fecerit.

571. - Superiores *proprie* sunt quotquot, ex munere commisso, dominativa saltem potestate personas regunt : qua significatione, praeter eum qui primum locum habet, Superior esse quoque solet qui, nomine Prioris, Supprioris, Ministri, secundo loco praeest in conventu. Magis restricte nomen convenit in eos solos quibus in *virtute oboedientiae* est parendum.

Praelati proprie sunt ii qui, vario nomine et gradu, iurisdictionem habent in utroque foro.

Officiales vero sunt omnes qui, aliquo titulo, regunt personas vel res. Interdum ii intelleguntur qui non sunt Superiores sed aliquam sibi commissam administrationem obtinent. Magis autem proprie, hodierno iure canonis 145, sunt ii soli qui munus occupant stabiliter constitutum et ad normam sacrorum canonum conferendum. Itaque tunc intellegendi sunt ipsi Superiores et praeterea consiliarii et oeconomi, ex c. 516.

Observes igitur assistentes seu consiliarios, quamvis ipsis quaedam praecedentia concedatur, non esse veros Superiores.

572. - Superiores distinguuntur *perpetui* vel *temporales* : in nulla

religione est perpetuitas Superioris qui non sit sui iuris ; — *infulati* vel *non infulati* : priores sunt Abbates vel Praelati perpetui, qui sollemni ritu benedici consueverunt ;— *ordinarii* vel *extraordinarii*, prout stabili funguntur munere vel peculiare mandatum exsequuntur : ita plerumque visitatores ; — *maiores* et *minores* : cf. n. 546.

Ordines et Congregationes recentiores et iam Canonici Lateranenses et Monachi Cistercienses, habere solent supremum Moderatorem (Generalem Praepositum, Magistrum generalem, Ministrum generalem ; Rectorem maiorem), Superiores immediatos et plerumque Provinciales. Apud ipsos Benedictinos nigros, Leo XIII introduxit *Abbatem Primatem* totius Ordinis, cui magistratus duodecim annorum committitur. Et quamvis monasteria sint sui iuris sub Abbate, Congregationibus monasticis praeest quidam Abbas seu Praelatus qui *Praesidis* vel, in Congregatione Cassinensi, *Generalis* nomen accipere solet.

Inter Superiores maiores etiam Abbas monasterii sui iuris locum habet. Quod perinde dicendum est de omni Superiore vel Superiorissa domus independentis. Ita communis sententia.

§ 2. QUANAM POTESTATE PRAESINT

573. - Omnes habent potestatem *dominativam* in subditos, ratione *professionis* ; qui autem, in religione clericali exempta sunt Superiores proprie dicti, habent praeterea *iurisdictionem* ecclesiasticam tam pro foro interno quam pro externo (**c. 501**, § 1).

Potestas esse potest ordinis *privati* vel ordinis *publici*.

Potestas ordinis privati vel est *simpliciter domestica*, quae habetur ad regendam domum et familiam ibi contentam, et competit capiti domus quantum necesse est ad ordinem domesticum tutandum ; vel *intenditur* usque ad quamdam generalem mancipationem personae, sive ex huius infirmitate, ut in filios non adultos, sive ex condicione servili, ut antiquitus in servos proprie tales, sive ex voluntaria deditione ut in religiosos.

Hi, post noviciatum, firmant votis, praecipue voto oboedientiae, subiectionem in rebus quae pertinent ad religiosam disciplinam. Haec est potestas *dominativa*, quae vi voti possidetur cum agitur de religiosis.

Potestas *publica* est iurisdictionis. Fontem habet divinam missionem collatam Petro et Apostolis ad regendam ipsam Ecclesiam.

Utraque potestas, privata et publica, ad condicionem personarum aptatur.

Itaque iurisdictio fori exterioris et qualitas Praelati non sunt abiudicandae a Superiore locali religionis clericalis exemptae, quamvis, ex c. 198, soli Superiores maiores veniant nomine *Ordinarii*. Contra tamen Oietti, in *Per.* XVII, 229*, ss.

Dicta valent tum de Superioribus singulis, tum de Capitulis. Propria iurisdictio in Capitulis religionis non clericalis aut non exemptae per se desideratur. Eorum iussiones fiunt tunc vi potestatis dominativae, nec sunt per se perpetuae sed usque ad proxime sequens Capitulum vim obtinere solent. Capitula vero religionum clericalium exemptorum saltem generalia, veras leges condere possunt et ipsas constitutiones mutare quae Apostolica auctoritate non sunt firmatae.

Quod ad *vim* seu ambitum « intensitatis », **c. 501**, § 3, sapienter monet Abbati Primati et Superiori Congregationis monasticae non omnem potestatem competere quae Superioribus maioribus per se tribuitur, sed proprias constitutiones et decreta peculiaria S. Sedis esse consulenda.

574. - Itaque, omissis modo Abbate Primate et Superiore Congregationis monasticae :

1. Vi *potestatis domesticae* possunt Superiores ea imperare quae ad ordinem domus servandum et firmandum spectant. Sed, cum agitur de religiosis subditis, potestas ista velut sorbetur potestate dominativa.

2. Vi *potestatis dominativae*, omnes Superiores proprie tales possunt : *a*) exsecutionem Constitutionum urgere etiam per ordinationes quae communitatem ex religione obligant ; — *b*) praecipere *in virtute oboedientiae* quaecumque ad religiosas spectant observantias ; — *c*) in foro quodam *domestico* recipere denuntiationem quae canonica dicitur et bonum domus vel Instituti persequitur ; — *d*) bona administrare conventus et temporales eius rationes curare ; — *e*) propter bonum Instituti, *votum* quodpiam peregrinationis, ieiunii cum subditis emittere de re quam praecipere possint. Voti tamen religione non tenebuntur nisi qui illud fecerint.

3. Vi *concessae facultatis* cum agitur de religiosis, etiam possunt omnes Superiores sacerdotes per se vel alios sacerdotes suae religionis, sacram supellectilem benedicere pro propriis ecclesiis et oratoriis et pro ecclesiis monialium sibi subiectarum (c. 1304, 5°).

4. Vi *potestatis iurisdictionis*, Praelati religiosi : *a*) leges quidem condere plerumque non possunt, ne Generales quidem, si Praepositum Generalem Societatis Iesu quadantenus excipias, qui ordinationes perpetuas promulgare potest ; *b*) habent potestatem iudiciariam quam inter suos religiosos definiunt constitutiones. Nisi constitutiones aliud statuerint, iudex primae instantiae inter religiosos *eiusdem religionis* est Superior provincialis, vel Abbas monasterii sui iuris ; inter duas provincias, supremus religionis Moderator ; inter duo monasteria, supremus Moderator Congregationis monasticae (c. 1579, § 1 et 2). Verum in causas *S. Officii*, v. g. cum agitur de abusu sacramenti poenitentiae, se intromittere non possunt (c. 501, § 2). — *c*) Habent potestatem coercitivam, qua praecepta sua poenis et censuris munire possunt et

delinquentibus poenas canonicas infligere, secundum constitutiones. — *d*) Habent potestatem dispensandi quae n. 163 explicata est, non exclusa maiore quam privilegia Ordinis tribuere possunt.

4. Superiores maiores religionis clericalis exemptae habent ius benedicendi proprias ecclesias et imponendi primum lapidem; reconciliandi etiam consecratam ecclesiam et approbandi, pro suis domibus, oratoria semi-publica (cc. 1156. 1163. 1176, § 2, et 1192).

Et pro negotiis ecclesiasticis suae religionis, possunt notarios constituere (c. 503).

Iidem Superiores dant litteras dimissorias pro ordinationibus suorum subditorum, quos etiam ordinare possunt, si ipsi charactere episcopali sint ornati, vel, quando agitur de prima tonsura et de ordinibus minoribus, sint Abbates regulares sacerdotio insigniti (c. 964).

575. - Quod ad extensionem, supremus religionis Moderator potestatem obtinet nullo territorio vel communitate circumscriptam: quam tamen secundum constitutiones exercere debet (c. 502); alii intra fines constitutionibus statutos. Res ita generaliter intelligenda est, ut localis Superior praesit suae communitati; Provincialis, communitatibus suae provinciae; provincia autem certis finibus geographicis definiatur, ita tamen, ut, propter varias rationes, extra illos fines communitates legitime constitui possint. Ambo simul conservant potestatem in subditos extra domum vel provinciam versantes; et quandam non raro acquirunt in religiosos alienae domus vel provinciae, cum hi in ipsorum quasi territorio versantur.

§ 3. SUPERIORUM RELIGIOSORUM CONSTITUTIO

I. REQUISITAE QUALITATES

576. - Praeter condiciones propriis constitutionibus impositas, c. 504, *ad ipsam validitatem nominationis*, exigit ut *Superiores maiores* eandem religionem a decem saltem annis, a prima professione computandis, professi sint; — ut sint ex legitimo matrimonio nati; — ut triginta annos compleverint; immo quadraginta, si de supremo religionis Moderatore aut de antistita in *monialium* monasterio agatur.

De Superioribus *localibus* nulla peculiaris condicio per ius commune ad praescripta constitutionum additur.

Oportet ut Superiores maiores in *eadem religione* sint a decem annis professi. Itaque anni professionis quos religiosus transiens ad aliam religionem in priore obtinuerit, nequeunt utiliter computari. Et qui post indultum saecularizationis iterum in suam religionem recipiatur, tantum a nova professione quam, post noviciatum, emittet, annos numerare poterit (c. 640). Verum plura monasteria, etiam diversae Congregationis monasticae, sunt eiusdem religionis. Quare, spectato

nostro canone, monachus alicuius monasterii in Abbatem alius monasterii cooptari potest. Cf. AUGUSTINE, in hunc canonem.

Etsi c. postulet nativitatem *ex legitimo matrimonio*, satis tamen est ut Superiores maiores sint per subsequens matrimonium *legitimati*. Canon enim 1117 filios sic legitimatos in omnibus aequiperat legitimis, « nisi aliud expresse cautum fuerit ». Iam vero, in duobus casibus ad quos nos remittit nota ad hunc canonem addita, idest, cum agitur de Cardinalibus et de episcopis (cc. 232 et 331), exceptio his verbis scribitur : « arcentur illegitimi, etiamsi per subsequens matrimonium fuerint legitimati ». Quae verba in c. 504 non leguntur, ita ut exceptio hic facta non censeatur. Sic quoque FANFANI, n. 34, SCHAFER, n. 115. Sanatum vero in radice matrimonium censetur a momento ad quod retrotrahitur legitimum fuisse. Cf. c. 1138, § 1.

II. AD QUODNAM TEMPUS CONSTITUI POSSINT

577. - Per se omnes Superiores sunt temporales. Aliud tamen constitutiones *de Superioribus maioribus* statuere possunt. Sic Abbates infulati sunt perpetui ; perpetuus est Superior generalis Societatis Iesu ; immo quaedam antistitae generales religiosarum v. g. *S. Cordis Iesu*, sunt ad vitam electae.

Superiores *minores locales* ne constituantur ultra triennium ; quo exacto, possunt ad idem munus assumi iterum, si constitutiones id ferant, sed non tertio immediate in eadem religiosa domo (c. 505).

Codex loquitur de localibus *minoribus*, claritatis gratia, ad excludendos illos qui simul locales sunt et Superioris maioris qualitatem habent ; minime autem ad excludendos (contra atque existimat R. P. AUGUSTINE) Superiores vere et mere locales quales Guardiani, etsi habeant iurisdictionem. Quamvis enim Praelati dici possint, et iurisdictionem quasi-episcopalem, in quibusdam rebus, participent, nihilominus Provincialibus assimilari nequeunt, sed ab iis probe distinguuntur. Cf. PIAT, *Praelectiones iuris regularis*, I, q. 623.

Verba « non possunt » secundum se ambiguae sunt significationis, cum aeque impedimentum dirimens et simplex vetitum exprimere queant. Cum agitur de accessu ad munus, potius id quod obstat valori indicare videntur. Nonne formula : « non possunt eligi » idem prima fronte sonat ac : « sunt ineligibiles » ? Deficiente tamen explicita mentione invaliditatis, potius vi can. 11, dixeris novam confirmationem Superioris localis ultra sex annos mere prohiberi. Sed, dum vetat ne *immediate*, ultra sex annos, eandem religiosam domum regant, Codex non exigit intervallum trium annorum. Unde si casu quodam novus Superior defecerit, v. g. post sex menses, nominatio antiqui Superioris localis non est per se prohibita. Cavendum tamen est a fraude qua mens Codicis eludatur.

Potestne, dum novus Superior exspectatur, domus regi ab antiquo Superiore, alio titulo, v. g. Vicarii seu Vice Superioris ?

Dummodo iterum sincere agatur, rem non putamus esse prohibitam. Cf. SCHAFER, n. 120, 3.

Fit demum in quibusdam adiunctis extraordinariis, utputa belli, ut Superior mutari non potuerit. Tunc, ex ipsa epikeia, lex cessabit, et valida ac licita fiet administratio Superioris ultra sex annos producta.

Quid, si Superiores non constituantur ad tempus, sed *ad nutum* Superioris maioris ? Ne lex eludatur, ii quoque erunt saltem post sex annos removendi, salvo indulto Apostolico. Ex ipsa declaratione 2-3 iun. 1918 (*Per.* IX, 149), lex de triennio servanda est etiam in iis Superioribus qui simul magnas scholas, hospitalia dirigunt ; et generalem exceptionem S. C. *de Religiosis* concedere noluit. Verum propter adiuncta peculiaria, dispensatio in casibus singulis non negabitur.

Lex tamen in eos solos Superiores cadit qui sunt proprie dicti Superiores locales. Ultra triennium ergo, nisi obstent constitutiones, institui poterunt *Supperiores*, *Ministri*, etc. Quare, si parva domus ita maiori coniungatur ut huius domus Superior vere sit etiam Rector minoris domus, cui praeficitur revera aliquis Minister (non refert si nomine Superioris vocetur), Minister iste non debebit post tres vel sex annos removeri. Quod etiam attendendum putamus in parvis conventibus Sororum : habentne veram Praepositam localem, an auctoritas Superiorissae manet penes illam quae domum principalem regit? Priore casu, non vero altero, c. 505 applicandus erit. Hodiernus tamen S. S. stilus non permittit talem Superiorissam ultra 9 annos officium in eadem domo immediate servare. Contra autem atque existimat R. P. AUGUSTINE, lege mutationis post triennium non tenentur Superiorissae quae unicam domum Congregationis dioecesanae regunt: non sunt minores locales. Excipe si constitutiones id ferant. Sic etiam BASTIEN, *Directoire canonique*, n. 538.

Perpetuitati Superiorum, etiam maiorum, praesertim apud Sorores, S. Sedes minime favet. Quare in novis constitutionibus perpetuitas ista vix unquam admittetur. Praeterea, ex mandato S. Pontificis, S. C. *de Religiosis* confirmavit *constitutiones* monialium quae, ex lege lata a GREGORIO XIII et a Codice non confirmata, triennialem habent electionem abbatissae. Ubi vero velint eligentes tertium servare suam Superiorissam generalem, oportet ut id fiat per veram postulationem, ac proinde propter graves causas S. Sedi patefaciendas (1). Facilius tamen dispensabitur cum agitur de monasteriis proprie dictis, ubi electio inter pauca membra communitatis peragenda est. Cf. litt. circ. S. C. *de Religiosis*, 9 mart. 1920, AAS, XII, 1920, 365. *Per*. X, p. 195. CREUSEN, *Documents du S. Siège*, 92.

Nullum ius per se competit Conditori vel Fundatrici religionis seu similis societatis, ut institutum diutius regant quam quilibet Superior generalis, secundum constitutiones ; sed indultum Pontificium interdum diuturniorem possessionem potestatis permittit Fundatori.

III. QUO MODO CONSTITUANTUR SUPERIORES RELIGIOSI

578. - In quolibet Instituto, omnes Superiores a *Summo Pontifice* designari possunt. — Nisi autem ipsae constitutiones ius istud *episcopo* tribuant, is nequit religioni dioecesanae praeficere Superiorem.

Ipsa enim C. *Conditae* statuit eius Antistitas esse a Sororibus eligendas. Antistitae istae solent eae solae esse quae in Congregatione supremae sunt. Integrum quidem efficit episcopo ut pro sua conscientia electionem ratam habeat vel rescindat, non autem ut ipse Antistitam constituat (1 pars, n. XI). Excipe si post tertium scrutinium, non repugnantibus constitutionibus, ex c. 108 tamquam praeses electionis paritatem dirimere velit.

Supremus Moderator per *electionem* capitularem designatur ; alii Superiores, interdum per electionem, ut apud Fratres Minores et Praedicatores (cum aliquo iure confirmationis penes Magistrum generalem), interdum a supremo Moderatore cum huius Consilio nominantur.

579. - De electione Superiorum maiorum Codex haec statuit :

1. *In religionibus virorum*, omnes et singuli e Capitulo iureiurando

(1) Nec, in recognoscendis constitutionibus, praesertim Sororum, S. Congregatio permittere iam solet ut mentio fiat de condicionibus quibus tertia nominatio obnoxia fit.

promittant, antequam ad Superiorum maiorum electionem deveniatur, se electuros quos, secundum Deum, eligendos esse existimaverint (c. 506, § 1).

2. Sive agatur de viris sive de mulieribus, caveant *omnes* a directa vel indirecta suffragiorum procuratione, tam pro seipsis quam pro aliis (c. 507, § 2).

Procuratio intellegenda est studiosa, qua quis quasi mandato accepto vel etiam sponte efficere conatur ut talis potius quam talis eligatur. Simplex interrogatio de meritis cuiusque et responsio secundum veritatem ; immo, simplex consilium roganti datum hoc canone non prohibetur. Utile, contra est, ut informationes prudenter quaeri et obtineri possint.

3. *Postulatio,* de qua n. 258, excluditur ut modus regularis : in casu tantum extraordinario admitti potest, dummodo in constitutionibus non prohibeatur (c. 507, § 3).

Ideo, in litteris circularibus 9 mart. 1920, S. C. *de Religiosis* voluit ut Ordinarii locorum, dum electionibus praesunt, « si quando certiores fiant capitulares in eandem personam ultra tempus a constitutionibus permissum suffragium esse laturas, inquirant de specialibus et gravibus causis quae postulationem exigere videantur, et moneant vocales Sedem Apostolicam difficilem omnino se praebere ad huiusmodi gratiam concedendam » (AAS, XII, 1920, 366 ; *Per.* X, 195).

4. Ceterum, in *electionibus* quae a Capitulis fiunt, servandum est ius commune, de quo in c. 160-182 agitur, et habentur explicationes n. 239-275. Ius istud anteponitur constitutionibus, nisi hae fuerint privilegiatae. Quatenus autem eidem iuri non repugnant, constitutiones ipsae observandae sunt (c. 507, § 1).

Ab electionibus quae a Capitulis fiunt distinguuntur *nominationes* per suffragia Consilii, de quo solae constitutiones vel c. 101 observanda sunt (cf. n. 194).

5. Attamen de electionibus apud *Sorores* vel *moniales*, haec speciatim caventur :

a) Quod ad *praesidem* : apud *moniales*, si subiectae sunt Ordinario loci, ipse, extra clausuram, ac proinde ad cancellos clausurae, comitiis eligendae Antistitae praeest, per se vel per delegatum ; si subiectae sunt Regularibus, Superior regularis iisdem comitiis praeest. Verum etiam tunc potest Ordinarius, « una cum Superiore regulari », « per se ipse vel per alium assistere, et, si assistat, praeesse » (c. 506, § 2). — *In mulierum Congregationibus* electioni Antistitae *generalis* praesidet, per se vel per alium, Ordinarius loci in quo electio peragitur. Ac si Congregatio est iuris dioecesani, idem Ordinarius potest, ut dictum est, pro conscientiae officio, peractam electionem confirmare vel rescindere (c. 506, § 4).

Observes, in nullo religionum genere tribui Ordinario loci ut ipse, Capitulum supplens, Antistitam nominet. Hoc quidem S. Pontifex potest ; non autem alius,

qui iura quaesita abolere nequit. In solis igitur casibus ubi, ex ipso iure, electio devolvitur ad Superiorem ecclesiasticum, potest Ordinarius loci Antistitam, etiam in Congregatione dioecesana, nominare. Casus autem sunt, ex c. 178, si electio intra praescriptum tempus peracta non fuerit, aut collegium iure eligendi privatum fuerit in poenam ; et, ex c. 181, § 2, si intra praescriptum tempus (octo dierum), postulatio missa non fuerit ad Superiorem qui possit ab impedimento dispensare.

Quaeritur quisnam praesit, quando moniales subiectae sunt Regularibus, et Ordinarius loci iure suo utatur assistendi *per alium* ? Quod in prima editione putabamus, authentico responso Pontif. Commissionis 24 nov. 1920 declaratum est : « Ordinarium loci praeesse, sive assistat per se ipse sive per alium » (*Per.* X, 250).

Ex iure communi, Ordinarius loci soli electioni Antistitae generalis praesidere debet. Ius tamen assistendi aliis electionibus potest eidem ex constitutionibus vel receptis usibus obtingere.

Praesens vero stilus S. Congregationis Ordinarium ab aliis electionibus moderandis excludit, quia, cum agatur de instituto iuris Pontificii, nihil in hac re possit nisi id quod Codice ipsi conceditur.

Observes autem Ordinarium electioni Antistitae supremae praeesse ex ipso officio suo, non iam ut Delegatum S. Sedis.

Denique, id observes, quamvis electionem Superiorissae generalis bene fieri, omnium Antistitum intersit in quorum territorio religiosae sedem habent, Ordinario loci in quo fit electio ius exclusivum assignatur confirmandi vel rescindendi electionem Superiorissae Congregationis iuris dioecesani, etiam si religio in plures dioeceses sit diffusa. Locus autem electionis, silentibus constitutionibus, a moderatrice generali cum consilio suo determinandus est. Cf. resp. S. C. *de Religiosis*, 2 iul. 1921 (AAS, XIII, 1921, 481 ; *Per.* X, 360).

Verum nec confirmatio nec rescissio pro lubitu fieri potest, sed « pro conscientiae officio », ita ut ad rescindendam electionem graves rationes exigantur, ex communi bono Instituti quaesitae.

Ius autem praesidis, post tertium scrutinium dirimendi paritatem aeque in Congregationes iuris pontificii et in Congregationes dioecesanas cadit, si ad solum Codicem (c. 101, § 1, 1°) attendamus.

Praefertur autem et Constitutionibus inseritur is alter modus finiendi electionem, ut post tria scrutinia, in quarto hae solae eligi possint quae duae (1) maiorem relative numerum suffragiorum obtinuerunt ; post quod scrutinium, paritas antiquitate professionis, dein aetatis dirimatur. Nec iam admitti consuevit devolutio electionis ad S. Sedem quae art. 233, *Normarum*, 1901, intra Europam fieri imperabatur.

b) Quod ad *scrutatores* in monasteriis *monialium*, Ordinarius loci, — ac perinde dicendum arbitramur de Superiore regulari, — secum adducit duos sacerdotes scrutatores, qui non possunt esse ipsarum monialium confessarii ordinarii (c. 506, § 2 et 3). Itaque derogatur c. 171 qui statuit ut ex gremio collegii eligantur, per secreta suffragia, « duo saltem scrutatores ».

Valetne ista dispositio de electione Antistitae generalis *in mulierum Congregationibus* ? Favet analogia iuris ; contrarium suadet notum principium quod

(1) Casus quo aequalia numero suffragia tribus vel pluribus data fuerint explicite praevideri non consuevit. Nostra sententia, sic dictum « ballotagio » seu reciprocatio tunc inter istas plures instituendum est.

exceptio a regula stricte est interpretanda; et, in ipso argumento praesenti, ius commune electionum dicitur observandum. Nec par est casus monialium, quae solent esse pauciores numero, ita ut magis timendum sit ne scrutatrices suffragiorum auctores detegant et revelent, dum in Congregationibus mulierum, saepe multae Capitulum constituunt. Quocirca, vi noti principii : exceptio confirmat regulam in casibus non exceptis, dicemus ita standum esse c. 171, ut ne constitutiones quidem aliud disponere possint. Itaque duae saltem Sorores, inter eas quae Capitulo intersunt, per secreta suffragia eligi debent, ut cum praeside suffragia numerent, inspiciant, palam faciant. Unde istud commodum consequetur, de veritate factae electionis nullum apud Sorores dubium moveri posse.

Sic assumptae scrutatrices observare debebunt c. 171, § 1, qui iubet ut scrutatores de collegio, una cum praeside, si et ipse de gremio collegii sit, « iusiurandum interponant de munere fideliter implendo ac de secreto servando circa acta in comitiis, etiam expleta electione ».

§ 4. SUPERIORUM OBLIGATIONES, OFFICIA ET IURA

580. - 1. *Professio fidei.* Hanc, ex c. 1406, § 1, 9°, coram Capitulo vel Superiore qui eos nominavit eorumve delegato, facere debent « Superiores in religionibus clericalibus ». Obligatio ergo ista Superiores religionum laicalium non attingit. Simul, ex decl. *S. Officii* 22 mart. 1918, abiurari debet modernismus.

Ex Motu proprio *Sacrorum antistitum*, 1 sept. 1910, dixeris abiurationem istam impositam esse omnium Congregationum moderatoribus (Cf. *Per.* V, p. 200) ; sed, ni fallimur, de solis Superioribus clericalibus obligatio intellecta est.

2. *Residentia.* Haec omnibus Superioribus servanda praecipitur in sua quisque domo. Non soli enim Superiores locales, verum etiam maiores, domum residentiae habitualis, ex constitutionum praescripto, habere solent. Legitima autem absentia non ex tempore computatur, sed ex causa et modo quae constitutionibus definiuntur. Itaque ad normam constitutionum, sed non aliter abesse possunt (c. **508**).

3. *Divulgatio et exsecutio decretorum S. Sedis* quae religiosos respiciunt. Omnes Superiores debent inter subditos suos notitiam et exsecutionem talium decretorum promovere.

Igitur, cum res clarae sunt, non est exspectandum donec Superior maior exsecutionem istam praescripserit. Excipe si exsecutio actionem communem postulet plurium Superiorum : tunc enim ipsa copia, saltem moraliter, deest Superiori locali ut decreta ista practice urgeat.

Atque observes non agi hic de *promulgatione* : haec enim ipsa relatione in AAS perficitur, sed de mera divulgatione.

4. *Lectio publica constitutionum et decretorum S. Sedis.* Saltem semel in anno, et statis quidem diebus, *constitutiones* propriae publice legendae sunt : v. g. ad mensam. Fit ut, pro integris constitutionibus, quae possunt esse valde amplae, legantur probata summaria earum constitutionum quae ad omnes spectant. Usus iste videtur servari posse, cum ad legis finem melius fortasse quam lectio completa convenire videatur.

Legenda quoque sunt, saltem semel in anno, statis diebus et publice, decreta « quae publice legenda Sancta Sedes *praescribet* ». Ipsum tempus futurum quo **c. 509**, § 2 utitur, demonstrat non agi de decretis quae antea legenda praecipiebantur, sed in quorum locum Codicis dispositiones suffectae sunt. Quare hactenus, a promulgato Codice, nullum decretum S. Sedis est singulis annis, ex iure communi, publice legendum.

Ante Codicem, in appendice ad constitutiones, pauca decreta : *Quemadmodum*, 17 dec. 1890 ; *Cum de sacramentalibus*, 3 feb. 1913, poni debebant. Haec, cum Codice suppleantur, iam auferenda sunt, et ex officio, in recognoscendis constitutionibus, expunguntur.

5. *Cura catechesis* et *piae exhortationis*. Facienda praecipitur, saltem bis in mense, instructio catechesis christianae, pro conversis et familiaribus, audientium condicioni accommodata (c. 509, § 2, 2°).

Familiares hic intellegendi videtur non omnes ad quos nomen aptatur, sed illi qui, ratione servitii, die ac nocte tecto religiosorum recipiuntur, et condicione sua tali instructione indigere solent. Aliter Creusen, *Religieux*, etc. n. 72.

Praeterea, etiam saltem bis in mense, *pia exhortatio* ad omnes de familia facienda est, praesertim in religionibus laicalibus (c. 509, § 2, 2°).

Pia exhortatio ab instructione catechetica distinguitur. Si tamen qui utramque tradit utramque apte coniungere possit et malit, id licere arbitramur, ita ut non debeat quater in mense familiares vel communitatem alloqui.

Veri simile non est, etiam si agatur de religione laicali, ut pia exhortatio iubeatur fieri communiter tam religiosis quam non religiosis. Quare, ex ipsa rerum natura, omnes *de familia* intellegendi videntur omnes qui ad *familiam religiosam*, saltem tamquam novicii pertinent. Aliter Creusen, l. c.

Ex ipsis canonis verbis, obligatio magis stricte in religionibus laicalibus quam in clericalibus sumenda est. Non ideo tamen prohibetur quaedam interruptio solita per ferias, dummodo moraliter dici queat exhortationes bis in mense haberi.

Ut per se patet, et verbis « firmo praescripto c. 565, § 2 » edicitur, exhortationes istae nihil minuunt obligationem specialis collationis hebdomadariae quae ad *novicios* conversos fieri praecipitur.

Cum ex canone 509, § 1, Superior *debeat* promovere notitiam et exsecutionem decretorum S. Sedis ; rursus autem, § 2 iubeatur *curare* ut legantur constitutiones, quaeres de propria vi utriusque vocabuli.

Verba *debent* et *curent* differunt tum obiecto, tum necessitate. *Obiecto*, nam *debent* terminatur ad ipsam rem efficiendam actione ipsius qui obligatur ; *curent* terminatur immediate ad *sollicitudinem* habendam de re quae, sive propria actione, sive etiam actione aliena efficienda est. Ita, Superior ipse non legit publice ; nec ipse catechismum tradere praecipitur. — *Necessitate* : *debent* sonat *absolute*, *curent* imponit diligentiam, quae, pro rei momento, gravior

vel levior esse potest. Qua praestita diligentia, Superior officio suo functus est, quamvis, propter aliorum socordiam vel aliam causam, non fiat quod faciendum curavit.

581. - Superiorum iura et officia. — Vox *obligationis* usum habet magis generalem ; dum, nomine *officiorum* eas obligationes appellamus quae cum munere adeo connectuntur ut ipsum quasi constituant. Sunt autem officia :

1. *Relatio quinquennalis*, vel etiam frequentior, si ita ferant constitutiones, quam, de statu religionis, Abbas primas, Superior Congregationis monasticae et Moderator supremus cuiusvis religionis iuris pontificii, ad S. Sedem, ex **c. 510**, mittere iubentur per documentum subsignatum a se cum suo Consilio et, si agatur de Congregatione mulierum, etiam ab Ordinario loci in quo suprema Antistita cum suo Consilio residet.

Quamvis canon frequentiorem relationem quam quinquennalem etiam supponat, solet tamen S. Congregatio *de Religiosis* hanc obligationem constitutionum temperare, ita ut quinquennalis sufficiat.

Ante Codicem, haec relatio ad S. Sedem solis institutis votorum simplicium imperabatur ; et regebatur instructione 16 iul. 1906, quae simul elenchum continebat quaestionum quibus erat respondendum (*Per.* II, 128, ss).

Nunc communis facta est obligatio Ordinum et Congregationum iuris Pontificii immo etiam Societatum quae sine votis vel cum votis privatis more religiosorum vivunt. Observes tamen non a singulis Abbatibus monasterii sui iuris, sed a solis Superioribus quasi generalibus Congregationis monasticae et ab Abbate Primate relationem istam faciendam esse.

Porro, decreto *Sancitum est*, 8 mart. 1922, S. C. *de Religiosis* (AAS, XIV, 1922, 161 ; *Per.* XI, 19) a 1 ianuarii 1923, quinquennia fixa et communia omnibus religionibus et similibus Societatibus praestituta sunt, ita ut viris, ex religionis forma, mulieribus vero, ex loco domus principis, annus in quo relatio mitti debeat, assignetur hoc modo : in primo anno (1923) relationem exhibere debent canonici regulares, monachi, Ordines militares, et religiosae ex Italia, Hispania et Lusitania ; in altero anno, mendicantes, et religiosae ex Gallia, Belgio, Hollandia, Anglia et Hibernia ; in tertio anno, clerici regulares, et religiosae ex reliquis Europae regionibus ; in quarto anno, Congregationes votorum simplicium tam clericales quam laicales et religiosae ex utriusque Americae partibus ; in quinto anno, Societates virorum et mulierum sine votis vel cum votis privatis more religiosorum viventium, et religiosae ex aliis orbis partibus. Quae autem Congregationes relationem iam exhibuerant intra quinque annos praecedentes annum in quo eam intra 1923-1927 mittere debebant, exemptae sunt ab ea iterum mittenda intra istud primum quinquennium.

Decreto autem annectitur novus elenchus quaestionum secundum quem relatio conficienda est.

2. *Visitatio canonica* (**c. 511-513**). Haec incumbit in primis *maioribus religionum Superioribus*, secundum constitutiones. Eam per se facere debent, ita tamen ut impediti alium sibi sufficere queant.

Praeterea visitatio saltem partialis, quinto quoque anno per ipsum

vel per delegatum facienda, pertinet etiam ad provinciam *Ordinarii loci*, secundum has distinctiones : 1° est unicus visitator, cum omni visitatoris potestate, pro monasteriis *monialium* quae sibi vel Sedi Apostolicae immediate subiecta sunt ; et pro singulis domibus sive virorum sive mulierum *Congregationis iuris dioecesani* ; — 2° concurrit cum Superiore regulari pro monasteriis monialium quae regularibus etiam exemptis (1) subduntur. Hic tamen ea sola visitare potest quae spectant ad clausurae legem, nisi Superior regularis visitationem a quinque annis omiserit : tunc enim visitationem completam facere debet ; — 3° singulas domos Congregationis *clericalis* etiam *exemptae*, visitat Ordinarius loci, in iis quae pertinent ad ecclesiam, sacrarium (sacristiam), oratorium publicum, sedem ad sacramentum paenitentiae, ita ut exemptae Congregationes a non exemptis, sub hoc respectu, non distinguantur, dum omnes distinguuntur ab *Ordinibus religiosis*, qui ab Ordinario loci nullatenus visitantur ; — 4° singulas domos *Congregationis laicalis iuris pontificii*, non solum in rebus modo dictis, sed etiam in aliis visitat quae ad internam disciplinam spectant, ad normam c. 618, § 2, n. 2. Idest : « num disciplina ad constitutionum normam vigeat, num quid sana doctrina morumve probitas detrimenti ceperit, num contra clausuram peccatum sit, num sacramenta aequa stataque frequentia suscipiantur ; et, si Superiores de gravibus forte abusibus admoniti opportune non providerint, ipse per se consulat ; si qua tamen maioris momenti occurrant, quae moram non patiantur, decernat statim ; decretum vero ad S. Sedem deferat ». Cf. praeterea ius Ordinariis in omnes religiosos concessum c. 1261, § 2.

Moniales Belgii et Galliae, quarum centenaria dependentia ab Ordinariis locorum resolutione 22 maii 1919 (AAS, XI, 240 ; *Per.* X, 69) confirmata est, recentiore decreto *Religiosae Sanctimonialium*, 23 iun. 1923 (AAS, XV, 357 ; *Per.* XII, 76) condicionem iuridicam recuperarunt monialium quae Superioribus regularibus non sunt subiectae. Excipitur monasterium monialium Benedictinarum de Maredret, in Belgio, quod decreto S. C. *de Religiosis* 14 iun. 1927 incorporatum est inter Monasteria Congregationis Belgicae eiusque Praesidi subiectum. Qui vero Superiores regulares monasteria monialium Belgii vel Galliae visitant, id facere censentur vi delegationis ab Ordinario loci acceptae.

Efficaciae visitationis canonicae canon **513** prospicit : 1. iure et officio quod confert et imponit Visitatori « interrogandi religiosos quos oportere iudicaverit et cognoscendi de iis quae ad visitationem spectant », addita obligatione qua omnes religiosi tenentur respondere secundum veritatem, et prohibitione facta Superioribus ne quoquo modo subditos ab hac obligatione avertant, aut visitationis scopum aliter impediant ; — 2. facultate tacite concessa ferendi decreta op-

(1) Cf. *Comm. I. C.*, 24 nov. 1920, *de Religiosis*, ad II. ASS. XII, 1920, 575. — *Per.* X, 250.

portuna, a quibus non datur recursus nisi in devolutivo. Excipe si Visitator, iurisdictione praeditus, ordine iudiciario processerit.

Haec visitationis praesidia tam visitationem propriorum Superiorum quam visitationem Ordinarii loci vel eius delegati muniunt.

3. *Bonorum temporalium administratio*, secundum praescripta de quibus infra agitur, n. 604 et ss.

582. - 4. *Officia pastoralia.* « In omni religione clericali, exempta vel non exempta, ius et officium Superioribus est per se vel per alium aegrotis professis, noviciis, aliisve in religiosa domo diu noctuque degentibus causa famulatus aut educationis aut hospitii aut infirmae valetudinis, Eucharisticum Viaticum et extremam unctionem ministrandi » (c. 514, § 1).

Hac dispositione finis imponitur non paucis controversiis de familiaritate requisita ut sacramenta quasi parochialia a Superiore religioso ministrari possint. Et quod de solis Superioribus religionis clericalis exemptae admittebatur, iam ad omnes religiones clericales traducitur. Quaeri tantum potest utrum Superior isto suo iure uti possit erga illos quos per unum tantum diem hospitio recipit, an habitualis commoratio in claustris requiratur ? Ac, sicut opinantur quoque R. P. Fanfani, op. c. 93 et R. P. Augustine, in hunc canonem, satis esse ducimus ut per unum diem integrum in religiosa domo re vera manserint aut saltem cum intentione permanendi in conventu saltem per unum integrum diem ingressi et recepti fuerint. Verba enim canonis in ipsos cadunt : diu ac noctu, ratione hospitii aut infirmae valetudinis in religiosa domo degunt ; ratio legis suam vim de illis servat : ne parochus quasi in territorio non suo functiones suas exercere cogatur, quod mirum fuerit ; demum hospites qui concesso oratorio privato uti possunt ad satisfaciendum praecepto missae dominicalis, intelleguntur ii quoque qui ad unum diem apud indultarium recipiuntur (Cf. Many, *De locis sacris*, n. 91).

Observes autem requiri ut *in religiosa domo* diu noctuque degant. *Religiosa domus* non est schola in loco separato a conventu erecta ; nec praedium rusticum ubi unus degat religiosus rei oeconomicae curandae gratia, idest, grancia proprie talis ; nec mera villa quo tendunt religiosi rusticatum. Sic Augustine, in hunc canonem.

Superior tamen ius suum etiam extra domum, v. gr. in nosocomio exercere potest.

« In monialium domo idem ius et officium habet ordinarius confessarius vel qui eius vices gerit » (c. 514, § 2).

« In alia religione laicali, hoc ius et officium spectat ad parochum loci vel ad cappellanum quem Ordinarius parocho suffecerit ad normam c. 464, § 2 » (c. 514, § 3).

Canone 464, § 2 permittitur episcopus ob iustam et gravem causam familias religiosas et pias domos a cura parochi subducere.

Dispositio ista non tollit privilegia quibus religio laicalis, v. g. Ordo S. Joannis de Deo, exemptionem et proprios cappellanos obtinere potest.

Idem canon reservat quaestionem de funeribus, quae in c. 1221 et 1230, § 5 tractabitur.

583. - *Peculiaris prohibitio titulorum.* — Alienum a vanis honoribus animum religiosi colere debent. Quocirca prohibentur in religio-

nibus tituli mere honorifici dignitatum et officiorum ; et soli, si id permittant constitutiones, tolerantur tituli officiorum maiorum quibus religiosi re vera functi sint (c. 515).

Ex iure communi igitur excluduntur Abbates mere titulares seu qui titulum ferant abbatiae non iam exstantis ; rectores, parochi honorarii ; Provinciales, Generales honorarii, nisi in *eadem religione* revera fuerint Provinciales vel Generales, et constitutiones id sinant. Officium assistentis seu definitoris generalis aut provincialis, inter officia maiora computari quoque potest.

Ex iure communi, inquam ; subsistunt enim privilegia quibus v. g. abbatiae exstinctae in titulum conferuntur.

Non prohibentur tituli consueti dari episcopis et aliis praelatis, nam non sunt mere honorifici ; nec tituli doctoris, magistri theologiae, nec insignia honorifica, namque non sunt tituli honorifici dignitatum vel officiorum.

§ 5. DE SUPERIORUM ADIUTORIBUS

584. - 1. Superiori generali et Moderatori monasticae Congregationis ; Superiori Provinciali ; et etiam Superiori locali domus saltem formatae, adesse debent consiliarii seu assistentes, quorum consensum aut consilium exquirant ad normam constitutionum et sacrorum canonum (c. 516, § 1).

Nec de numero consiliariorum nec de ratione qua institui debent aliquid in Codice definitur.

Consiliarii generales eodem Capitulo quo ipse Generalis eligi consueverunt : qui modus rei naturae omnino consentaneus est. Alii consiliarii vel simili ratione vel a Superiore maiore, sive solo sive requisito voto proprii Consilii, constituuntur. Numerus assistentium generalium ad numerum circumscriptionum quas procurant exigi potest vel statui semper idem. Sic, in instructione *Inter ea*, 30 iul. 1909, n. V (*Per*. V, 13), S. C. *de Religiosis* voluit ut in Institutis quae consiliariis carebant, quattuor constituerentur in monasteriis vel domibus quae saltem duodecim electores habent, et duo, ad minus, in aliis. Notandum tamen est in decreto isto agi de consiliariis qui ad finem invigilandi in temporalem administrationem constituantur.

Porro, ex communi Codicis iure, *consensus* consiliariorum potissimum requiritur : 1o pro admissione ad primam professionem temporaneam (c. 575, § 2) ; — 2o pro nominatione oeconomorum, nisi constitutiones alium modum indicent (c. 516, § 4) ; — 3o pro dimissione religiosorum professorum (cc. 647, § 1 et 650, § 1) ; — 4o pro alienatione bonorum (c. 534, § 1).

De *modo deliberandi* diximus supra, n. 194, 2.

Saltem cum votum Consilii est deliberativum, servandae sunt regulae quae de Capituli deliberationibus positae sunt. Cf. Fanfani, in altera editione, n. 68.

585. - 2. Pro administratione bonorum temporalium constitui debent oeconomi : *generalis*, qui religionis universae ; *provincialis*, qui provinciae ; *localis* qui singularum domorum bona administret ; qui omnes officio suo fungantur sub directione Superioris. Praeterea, ipse Superior non potest munus gerere oeconomi generalis vel provincialis ; « munus

vero oeconomi localis, quamvis melius a munere Superioris distinguatur, componi tamen cum eo potest, si necessitas id exigat » (c. **516**, § 2 et 3).

Observes, ex c. 516, § 2, directionem administrationis *Superiori* addici, cuius proin oeconomus est administer necessarius ; nec oeconomum a Consilio sed a Superiore dirigi, quamvis Consilio rationes reddantur. — Superior qui oeconomus provincialis esse vetatur, est ipse Superior provincialis. Tolerari ergo poterit, si a neutro munere impediatur, ut idem sit Superior localis et oeconomus generalis vel provincialis, dummodo ne sit simul consultor provincialis vel generalis. A mente tamen legis id alienum videtur.

586. - 3. Cuivis religioni *virorum* iuris pontificii imponitur quoque **procurator generalis**, qui, secundum constitutiones designatus, negotia propriae religionis apud S. Sedem pertractet (c. **517**, § 1). Procurator iste amoveri vetatur, inconsulta S. Sede, antequam tempus, in Constitutionibus praescriptum, exspiret (c. 517, § 2).

Ante Codicem, soli *Ordines regulares* talem procuratorem habere debebant ; qui in Urbe residere cogebatur. Codex residentiam istam non requisivit, dum obligationem ad omnes religiones virorum iuris pontificii traduxit. Nihilo minus S. C. *de Religiosis*, monito 4 iun. 1920 (AAS, XII, 1920, 301 ; *Per.* X, 197) declaravit oportere ut Procurator generalis residentiam suam habitualem in Urbe habeat. Quod valde utile est religionibus amplis quae multa negotia apud S. Sedem tractanda habent. Verum res difficilior fit pro religionibus minus diffusis quae nullam domum communem in Urbe possident. Si enim pauca sunt negotia tractanda, quid faciet in Urbe ille Procurator solus ? Nec modici sumptus ideo erunt ferendi. Verum, ubi casus ita se habeat, S. Congregatio a lege residentiae dispensabit, ut iam non semel fecit.

Amotio procuratoris, si fiat inconsulta S. Sede, valida tamen est, cum clausula nullitatis non sit apposita.

Quaeres, quid, si constituatur ad nutum Superioris ? Existimabat R. P. FANFANI, in priore ed. n. 42, op. c., etiam tunc S. Sedem de eius remotione consulendam esse. Quod non videtur. Ei qui ad nutum constituitur, tempus moraliter exspirare existimatur quando a Superiore removetur. Quare R. P. nobis consentit in altera ed. n. 69.

Caput II. - De confessariis et cappellanis

587. - **Ordo dicendi.** — Explicato regimine exteriore, legislator ecclesiasticus se convertit ad res fori interioris ; et quidem ita ut agat, cc. 518-528, de foro *sacramentali* ; c. 529, de *reliquo ministerio* pastorali ; c. 530, de manifestatione *conscientiae*.

Art. I. - De foro sacramentali

Distinguendae sunt religiones *clericales*, quarum regimen cc. 518. 519 proponitur, et religiones laicales, quibus destinantur cc. 520-528. Ex his canonibus, octo priores (520-527) de confessariis *religiosarum* ; c. 528 de confessariis *religiosorum virorum* laicorum agunt.

§ 1. DE FORO SACRAMENTALI IN RELIGIONIBUS CLERICALIBUS

588. - *Summa* haec est :

1. Plures, in singulis domibus, deputandi sunt *confessarii*. Quot numero ? Tot quot sodalium numerus postulat. Oportet autem ut singuli religiosi optionem inter plures obtineant. Itaque non possit Superior plures constituere confessarios ea ratione ut variis partibus communitatis unus solus sit assignatus. Ac patet similem copiam optandi dari debere *familiaribus*, qui ceterum maiore libertate fruuntur.

2. Confirmantur constitutiones quae confessionem statis temporibus *praecipiunt* vel *suadent* apud determinatos confessarios faciendam.

Qua obligatione ? Ipsa obligatione constitutionum, quae rem praecipere vel mere suadere possunt. Attento tamen temperamento statim addito, praeceptum istud nequit esse grave.

Ipsa sollicitudo quam de bono spirituali subditorum gerunt movit Superiores ut, designando selectos confessarios, subditos a temerario aditu virorum minus prudentium arcerent. Non omnis sacerdos enim est prudens confessarius, neque omnis confessarius est idoneus religiosis bene moderandis.

3. « Si religiosus, etiam exemptus, ad suae conscientiae quietem confessarium adeat ab Ordinario loci approbatum, etsi inter designatos non recensitum, confessio, revocato quolibet contrario privilegio, valida et licita est » (c. 519).

Si adeat : intellege, licito modo, secundum regulas. Ius enim religioso non confertur, ut quolibet modo adeat ; sed oblata occasione, intra vel extra conventum, uti potest. Quare, neque *exigere* potest, ut Superior alium advocet, neque ipse, ad adeundum confessarium, alia ratione e conventu exire potest ac per regulas et constitutiones egressus permittitur. Pro vario casu expediet vel non ut Superior egressum concedat vel, secundum regulas, neget.

Ad suae conscientiae quietem. Condicio ista satis impletur ut valeat confessio, quotiescumque religiosus vult serio confiteri.

Omnis confessio serio facta est *valida*, quia, aliquo vero sensu, omnis confessio seria tendit ad conscientiae quietem ; et seria confessarii electio ad maiorem conscientiae quietem dirigitur ; ac praeterea, rationabilis mens legislatoris, qui quietem promovere studuit, esse debet ut condicio ista, de re intima, nullam scrupulorum ansam praebeat.

Eadem confessio quoque *licita* declaratur. Quomodo licentia ista componitur cum verbis quae firmas volunt constitutiones quibus confessio post stata intervalla praecipitur determinatis confessariis facienda ? Hac, ni fallimur ratione, quod aditus ad istum confessarium fortuitum seu occasionalem, non dispensat a confessione facienda statis temporibus ad normam Constitutionum. Id tamen non nimis urgere velimus. Nec improbabiliter dicturum eum esse arbitramur qui existimaric accidentales exceptiones esse tunc tacite permissas. Sed canon 519 minime supponit confessarium istum, quem religiosus arbitrio suo adeat, converti in specialem ordinarium istius religiosi.

4. *Noviciis* potest *unicus* designari confessarius ordinarius, qui nequit

esse magister noviciorum vel eius socius (c. 891), vel Superior domus, attento c. 518, § 2. — Confessarius iste ordinarius in ipsa noviciatus domo commorari debet. Alii praeterea designandi sunt, quos novicius, in casibus particularibus, libere adire possit. — Quater saltem in anno, extraordinarius confessarius constituendus est ad quem omnes novicii accedere debent, saltem benedictionem eius accepturi.—Demum, non minus quam ceteris, integrum est noviciis adire quemlibet confessarium ab Ordinario loci approbatum.

5. Confessarii a Superiore religionis exemptae constituti, debent habituali potestate muniri absolvendi etiam a casibus in religione reservatis (c. 518, § 1). Confessarius vero ab Ordinario loci approbatus, quem adeat religiosus, habet ex ipso iure facultatem absolvendi a peccatis et a censuris in religione reservatis (c. 519).

Illud igitur interest inter utrumque genus confessariorum, ut priores, a Superiore religioso constituti, non habeant, ipso iure, eam potestatem in reservata quam c. 519 posterioribus tribuit.

Ne tamen mira sit discrepantia, potestas absolvendi a casibus reservatis, de qua in c. 518, complectitur potestatem absolvendi a peccatis et a censuris reservatis, de qua c. 519. Is, magis explicite, prior brevius idem significant.

6. Superiores religiosi, nec per se nec per alium, aliquem subditum inducere possunt, ut peccata apud se confiteatur (c. 518, § 3). Subditos tamen absolvere possunt qui sponte et motu proprio eorum ministerium postulaverint. « At, sine gravi causa id per modum habitus ne agant » (c. 518, § 2).

Possitne Superior renuntiari *confessarius ordinarius* in domo propria ? Quaestio utiliter non ponitur nisi de eo solo Superiore qui per se non habet iam iurisdictionem : utputa de ministro vel suppriore.

Regulariter talis renuntiari non potest ; sed gravis causa, puta penuriam virorum idoneorum, id licitum reddere potest, dummodo omnimodae libertati subditorum sit cautum.

Subditi, de quibus hic agitur, sunt quotquot c. 514 numerantur. Itaque alumni convictores (extra ferias) non autem alumni externi hoc nomine veniunt. Immo, ex c. 891, severior sonat prohibitio audiendi in confessione alumnos convictores : Superiores eorum confessarii habituales esse non possunt.

7. Ut ex aliis canonibus satis colligitur, et expresse dicitur cc. 874. 875, iurisdictio ad audiendas confessiones personarum de quibus in c. 514 semper ab Ordinario loci conferri potest ; in religione exempta confertur quoque ab iis Superioribus quos constitutiones designant.

Porro collata a Superiore religioso iurisdictio, contra ac iurisdictio quae ab Ordinario loci proficiscitur, reservationibus Ordinarii loci non afficitur.

8. Ex c. 239, § 1, 1° *Cardinales* semper expeditam habent iurisdictionem, in omnes religiosos, quantumvis exemptos, cum ampla potestate in reservatos casus. Cf. n. 597.

§ 2. DE FORO SACRAMENTALI IN RELIGIONIBUS MULIERUM

589. - Quamvis canones nondum monialibus et Sororibus tribuant liberam istam optionem confessariorum quae, post Conc. Tridentinum, primo saecularibus, dein religiosis viris est tributa, benigniores tamen normas quas, non sine gravi consilio, Pius X, et quidem, ut accepimus, ex propria animi persuasione induxit, atque ipse usus cotidianae communionis postulare videtur, Codex non tantum confirmat sed etiam aliquantisper ampliat.

Porro, cum religiosis mulieribus adesse possint confessarii *ordinarii, extraordinarii, speciales, supplementares, fortuiti* seu « *occasionales* », et maior optio linquatur Sororibus graviter *aegrotantibus*, primo de variis confessariis, dein de Sororibus vel monialibus aegrotantibus, ordine dicendum videtur.

590. - I. De confessario ordinario. 1. Confirmatur pro omnibus religiosis mulieribus principium quod, attento iure communi, diu proprium fuit monialium, secundum quod, singulis religiosarum domibus unicus confessarius ordinarius assignandus est (c. 520, § 1).

Pluralitas tamen confessariorum admittitur propter religiosarum numerum vel aliam iustam causam (c. 520, § 1).

Alia iusta causa nobis adesse videtur, si, propter adiuncta, nequeat loci Ordinarius confessarium ordinarium, post stata intervalla, mutare. Si vero propter maiorem numerum religiosarum plures constituantur confessarii ordinarii, nihil prohibet episcopum quin inter plures istos communitatem dividat, ita ut singulis partibus unus tantum sit ordinarius.

Ante Codicem, responso tamen non promulgato, quod S. C. *de Religiosis*, 3 iul. 1916 ad Ep. Linciensem ad III misit, declarabatur obligationem non adesse nominandi confessarium ordinarium pro communitate quae sex saltem sorores non contineret. Post Codicem tamen *S. C. de Religiosis* v. g. 10 ian. 1920, 18 ian. 1921, iussit etiam pro parvis domibus servare can. 520 de dando singulis unum confessarium ordinarium. Sed canon iste confessarios supponit qui in ipsa Sororum domo confessiones excipiant. Quare si sinantur adire ecclesiam ut ibi more saecularium confiteantur, confessarius nominandus non videtur. Quod ruri hoc commodum affert ut vitari possit nominatio parochi, qui propter scholas vel Congregationes aliqua externa auctoritate praeditus est (Cf. *Archiv f. K. KR.*, 97. 85-88 ; 100, 47 ; 101, 61).

2. Confessarius ordinarius ex *utroque clero*, — supposita, pro confessario religioso, Superiorum licentia, — eligi potest ; *quadraginta* annos natus esse debet « nisi iusta causa, iudicio Ordinarii aliud exigat » ; *neque ullam potestatem* in easdem religiosas, in foro *externo*, habere potest (c. 524, § 1).

Quare munus confessarii ordinarii non est committendum Vicario generali vel illi sacerdoti cui aliqua potestas tribuitur moderandi Sorores, v. g. qua magistras scholarum, praefectas hospitii.

Haec ratio iam suadet ne, in locis ubi duae vel tres Sorores puellas instituunt,

parochus formaliter renuntietur confessarius ordinarius istarum Sororum. Etsi enim non sit stricte earum Superior, magna tamen auctoritate in scholam catholicam praeditus est, et faciles conflictus inter ipsum et Superiorissam oriri possunt. Satius duxerim, nisi alius aptior designari possit, ut Ordinarius nullum nominet confessarium ordinarium et simpliciter sinat ut Sorores libere, in ecclesia parochiali vel alia, confessarium quempiam adeant. Ordinario tamen, cui iustae causae esse possunt rem aliter ordinandi, parendum erit.

Omni autem confessario, tam ordinario quam extraordinario, commendatur c. 524, § 3, ne ullo modo se externo regimini communitatis immisceat.

3. *Iurisdictio* ab Ordinario loci proficiscitur. Si tamen domus subiecta sit Superiori regulari, is confessarios Ordinario praesentat. Neglegentem autem Superiorem Ordinarius supplet (c. 525), nominando sine praesentatione.

4. Per se munus confessarii ordinarii religiosarum *in triennium* confertur. Penuria tamen confessariorum vel votum maioris religiosarum partis, iustam dant causam ob quam possit Ordinarius confessarium ad secundum immo ad tertium triennium confirmare. Votum autem religiosarum exprimi debet per secreta suffragia etiam earum professarum quae in aliis negotiis voce activa carent, utputa conversarum. Si suffragium non fuerit unanime, aliter providendum est dissentientibus, si velint (c. 526).

Praeterea confessarius ordinarius non potest renuntiari extraordinarius immediate; nec, praeter casus modo recensitos ex. c. 526, iterum in eadem communitate deputari ordinarius nisi post annum ab expleto munere (c. 524, § 2).

Lex illa de mutatione post triennium non afficit confessarios ordinarios religiosorum, cum hi perpetuo maiorem optionem habeant; nec confessarios noviciarum, si quem proprium obtineant, cum noviciae, post unum vel alterum annum discessurae sint, ita ut numquam sit, pro iisdem personis, ultra tres annos constitutus.

Si confessarius confirmandus videatur ultra tertium triennium, S. Sedes adeunda est. Haec interdum episcopos dispensat a lege variandi confessarios. Ita indulto 2 sept. 1913 episcopi Belgii ad quinquennium obtinuerunt ut confessarios ordinarios Sororum possent, pro tempore sibi beneviso et sine suffragatione sororum, in munere confirmare (Cf. *Per.* VII, 269). Verum in ipso supplici libello episcopi oratores hanc clausulam posuerunt : « servatis de cetero omnibus dispositionibus ad conscientiarum libertatem salvandam ».

Postea communem instantiam fecisse non videntur, sed petitione separata, v. g. Episcopus Brugensis 22 sept. 1922, Tornacensis, 23 nov. 1922 obtinuerunt ad quinquennium facultatem confirmandi ultra tertium triennium Confessarium ordinarium sed observato c. 526, ac proin addita suffragatione Sororum, etc.

Sorores ergo quibus stabilitas confessarii minus accepta est, specialem confessarium facile obtinere debebunt secundum c. 526.

591. - II. De confessario extraordinario. 1. Omni communitati religiosarum dandus quoque est confessarius *extraordinarius*, eadem aetate et qualitatibus quibus ordinarius praeditus; qui, quater saltem in anno, ad domum religiosam accedat, et cui omnes religiosae se sistere debeant, saltem benedictionem recepturae (c. 521 et 524, § 1).

Ipse modus quo canon scriptus est demonstrat e mente esse legislatoris ut unus idemque sit sacerdos qui tamquam extraordinarium se offerat saltem quater in anno. Accedit ratio ut Sorores possint, si malint, ab extraordinario dirigi in spiritu ratione satis stabili et continua. Loca tamen sunt ubi, deficientibus personis idoneis, Ordinarius loci aliter rem ordinare cogatur, et modo hunc modo illum sacerdotem mittat ad confessiones tamquam extraordinarius recipiendas.

Nec legi repugnare videtur ut semel in anno, ut puta per exercitia spiritualia, sacerdos qui exercitia tradit confessiones tamquam extraordinarius excipiat.

Ut autem ultra quattuor vices extraordinarius accedat, *qua talis*, opus est auctoritate Ordinarii, ad quem spectat frequentiam maiorem definire. Quotiescumque autem munus suum extraordinarii confessarii explet, omnes religiosae ipsi se sistere debent.

2. Nihil prohibet quin confessarius extraordinarius immediate ut ordinarius eiusdem communitatis renuntietur (c. 524, § 2); nec ipse post triennium est mutandus.

A prudenti zelo Ordinarii loci exspectandum est ut caveat ne per nimis multos annos, Sorores habitualem copiam non habeant nisi duorum sacerdotum, ita ut, excepto intervallo nunc ipsa lege praecepto, videantur inter se munus confessarii ordinarii et extraordinarii quasi commutare. Id dicimus, nisi eximiae confessariorum dotes efficiant ut ipsa stabilitas personarum omnibus grata sit et vere optabilis.

Ista unitas confessarii, quae quondam ius commune erat fidelium, apud moniales et Sorores mere contemplativas, iuvat unitatem et pacem communitatis. Ratio ista minus efficax est apud Sorores quae vitam activam seu mixtam ducunt. Verum etiam tunc, subsistit haec altera ratio impediendi ne nimis multi sacerdotes frequentent conservatoria seu domus Sororum.

3. Qua ratione ipse ordinarius confessarius, eadem extraordinarius ab Ordinario loci removeri potest (c. 527).

592. III. De confessario speciali *Specialem* confessarium vocamus sacerdotem, distinctum ab ordinario confessario, cui aliqua soror habitualiter confitetur. Talem petenti, facile ab Ordinario annuendum est, dummodo id conferre videatur sive ad eius animi quietem, sive ad maiorem eius profectum spiritualem. Simul tamen abusus, si qui inde irrepant, caute et prudenter eliminandi sunt ab Ordinario, ita tamen ut conscientiae libertas salva maneat (c. 520, § 2).

Non vult ergo Codex ut, propter abusum quempiam, facultas statim auferatur; sed Antistiti suadet ut omnia prudenter componere studeat.

Confessarius specialis ab Ordinario libere nominatur, tam saecularis quam religiosus; nec a Superiore religioso praesentari debet; nec peculiaris aetas requiritur in eo. Et potest esse ipse ordinarius qui officio functus est (S. C. *de Rel.* 20-22 april. 1917. AAS, IX, 1917, 276; *Per.* VIII, 229).

593. - IV. De confessariis supplementaribus. Ex c. 521, § 2, in locis in quibus communitates religiosae exsistunt, aliquot sacerdotes

facultatibus habitualibus muniendi sunt, ut in casibus particularibus acciri possint sine necessitate adeundi Ordinarium loci.

Casus particularis potest esse alicuius Sororis quae velit semel alii confiteri, vel ipsius communitatis, ut si ordinarius absit vel aegrotet.

Quotiens autem aliqua religiosa confessarium sive *extraordinarium* sive *supplementarem* postulet, nulli Antistitae licet « nec per se nec per alios, neque directe, neque indirecte petitionis rationem inquirere, petitioni verbis aut factis refragari, aut quavis ratione ostendere se id aegre ferre » (c. 521, § 3).

Diximus : « quotiens confessarium sive *extraordinarium* sive *supplementarem* postulet ». Etenim, postquam in § 1 egit de confessario extraordinario, in § 2 de supplementaribus, canon. in § 3 ait : « *Si aliqua religiosa aliquem ex iis confessariis expetat* ». Ergo verba ista referuntur ad ambas superiores paragraphos ita ut extraordinarius inter eos confessarios computetur.

Non possit igitur Ordinarius loci prohibere ne sacerdos quem stabiliter ut extraordinarium dedit vocetur tamquam supplementariis ab aliqua religiosa.

Ita etiam Creusen, n. 94, 3 ; Schäfer, n. 175 ; Blat, *De Personis*, n. 584 ; De Meester, II, n. 969 4 ; Bastien, n. 359 ; Brys, *Collat. Brug.* XXIII, 473. Solum contrarium reperimus Fanfani, n. 135 A, qui argumentum textus non attingit.

Confessarii supplementaris est Sororem monere quae sine rationabili causa eum arcesserit ; de abusibus exterioribus, Ordinarius loci certiorandus est.

In casu particulari confessarii ordinarii impediti, possunt etiam a Superiorissa vocari ad audiendam communitatem totam. Ita Creusen, n. 94 cui consentit Fanfani, n. 136. Non nulli severius respondent. Cf. Brys, *Collat. Brug.* XXIII, 471 nota.

Supplementares libere ab Ordinario loci designantur, pro illis quoque communitatibus quae regularibus viris subiectae sunt. Nec peculiarem aetatem habere debent.

594. - V. De confessario fortuito seu « occasionali ». Simili ratione et fere iisdem verbis quibus c. 519 permittit ut religiosus etiam exemptus ad suae conscientiae quietem confessarium *adeat* quemlibet ab Ordinario loci probatum, c. 522 permittit ut ad suae conscientiae tranquillitatem, religiosa confessarium adeat ab Ordinario loci *pro mulieribus* approbatum ; eiusque confessionem, revocato quolibet severiore privilegio, in qualibet ecclesia vel oratorio saltem semi-publico peractam, validam et licitam declarat.

In c. 519, pro viris, desunt verba « in qualibet ecclesia vel oratorio etiam semi-publico » quia, ex c. 910, § 2, « confessiones virorum etiam in aedibus privatis excipere licet » ; dum sedes confessionis mulierum, ex c. 909 « generatim in ecclesia vel oratorio publico aut semi-publico » collocanda est.

Ad c. 522 accessit haec authentica interpretatio Pont. Commissionis, 24 nov. 1920 : « C. 522 ita est intellegendus, ut confessiones... licitae et validae sint, dummodo fiant in ecclesia vel oratorio etiam semi-publico aut in loco ad audiendas confessiones mulierum *legitime* designato ».

Ut abstineamus hic non paucis controversiis, quibus c. 522, partim propter studia contraria libertati religiosarum, locum dedit, haec breviter notanda nobis videntur.

a) Dici non potest c. 522 esse stricte interpretandum, cum deroget legi generali canonis 876, qui specialem iurisdictionem exigit ad audiendas religiosas. Namque

c. 522 pars est unius regiminis sacramenti paenitentiae quod variis canonibus describitur. Et ipso c. 876 memoratur et confirmatur c. 522, nedum isti canoni deroget.

b) Clausula « *ad suae conscientiae tranquillitatem* » idem valet quod clausula c. 519 pro viris : « *ad suae conscientiae quietem* ». Nec magis quam pro viris condicio valoris esse potest. Namque de re intima est et multis scrupulis locum daret, si non sufficeret illa ratio quietis quam omnis confessio serio facta animae afferre solet. Cf. Augustine qui in c. 876, pp 269, ss. id egregie perpendit.

c) Verba « *in qualibet ecclesia vel oratorio etiam semi-publico* », proprium oratorium Sororum non excludunt. Et, ni fallimur, consulto suppressa fuere verba « Si quando moniales aut sorores extra propriam domum versari contigerit » quae legebantur in c. 14 decreti *Cum de sacramentalibus*, unde praesens canon desumptus est.

d) Verba « *si... aliqua religiosa* » excludunt casum quo sacerdos approbatus pro mulieribus advocetur ad confessiones communitatis Sororum vel monialium audiendas in oratorio proprio dictarum religiosarum, v. g. ad supplendum absentem vel impeditum confessarium ordinarium : tunc enim vel extraordinarius vel supplementaris pro monialibus vel Sororibus approbatus vocandus est : alter iurisdictione requisita careret. (Cf. c. 876).

e) Verba « *si adeat* » spontaneum accessum supponunt Sororis, quae, ut nunc habemus ex resp. *Commiss. Pont.* 28 dec. 1927, (1) Confessarium advocare potest et etiam inscia Superiorissa, occasione uti confitendi apud alium confessarium. Ac si Superiorissa, *quae talem confessarium minime vocare cogitur* (2), postulante Sorore, eum arcessat, id nec validae nec licitae confessioni obstabit.

f) In decreto « *Cum de sacramentalibus* » 3 febr. 1913, S. C. *de Religiosis* quo praesens ista disciplina primum adumbrata est, sermo erat de sacerdote *pro utroque sexu* approbato. Hic mere dicitur sacerdos *pro mulieribus* approbatus, quae est circumstantia principalis. Sic vitatur scrupulus eius, v. g. qui deputetur tamquam confessarius pro aliquo conventu nec aliam iurisdictionem postulaverit. Talis quoque a religiosa adiri poterit.

g) Forma qua usa est Pontificia Commissio in sua responsione 24 nov. 1920 « *dummodo* », mentem indicabo exigendi ad ipsum valorem ut confessio fiat saltem in loco legitime confessionibus mulierum destinato. Controversia quae de hac re habebatur suppressa nunc est praefata responsione 28 dec. 1927, quae invalidam declaravit (3) confessionem peractam extra loca de quibus in can. 522 et resp. 4 nov. 1920.

Minime autem admitti potest callida quorumdam evasio qui, quasi ludentes in verbis « *pro mulieribus* », existiment requiriri locum ubi non solae religiosae sed etiam mulieres saeculares audiri possint (4). Atque id faciunt ut beneficium c. 522 eripiatur monialibus strictae clausurae, pro quibus fortasse est maioris opportunitatis. Ceterum, ut *ad hominem* quidpiam addamus, ex declaratione supremae C. *S. Officii*, 25 nov. 1874 ad 3 (*Collect.* S. C. *de Prop. Fide.* n. 1424), confessionalia adornata pro monialibus claustratis censentur etiam pro mulieribus extraneis approbata. Res nunc constat ex modo quo in plenario Commissionis coetu dubium propositum est II « An verbum *adeat* c. 522 sit ita intellegendum ut confessarius advocari nequeat per ipsam religiosam ad loca confessionibus *mulierum vel religiosarum* legitime destinata ». Loca igitur confessionibus *mulierum* et loca *religiosarum* destinatis aequiparantur.

Demum, R. P. Maroto (*Comment. pro religiosis*, 1921, p. 36, ss.) istud observat « si, ad normam c. 910, in casu verae necessitatis... confessarius pro mulieribus approbatus recipiat alicuius religiosae confessionem extra sedem confessionalem

(1) *Per.* XVII, 37 ss. — (2) Cf. resp. S. *Congr. Rel.*, 1 dec. 1921 ad Ep. Osnabrugensem, *N. R. Th.*, 1923, 491. — (3) Addit Blat, n. 585 : « Si confessarius careat peculiari iurisdictione qua indigent sacerdotes vi can. 876 ». De qua re cf. Maroto, *Comment. pro religiosis*, IX, 95, 96. — (4) His tamen calculum adicit R. P. Fanfani, op. c. n. 137.

in loco ubi reciperet in pari casu mulierum saecularium confessiones, legitime destinatus pariter censendus est ille locus, quoniam ab ipso confessario et a religiosa paenitente, eligitur ad normam legis, i. e. c. 910 ». Idem confirmat commentando resp. 28 dec. 1927, *Comment. pro religiosis* IX, 96.

In causa praesenti non est praetereundum quantum maior facilitas confessionis necessaria sit ut sine nimio periculo sacrilegiorum tam laudabilis usus communionis cotidianae in communitatibus prudenter urgeri possit.

Menti tamen Ecclesiae, propriae perfectioni, et ipsi stabilitati benignioris legis consulet religiosa, quae ea discrete utitur, et, nisi vera ratio aliud postulet, contenta sit confessario ordinario et extraordinario qui omnibus assignantur.

595. - VI. De sororibus aegrotantibus. Graviter aegrotans monialis vel soror, licet mortis periculum absit, quemlibet sacerdotem ad mulierum confessiones audiendas approbatum, arcessere potest eique, perdurante infirmitate, quotiens voluerit, confiteri, « nec antistita potest eas sive directe sive indirecte prohibere » (c. 523).

Gravis morbus est qui valde affligit, vel facile periculosus evadere potest; gravis morbi indicium esse potest si cogat per unam alteramve hebdomadam lecto decumbere. Quamquam gravis quoque esse potest morbus in quo quis decumbere impediatur.

§ 3. DE FORO SACRAMENTALI IN RELIGIONIBUS LAICORUM

596. - Regimen his punctis constat, ex c. 528.

1. Religiosi valide confitentur apud quemlibet confessarium approbatum ab Ordinario loci.

2. Ipsis deputandi sunt confessarii *unus* vel *plures*, arbitrio Ordinarii loci, vel Superioris religionis exemptae.

3. Deputari praeterea debet confessarius extraordinarius. Religiosi tamen, exceptis noviciis, eum adire non debent, ne ad benedictionem quidem eius accipiendam.

4. Confessarius specialis habitualis facile a Superiore rogantibus concedendus est.

5. Iurisdictio proficiscitur ab Ordinario loci in quo est religiosa domus. In exempta religione, Superior proponit confessarium Ordinario loci. Peculiaria privilegia, si quae sint in hac re, non abrogantur.

597. - VII. Privilegium Cardinalium. *Cardinales* omnes, a sua promotione in consistorio, facultate gaudent audiendi ubique terrarum confessiones etiam religiosorum utriusque sexus eosque absolvendi ab omnibus peccatis et censuris etiam reservatis, exceptis tantum censuris Sedi Apostolicae specialissimo modo reservatis et illis quae annexae sunt revelationi secreti S. Officii (c. 239).

597bis. Remotio confessariorum. Confessarius tam ordinarius quam extraordinarius, ab Ordinario loci, ob gravem causam removeri potest, monito Superiore regulari, si moniales Regularibus subdantur.

Causa vero remotionis soli Apostolicae Sedi, si requiratur, significanda est (c. 527).

Art. II. - De foro non sacramentali

598. - Ad forum istud spectat potissimum *celebratio* sacri cum dispensatione *eucharistiae* et sacra *contio.*

In religione *clericali*, Superior regularis designat pro sua communitate sacerdotes a sacris et contionatores. Si tamen religio non est exempta, facultas contionandi ab Ordinario loci est impetranda. (c. 1338, § 2).

In religione laicali exempta *virorum*, ipse Superior designabit sacerdotes et contionatores inter eos qui facultatem ab Ordinario loci adepti sunt (c. 1338, § 2 et 3).

In religione exempta *monialium*, Superior regularis (cui tunc subiectae sunt) eosdem designat inter approbatos ab Ordinario loci (c. 1338, § 2). Atque Ordinarius eius neglegentiam supplere potest.

In religione autem *laicali non exempta*, « Ordinarii loci est sacerdotem a sacris designare et a contionibus probare » (c. 529). Agitur hic de cappellano, seu de eo qui sacrum facere et contionari *solet.* Quamvis canon duobus verbis « *designare* et *probare* » utatur, commentatores tamen ambo haec, in casu, tamquam aequivalentia habent. Sic R. P. AUGUSTINE in h. c. ; et PRÜMMER, n. 191. Et merito quidem. Cur enim Ordinarius minus possit in contionatorem quam in celebrantem, non apparet.

Cum agitur de accidentalibus contionibus vel etiam de exercitiis spiritualibus, mos est ut Ordinarius monialibus vel sororibus optionem satis liberam linquat inter sacerdotes saeculares vel religiosos approbatos. Quod naturae rei et suavi gubernationi consentaneum est. Si tamen Ordinarius voluerit sibi reservare designationem eorum qui exercitia spiritualia tradant, fines suae provinciae egredi non videtur. S. Sedes tamen hanc rationem agendi ut minus opportunam facile dissuadebit.

Art. III. - De conscientiae manifestatione

599. - Manifestatio conscientiae est revelatio sui quam quis alteri facit ut ab eo intime cognoscatur tam in moribus quam in affectibus, vel propensionibus suis. (Cf. SUAREZ, *Rel.*, tr. 10, l. 10, c. 6, n. 2.)

Talis igitur non est confessio, privata vel publica, culpae exterioris, v. g. violationis regulae, quam quis, sive sponte sive rogatus, fecerit. Nec talis est propositio difficultatum quas quis experitur in oratione, ideo facta ut artem orandi addiscat.

Porro nulla prohibitio impedit vel paenitentes quo minus confessario, vel subditos quo minus Superiori animum suum prudenter pandant ; contra, « expedit ut ipsi filiali cum fiducia Superiores adeant, eis, *si*

sint sacerdotes, dubia quoque et anxietates suae conscientiae exponentes » (c. 530, § 2).

Sed Superiores religiosi *omnes*, locales, provinciales, generales, districte vetantur personas sibi subditas quoquo modo inducere ad conscientiae manifestationem sibi faciendam.

Superiores hic stricte intellegendi esse videntur, ita ut non comprehendantur magistri noviciorum, qua tales, praesertim cum ista filialis communicatio ad bonam noviciorum institutionem plurimum conferre possit, immo moraliter necessaria dici possit. Aliter BASTIEN, 371 ; nobiscum CREUSEN, 102, 2 ; FANFANI, n. 132 ; SCHÄFER, p. 226 n. 183. Sed res quae potius ad confessionem referuntur videntur excludendae.

Personae *subditae* sunt, attenta subiecta materia, quotquot religiosi late vocantur, ergo etiam novicii, non tamen, cum prohibitio stricte intellegenda sit, postulantes, convictores, contra ac scribebamus in superiore editione, et putat SCHÄFER, p. 227, n. 183.

Modus *inducendi* potest esse privatus vel communis, in adhortatione etiam domestica, saltem suasiva.

Sicut ipsi confessarii vel alii adhortatores rationem conscientiae Superiori prudenter faciendam sponte sua suadere possunt, sic ipsi Superiores eandem commendare possunt faciendam confessario vel alii, qui tamen non sit delegatus Superioris. Ipsa autem communis aedificatio postulat ut sincere agatur nec lex aliqua arte eludi videatur. — Suppressa porro est obligatio deferendi Superiores in hac re peccantes, quae decreto *Quemadmodum* imponebatur.

Observes demum Superioribus qui sacerdotes sint circumscribi *generale* consilium datum subditis ut dubia et anxietates conscientiae Superioribus exponant. Quare in constitutionibus Congregationum laicalium S. C. *de Religiosis* non ponit postrema verba § 2, c. 530.

Caput III. - De bonis temporalibus eorumque gestione

600. - **Capitis divisio.** Statuta, in c. 531, iuridica capacitate possidendi, cc. 532. 533 agunt de ordinaria administratione ; c. 534 de alienatione et contrahendis obligationibus ; c. 536 de imputabilitate iuridica contractae obligationis ; c. 537 de largitionibus e bonis communibus.

Maioris perspicuitatis causa, quaedam sunt hic explicanda : quid sit bonorum administratio, alienatio ; quid pecuniae collocatio ; quid obligatio.

601. - Administratio bonorum est gubernatio rerum temporalium secundum naturam suam et fines suos.

Secundum naturam suam, ac proin, salva substantia rerum quae servari possunt et debent ; efficiendo ut res frugiferae fructus suos afferant ; utiliter consumendo in propria vel in aliena specie res consumptibiles seu quae primo usu consumuntur,

Secundum fines suos, ac proin expendendo rationabiliter reditus qui sumptibus annuis solvendis destinati sunt. Sic etiam, attenta voluntate benefactoris et fine largitioni praestituto, interdum liber erit usus pecuniae numeratae, interdum debebit fructuose collocari seu servari ut capitale, vel definito operi inservire.

Alienationis nomine venit omnis actus quo alicuius rei dominium vel transfertur ad alterum vel, concesso iure in re, deminuitur. Est ergo venditio, donatio, permutatio, per se transactio, pignoratio, hypothecae vel servitutis passivae admissio, census realis constitutio, activae servitutis remissio. Non ergo alienat qui pecuniam mutuam accipit sine hypotheca vel pignore. Iisdem autem regulis quibus alienatio subiacet locatio in tempus diuturnum, quale nunc tempus ultra novennium esse existimatur. Cf. c. 1541, § 2, 1°. Ante Codicem, locatio ultra triennium fructiferum, alienationi aequiperabatur.

602. - Pecuniae distinguitur *asservatio, erogatio, collocatio.* Pecunia *asservatur*, quando stricte vel moraliter in possessione domini manet : ut cum post brevissimum intervallum repeti potest, v. g. ab argentaria taberna ubi deposita est propter maiorem securitatem et etiam ut aliquod fenus percipiatur. Quare modus asservandi potest esse sterilis vel fructuosus. — *Erogatur* pecunia, cum debitum eius ope exstinguitur, vel cum donatur. — *Collocatur* pecunia, cum convertitur in bona quae servari possunt, maxime si sint frugifera. Inter quae bona sunt quoque nomina seu tituli crediti, utputa schedas bancarias « actiones, obligationes » societatum industrialium, mercatoriarum.

Pecunia, qua talis, non dicitur proprie alienari, cum eius usus sit in abusu, seu consistat in erogatione vel collocatione ; verum alienatur capitale, si pecunia quae fructus civiles afferebat iam in bona sterilia convertatur.

603. - Debitum et obligatio contrahuntur in omni contractu oneroso : emptor suscipit obligationem solvendi pretium. Tam ample tamen verba hic, in c. 534, sumi nequeunt, ne ad absurda deveniamus. Stricte enim intellecta verba non permitterent oeconomo magnae communitatis ut, sine licentia S. Sedis, alimenta compararet. Sed hic intellegendus est formalis contractus aeris alieni, potissimum ex mutua accepta pecunia ; seu debitum diuturnum, vel cui solvendo praesto non sunt pecuniae.

Art. I. - Collectiva possidendi capacitas

604. - Canone **531**, ponitur utilissimum istud principium, esse per se in religione triplex subiectum capax possidendi : religionem totam, provinciam, domum. Quae capacitas ad reditus stabiles et fundatos habendos porrigitur. Regulae tamen vel constitutiones talem capacitatem excludere vel coarctare possunt, ut faciunt constitutiones Fratrum Minorum et Societatis Iesu.

Canon iste facilem usum habet in modernis religionibus. Quid autem de antiquioribus, ubi sero tantum inductae sunt Congregationes et quibus prae-

ficitur Primas, qui non est assimulandus Superiori Generali ? De capacitate singulorum monasteriorum, nullum dubium moveri potest.

De universo Ordine et de Congregationibus monasticis, nihil in Codice definitur. Res igitur ex propriis constitutionibus et usibus est decidenda.

Art. II - De ordinaria administratione

605. - Quo modo administranda sint bona religionis, provinciae, domorum, id in primis docent constitutiones, quae c. 532, § 1, servandae dicuntur.

C. 532, § 2 praeterea sancit iuridicam capacitatem, intra fines propriae missionis, Superiorum et Officialium qui in constitutionibus ad hoc designantur, ad facienda valide expensas et actus iuridicos ordinariae administrationis.

Nihil ergo, ex parte voti paupertatis, huic validitati obici potest. Validitas ista est canonica et naturalis. De civili efficacia, propriae leges consulendae sunt. Ut haec, prout copia est, procuretur, mens est legislatoris canonici.

Ex dictis, ordinaria administratio complectitur omnes actus quos consueta ratio vivendi et agendi postulat, ope pecuniarum vel redituum quorum libera dispositio communitati permissa est.

606. - Ipsa prudens collocatio pecuniae est actus administrationis, quae proin per se competit Superioribus et oeconomis, intra fines sui muneris.

Speciatim tamen statuitur canone 533, ut praevium Ordinarii loci consensum, pro *collocatione* pecuniae vel *mutatione* collocationis factae, obtinere debeant :

1. Superiorissa *monialium* et *religionis iuris dioecesani* pro cuiusvis pecuniae collocatione ; Superiorissa in *Congregatione iuris pontificii*, pro collocatione pecuniae quae dotem professarum constituit. Superiorissa *monialium* opus praeterea habet consensu Superioris regularis cui sunt subiectae.

2. Superior vel Antistita domus *Congregationis religiosae*, si qui fundi *domui* tributi legative sint ad Dei cultum beneficientiamve *eo ipso loco* impendendam.

Obligatio ista communis est viris et mulieribus, propria tamen Congregationum religiosarum. Non pertinet igitur ad Ordines religiosos ; neque, ut arbitramur, ad Congregationes clericales *exemptas*, quae, ex c. 1550, pro cultu in suis ecclesiis non magis quam regulares pendent ab Ordinario loci. Ceterum verba : « etiam exemptae » quae v. g. ponuntur c. 512, § 2, 2°, hic desiderantur. Nobiscum De Meester, II, n. 980, contra Schäfer, *De religiosis*, n. 197. p. 238.

Fundi proprie sunt agri frugiferi. Sed hic intellegendi videntur sensu gallico « fonds », i. e. pecuniae vel res immobiles frugiferae, aut aliae in pecuniam convertendae.

Eo ipsi loco ubi est domus, vel etiam dioecesis in qua domus est sita. Ratio legis videtur hunc sensum postulare. Sic etiam Brandys, n. 194 ; De Meester, II, n. 980 ; Schäfer, *De religiosis*, n. 197 p. 239.

Fatemur a nobis non intellegi quod R. P. Augustine hic affirmat, agi in hoc canone de legatis vel donatis rebus quas Congregatio velit ad alios fines ac praestitutos adhibere.

Observes agi hic de fundis qui *domui* tribuantur, non autem de legatis quae fiant ipsi Congregationi religiosae.

Exempla erunt, fundatio missarum in sacello ; lecti in nosocomio ; luminis coram Sanctissimo ; capitalis ad alendos magistros scholae ; bursae pro studiis.

3. *Quilibet religiosus*, si pecunia data sit paroeciae vel missioni aut religiosis intuitu paroeciae vel missionis.

Quilibet religiosus, etiam regularis, sive sit Superior, sive inferior.

Nomen *missionis* hic apponitur nomini *paroeciae*, ut significet istas quasi-paroecias quales, v. g. in Anglia exsistunt et rectorem pro parocho habent. Ordinarius loci cuius consensus requiritur est loci ubi est missio vel paroecia cui bona tributa sunt. Aliorum enim Ordinariorum non interest. Canon tamen supponit eundem esse Ordinarium domus et paroeciae cui res obvenerunt. Cf. c. 532, § 3, 2°.

Quid, si pecuniae dentur intuitu *missionum exterarum* ? Si missio ista est definita, ipsa rei natura postulat ut Ordinarius istius missionis de recepta pecunia doceatur, et vetat ne interea pecunia definitive collocetur. Si agitur de missionibus in genere, seu de pluribus missionibus in quibus v. g. religiosi operam suam conferunt, tunc prudens administratio tota est penes religiosum acceptantem pecunias, cum debita subordinatione a Superioribus ; seu penes oeconomos ipsius Congregationis. De illo missionum intuitu occasio erit dicendi in t. II. n. 857.

Art. III. - Bonorum alienatio et obligatio

607. - I. De alienatione (c. 534, § 1). — Alienatio rei ecclesiasticae obnoxia est in primis generalibus condicionibus quae, c. 1531 definitae, hic quoque observandae sunt : ne alienentur infra pretium aestimationis ; alienentur publice, si fieri possit, et ea ratione ut cedant plus offerenti ; pecunia obtenta caute, tuto et utiliter in commodum Ecclesiae collocetur. Dispensatio ab his generalibus condicionibus S. Sedi reservata est.

Quo nomine ecclesiae venit hic persona ecclesiastica cuius bonum alienatur.

Atque hae condiciones sunt *licitae* alienationis.

Ad ipsam autem *validitatem*, requiritur praeterea :

Pro rebus pretiosis vel pro rebus quarum valor superet summam 30,000 *francorum* seu *libellarum*, praevium beneplacitum apostolicum.

Quod ad beneplacitum apostolicum, valor rei iuxta sententiam peritorum, non secundum pretium in licitatione oblatum, est computandus. (Resp. Em. Card. GASPARRI, 24 nov. 1920, AAS, XII, 1920, p. 577.)

Infra talem valorem, requiritur et sufficit scripta licentia Superioris quem constitutiones competentem efficiunt, cum consensu sui Capituli seu Consilii, per secreta suffragia dato (cf. c. 105, 1°).

Moniales tamen et sorores iuris dioecesani, opus praeterea habent scripto consensu Ordinarii loci et Superioris regularis cui moniales subiectae sint.

Res pretiosa est cui notabilis valor sit artis, vel historiae vel materiae causa (c. 1497, § 2. *De reliquiis et imagin. sacris* cf. c. 1281, II, 608). Notabilis valor probabiliter, in tempore ubi res pacifice compositae sunt, ad 1,000 francos vel libellas aestimari potest.

Porro duplex aestimatio summarum Codice permittitur : francorum et libellarum. Franci sunt monetae Galliae. Belgii, Helvetiae ; libellae, sunt monetae Italiae. Ceterae monetae ad alterutrum genus reducendae sunt. Sed quaeri potest utrum, in hac comparatione, valor stabilis « *nominalis* » quo, v. g. shilling = 1,25 fr., dollar = 5 fr., Corona Austriae = 1,10 fr., Mark = 1,25 fr., an valor verus sed, pro cambii ratione, mutabilis attendendus sit. Simplicius dicemus considerandam esse *veram* monetam metallicam, praesertim auream, non autem ficticiam seu papyraceam. Servata tunc numerica codicis aestimatione, exigemus beneplacitum apostolicum pro rebus quarum valor superet 30.000 libellas monetae aureae. (1) Verum haec sint dicta ut animum nostrum simpliciter et modeste aperiamus, salvo proin meliore indicio et salva authentica S. Sedis responsione. Nobiscum CREUSEN, n. 130 ; CHELODI, *Ius de Personis*, n. 201 nota 3 ; SCHAFER, n. 244 p. 204 ; CAPPELLO, De *censuris*, 408 ; et favet PRÜMMER, *Manuale*, p. 260 nota 109. Atque in adiunctis ordinariis, ultro fatemur satius esse ut ad varia cambia, quae tunc modico intervallo inter se distabunt, non respiciatur.

608. - II. De suscipienda obligatione. — Eaedem sollemnitates requiruntur ad contrahenda debita vel obligationes ultra vel infra 30,000 libellarum seu francorum.

In precibus autem pro obtinendo necessario consensu, *ad valorem* indicanda sunt alia debita vel obligationes quibus ipsa persona moralis, religio vel provincia vel domus ad eum diem gravatur ; secus obtenta venia invalida est (c. 534, § 2).

Quid si pluries successive debitum 25,000 libellarum contrahendum sit ? Dummodo causae vere distinctae sint et absit fraudulenta calliditas, debita ista sine beneplacito Apostolico contrahi posse videntur.

Ipsae constitutiones definire possunt summam ultra quam Superior localis cum Consilio suo, vel Provincialis cum Consilio suo agere non possit. Sed c. 534 universali modo, pro alienatione et suscipienda obligatione, postulat consensum Consilii seu Capituli ; dum c. 1532 sinit ut de rebus quae valorem non excedunt 1,000 libellarum Ordinarius loci audito Consilio suo decernat. Si tamen res sit minimi momenti, putamus constitutionibus permitti posse ut Superior sine consensu Consilii sui prudenter agat.

(1) In non una regione, iam lege stabiliter verus valor monetae praesentis relatus ad auream definitus est. In Belgio libella 1/7 ; in Gallia 1/5 ; in Italia inter 1/3 et 1/4 partem (3,68) libellae aureae repraesentare dicenda est.

Praeterea, quicumque sit valor rerum, consensus eorum quorum interest per se requiritur. Quocirca S. C. *Concilii* respondit nulla donaria votiva alienari posse sine beneplacito Apostolico, quia alienatio ista secum ferre videatur derogationem voluntati offerentium (cf. Resp. 12 iul. 1919, AAS, XI, 1919, p. 416).

Male alienantes, praeter obligationes restitutionis et reparationis damnorum, subiacent poenis ferendae sententiae. Si beneplacitum Apostolicum *scienter* fuerit praetermissum in casibus ubi requirebatur, omnes quovis modo reos manet *excommunicatio* latae sententiae nemini reservata (c. 2347, 3°).

609. - Dubia hodierna. Difficultates temporum non raro postulant certos modos agendi de quibus dubitari potest utrum necne alienationem vel susceptam obligationem contineant. Sic, v. g., si in ipsa emptione constituatur hypotheca ad solvendum pretium, haec hypotheca non est alienatio sed minus perfecta acquisitio. — Fit quoque, maioris securitatis causa, ut domus religiosa acquiratur a saecularibus cum pacto retrovenditionis faciendae religiosis ; ut praesto quidem sit religiosis pecunia ad solvendum pretium acquisitae domus, sed simul expediens videatur contrahere aes alienum, quo onera fiscalia minora sint. In utroque casu, ob id solum requiri videtur beneplacitum apostolicum (ultra 30,000 libellarum), quia religiosi suo periculo detinent et administrant summam qua possint vel domum redimere vel exstinguere debitum.

Sed propter magnam rei utilitatem, S. Sedes possit facultatem generalem concedere ita agendi, praesertim si licentiae in singulis casibus prudenter peti non possent.

610. - De ratione administrationis reddenda. Canon **535** distinguit rationem propriam *monialium* ; rationem communem religionibus *mulierum* ; communem *Congregationibus* religiosis (etiam iuris Pontificii) ; communem *religiosorum.*

1. *Monialium Antistita,* tum Ordinario loci, tum Superiori regulari, si monasterium eidem subiectum sit, rationem administrationis temporalis reddere debet ; idque semel in anno aut etiam saepius, si constitutiones id imperent. Neque exemptio Superioris regularis obligationem tollit reddendi rationem Ordinario loci. Cf. *Comm. I. C.*, 24 nov. 1920, *De religiosis* ad IV, AAS, XII, 1920, 375 ; *Per.* X, 251.

Praescripta autem ratio *gratis* exigenda est. De ratione quae non exigitur sed ultro redditur, v. g. ad consilia petenda, nihil est statutum.

Praeterea potestas fit Ordinario loci adhibendi *remedia* opportuna, etiam removendo oeconomam et administratores. Possit ergo etiam, cavendo a nimio monasterii gravamine, magis idoneum administratorem constituere. Remedia tamen applicare prius pertinet ad Superiorem regularem cui moniales subiectae sint. Quare Ordinarius eum monere debet, ita tamen ut ipse eius neglegentiam supplere possit.

Quod dicitur de regularibus traduci potest ad Superiorem Congregationis clericalis exemptae qui monialibus praeficiatur, ut puta Superiori Congr. SS. Redemptoris respectu monialium SS. Redemptoris, si ei subdantur.

2. In aliis *mulierum religionibus* ratio de *dotum* administratione est Ordinario loci reddenda, occasione visitationis vel etiam saepius, si Ordinarius id necesse duxerit.

Quid de aliis bonis? Hic inter instituta iuris Pontificii et instituta iuris dioecesani distinguendum est. Etenim :

3. De *rationibus oeconomicis domus* religiosae *iuris dioecesani*, ius est Ordinarii loci cognoscere, sive agatur de viris sive de mulieribus.

Consulto dicitur *domus*, potius quam instituti. Namque singulis Ordinariis locorum idem ius per se est in domus territorii sui. Ordinarius autem in cuius dioecesi exstat domus princeps Congregationis, etiam de administratione generali cognoscere posse videtur. Principium enim est subiectionis.

4. Nihil autem potest cognoscere Ordinarius loci de rationibus oeconomicis Congregationis iuris Pontificii.

5. Sine ulla alia distinctione, Ordinarius loci exigere potest rationem administrationis bonorum, quorum collocatio eius consensui est obnoxia. Cf. c. 533, § 1, n. 3. 4, et explicationem n. 606.

Art. IV. - De morali et canonica imputatione debitorum et obligationum

611. - I. 1. Debita et obligationes quae ipsa *persona moralis* contraxit ipsam gravant (**c. 536**, § 1). Ipsa autem contrahere censetur quando Superiores et officiales, intra fines muneris sui, pro ea agunt. Porro persona ista moralis esse potest religio, provincia, domus.

2. Si *regularis* cum licentia Superioris contraxit, de re respondere debet persona moralis cuius Superior licentiam dederit ; si *religiosus votorum simplicium*, ipse respondet, nisi, de Superiorum licentia, negotium religionis egerit (c. 536, § 2).

Ratio discriminis haec est, quod regularis propria bona non habet, et omnia monasterio acquirit. Quae ratio demonstrat agi hic de regulari qui iam per vota factus sit impotens seu incapax, non vero de illo qui, ante vota ultima vel sollemnia, aut ex indulto, propria bona servat. Is enim religioso votorum simplicium aequiperatur.

3. Non autem religioni, provinciae vel domui, sed ipsi religioso vel regulari imputantur debita vel obligationes quae sine ulla licentia contraxerit (c. 536, § 3).

II. Simul tamen, et haec est regula generalis, actio de in rem verso semper institui potest ; i. e. quod quis ex male facto contractu lucratus sit, sive fuerit religio sive persona privata, semper ab eo repeti potest (c. 536, § 4).

III. Superiores autem cavere debent ne debita contrahenda per-

mittant, « nisi certo constet ex consuetis reditibus posse debiti fenus solvi et intra tempus non nimis longum per legitimam *amortizationem* reddi summam capitalem (c. 536, § 5).

Art. V. - De largitionibus

612. - Munera de bonis communibus domus, provinciae, religionis, non permittuntur nisi ratione eleemosynae vel ob aliam iustam causam de venia Superioris et ad normam constitutionum (c. 537).

Sub iure anteriore, casus, proprius tunc Ordinis regularis, erat, ante restitutionem, specialiter S. Sedi reservatus. Reservatio ista sublata est. Sed restitutio imponenda erit si donatio fuerit invalida, vel iniusta acceptantis cooperatio.

TITULUS XI

DE ADMISSIONE IN RELIGIONEM

(cc. 538-586)

Scriptores : PIAT, O. M. C. *Praelect. iuris regularis*, t. 1, p. 50-80 ; 89, 93 ss. ; 132-170. — SUAREZ, *De religione*, tr. 7, l. 4 ; l. 5, c. 1-9 ; 12-25 ; l. 6, c. 3 et 6-10. — S. THOMAE, 2, 2, q. 189, art. 2-7 ; q. 188, art. 10. — WERNZ, S. I., *Ius Decretalium*, t. 3, n. 625-647. — AUGUSTINE, O. S. B., *A Commentary*, in cc. 538-586. — BASTIEN, O. S. B. *Directoire can.* 75-130. — BIEDERLACK-FÜHRICH, S. I., *De religiosis*, n. 59-100. — BRANDYS, O. F. M., *Kirchl. Rechtsbuch*, etc. n. 13-63. — CHELODI, *Ius de personis*, 263-275. — CREUSEN, S. I., *Religieux et religieuses d'après le droit ecclésiastique*, n. 136-200. — DE MEESTER, R. D., *Iuris can. compendium*, II, n. 985-1012. — FANFANI, O. P., *De iure religiosorum*, n. 178-274. — PRÜMMER, O. P., *Manuale*, 199-219 ; — SCHAEFER, O. M. C., *Das Ordensrecht*, p. 142-214. — *De religiosis ad normam Cod. I. C.* 213-288.

613. - Principium de facultate admissionis. — Duplex est admissio in religionem : altera ad probationem seu noviciatum, ad professionem altera. De utraque agens, c. 538 non tantum declarat quosnam *iuridice* seu in foro ecclesiastico, sed etiam quosnam *theologice*, seu in foro Dei admittere liceat. Iuridice recipere licet quemlibet *catholicum* qui nullo legitimo impedimento detineatur ; *theologice* autem, recta intentio et idoneitas praeterea positive requiruntur. Quibus verbis nobis traduntur ea quae ad veram vocationem sufficiunt, si addas firmam voluntatem perseverantiae. Cf. opusculum nostrum *De Vocatione sacerdotali et religiosa.*

Quemlibet *catholicum* dicimus, non vero *christianum*, quia, magis etiam quam sacramenta, religiones sunt catholicis reservatae.

Opportune Codex, potius quam de ingressu, loquitur de admissione, quia fit ut etiam illi qui ingredi honeste cupiunt, sine iniuria repellantur.

614. - Principium de libertate ingressus et admissionis. — Hodierno iure inconcussa est regula a saec. XIII° iam plene recepta, nemi-

nem fieri religiosum nisi scientem et libere volentem. Ac, dum c. 542, 1°, hanc libertatem sancit *nullitate* receptionis eorum qui vi, metu gravi aut dolo inducti religionem ingrediantur, pariter eadem nullitatis sanctione cavet libertati Superioris accipientis.

Libertas autem ipsius ingressus protegitur quoque *excommunicatione*, nemini reservata, qua plectuntur omnes, qualibet etiam dignitate fulgentes, qui quoque modo cogant sive virum sive mulierem ad religionem ingrediendam vel ad aliquam professionem emittendam (c. 2352).

Porro religio intellegitur quoque iuris mere dioecesani.

Quia tamen nomine religiosorum non veniunt postulantes, et iam antiquo iure duplex tantum ingressus in religionem distinguebatur coactus postulatus ista excommunicatione non impeditur.

615. - Ordo Codicis. Codex argumentum in tria capita distribuit : in primo capite agit de postulatu qui quandoque ante noviciatum praerequiritur ; in altero capite de noviciatu ; in tertio de professione religiosa.

Observes capita non inscribi de *admissione* in postulatum, in noviciatum, ad professionem, quia, simul cum normis de admissione, noviciorum et professorum condicio explicatur.

Caput I. - De Postulatu

616. - Postulatus necessitas. — Postulatus numquam est, ex iure communi, condicio *valoris* : vox enim *peragant*, c. **539**, mere praeceptiva est. Solis autem votorum *perpetuorum* religionibus postulatus imponitur : imponitur autem pro omnibus mulieribus et pro solis viris *conversis*.

Religiones quae votis perpetuis carent postulatum non habent nisi eum quem constitutiones praescribant : sive tempus, sive modum, sive ipsam necessitatem seu obligationem eiusve vim consideres.

Si religio votorum perpetuorum non pro omni classe sed pro una tantum religiosorum vel sororum classe vota perpetua habeat, postulatus pro hac sola classe videtur lege communi imperari, si classis ceterum postulatui obnoxia sit.

Conversi proprie non sunt omnes religiosi laici, sed ii qui in religionibus, potissimum clericalibus, secundarium locum occupare et artibus mechanicis destinari consueverunt. Quare, donec S. Sedes (quod facile fieri potest) aliter rem definierit vel extensive declaraverit, ius commune nullum postulatum imponere videtur Fratribus qui, in laicali religione, litteris docendis deputantur.

617. - Postulatus tempus. — 1. Codex postulatum imponit qui sex saltem menses duret (c. 539, § 1).

Menses per se non requiruntur *continui*, quamvis mentem legis offenderit qui menses nimis separatos computare voluerit. Oportet ut in morali aestimatione ad unum postulatum pertinere videantur. Itaque postulans qui religioni valedixerit et brevi post, facti paenitens, propositum resumat, tempus in postulatu iam transactum cum novo postulatu coniungere per se non prohibetur. Brevis autem

absentia (decem, quindecim dierum) eius qui propositum religionis non mutaverit, in tempore postulatus supputari posse videtur, cum idem valeat, ex c. 556, § 2, pro noviciatu, qui tam severis legibus regitur. Sic etiam FANFANI, n. 189.

Minimum igitur tempus iure communi praefinitur, non autem maius, quod constitutionibus statuatur. Sunt tamen qui, traducentes ad constitutiones quod de solis Superioribus maioribus dicitur, existimant constitutionibus praescribi non posse postulatum qui ultra annum duret. Sic BIEDERLACK-FÜHRICH, n. 33 ; et AUGUSTINE, in h. c. Melius BRANDYS, n. 22, et FANFANI, in altera editione, n. 189, constitutionibus nullum limitem assignant. Verum Commissio de Institutis religiosis vult ut constitutionibus tempus statuatur *definitum*, nec dicatur « *saltem* sex vel novem mensium ».

2. Superior maior praescriptum postulatus tempus prorogare potest, non tamen ultra aliud semestre (**c. 539**, § 2).

Praescripum tempus istud sumas quod vel lege communi vel constitutionibus sit statutum. Etenim, postquam in § 1 utrumque genus praescriptionum agnovit, Codex in § 2 ad praescriptum, sine addito, tempus potestatem Superioris refert. Quare, etsi verba « non tamen ultra aliud semestre » ita intelligi possint ut Codex talem prorogationem vetet quae postulatum ultra annum producat, praeferenda tamen videtur alia explicatio qua « non tamen ultra aliud semestre », idem valeat quod « non tamen ultra sex menses ». Verba Codicis ad exemplum postulatus sex mensium aptantur, sed talem postulatum non imponunt. Constitutiones possunt, ut patet, potestatem Superioris magis circumscribere.

618. - Nisi constitutiones aliud praescribant, postulatus initium capit a momento quo, ex mutuo Superioris et subiecti consensu, quispiam tamquam candidatus seu aspirans in domo religiosa commorari incipit. Plerumque sane non admittetur ad postulatum nisi qui iam idoneus repertus sit et varia documenta attulerit quae c. 544 requiruntur.

Iustae tamen causae esse possunt postulatum non differendi donec exspectatae litterae pervenerint. Et c. 544 quo exiguntur ponitur sub cap. 2, art. 1 « De requisitis ut quis *in noviciatum* admittatur ». Ceterum, ex ipso decreto *Romani Pontifices*, 25 ian. 1848 et decl. 1 maii 1851 (1), litterae testimoniales petendae sunt ante quam candidatus veste religiosa induatur : quod fit regulariter initio noviciatus. Cur nunc magis severi esse debeamus, non perspicitur.

Aetas postulantium saltem ea per se requiritur ut, expleto postulatu, noviciatum inchoare possint.

Is autem, silente Codice, ad postulatum admittit quem constitutiones vel probati usus designaverint. Plerumque erit Superior maior.

619. - **Postulatus forma seu modus.** — Ex natura sua, postulatus

---

(1) Cf. *De religiosis*, II, n. 31. 32.

describi potest : praevium quoddam experimentum, quo candidati cuiuspiam religionis, in domo religiosa, per modum hospitum recepti, propriam vocationem atque Instituti cui aspirant rationem melius cognoscere et explorare possint, ac de sua constantia et aptitudine specimen dare, ut sic maturiore consilio in noviciatum religiosum ingrediantur et recipiantur.

De postulatus modo, Codex haec tantum praescribit, ut postulatus in domo quadam propriae religionis, ubi disciplina secundum constitutiones accurate servetur, peragatur ; ut postulantes sub speciali religiosi probati cura vivant, et vestem induant modestam ac diversam a veste noviciorum (c. 540, §§ 1. 2).

Magna ergo facultas est constitutionibus et Superioribus ordinandi regimen postulatus, dummodo finis obtineatur.

Quare, si Superioribus expediens videatur ut quaedam probatio operum exteriorum religionis ipsi spirituali institutioni praeponatur, consultum erit ut, potius quam per primum noviciatus annum, haec inter postulatum facienda praescribant. Nec legi repugnat ut postulantes litterariis studiis vacare pergant, et mixti sint aliis alumnis, modo versentur in domo propriae religionis et religiosae observantiae, modestia saltem vestitus ab aliis dignoscantur, et, sub ductu probati religiosi, propria habeant exercitia probationis.

In monasteriis autem monialium, vult praeterea Codex ut aspirantes, dum postulatum peragunt, lege clausurae teneantur (c. 540, § 3).

Postulantes igitur intra clausuram recipi possunt, et, quam diu in proposito perseverent, sine licentia S. Sedis ea egredi vetantur ; hoc est enim lege clausurae teneri. Illicite tamen egredientes immunes sunt ab excommunicatione c. 2342, 3, quae contra solas *moniales* lata est. Nec, sicut iam supra observavimus, si reduces sint, novam partem postulatus cum priore coniungere prohibentur. A mente legislatoris alienum quoque apparet, quamvis nulla sit expressa sanctio, ut, expleto postulatu, candidatae domum paternam per aliquod tempus repetant ac dein noviciatum ingrediantur. Nisi tamen breve fuerit tempus istud, violarent canonem qui exercitia spiritualia in fine postulatus ante noviciatum immediate, saltem moraliter, sequentem praescribit. Ac nunc obstat isti egressui Instr. 6 feb. 1924, *de clausura* (AAS, XVI, 1924, 96 ; *Per.* XIII, 58).

620. - Postulatus exitus. — Ex c. 541, finis postulatui imponitur per exercitia spiritualia quibus, per octo *integros* dies, postulantes, *ante noviciatum* vacare debent.

Ex eodem canone, generalis quoque anteactae vitae confessio, nisi eam confessarius prudenter iudicet omittendam, noviciatui praemittenda est.

Estne canon iste 541 observandus ubi postulatus solis constitutionibus praeceptus est ?

Id non prorsus constat. Tenor quidem canonis apparet generalis. Per se tamen definitiones canonis ad postulatum quem necessarium reddit referendae videntur.

N. B. Etsi praescripta de postulatu per se sub gravi obligant, liquet tamen haberi materiam levem et causas a quibusdam excusantes.

Caput II. - De Noviciatu

621. - Ordo dicendi. Divisioni Codicis inhaerentes, caput de noviciatu in duos articulos partiemur, quorum alter de requisitis condicionibus, alter de ipsa noviciorum institutione aget. Plures autem eiusdem articuli paragraphos distinguemus. Ut haec sub oculis ponamus, has divisiones sequemur ;

In Art. I. — § 1. De impedimentis ingressus, c. 542. — § 2. De Superiore admittente, c. 543. — § 3. De positive requisitis, cc. 544-552.

In Art. II. — § 1. De noviciatus loco, cc. 554. 555. — § 2. De noviciatus initio et tempore, cc. 553-556. — § 3. De noviciatus modo et fine, cc. 557-566. — § 4. De noviciorum condicione iuridica cc. 567-570. — § 5. De noviciatus exitu, c. 571.

Art. I. - De requisitis ut quis in noviciatum admittatur

§ 1. DE IMPEDIMENTIS INGRESSUS SEU RECEPTIONIS

622. - Impedimentorum generalis ratio. — Ut legitima sit admissio, in primis negative requiritur ut absint impedimenta.

Impedimenta ista, pro *vi* sua, sunt vel *substantialia*, quae iuridicum valorem receptionis et professionis, cui obstant, tollunt, vel mere *prohibentia*, quae licitum ingressum praepediunt ; — pro *origine* sua, sunt iuris *divini* vel *ecclesiastici* ; — pro *proxima causa* sua, referri possunt ad personae inhabilitatem vel dependentiam, ad defectum consensus liberi, ad contrarias obligationes, ad honestatem et decorem religionis ; — pro *promulgatione* sua, alia iure positivo potius subaudiuntur, alia expresse sanciuntur.

Istud vero notabile est, inter impedimenta etiam substantialia, v. g. anterioris professionis, iurisiurandi clericorum, plura numerari a quibus non raro opportune dispensatur, ita ut potius causae S. Sedi reservatae dici possint.

I. IMPEDIMENTA SOLO IURE NATURAE SANCITA

623. - 1. Infantes, atque, extra lucida intervalla, amentes nequeunt sua voluntate religionem valide ingredi. Et liquet non expedire ut amentes qui intermissionem habeant etiam tunc in religionem cooptentur.

2. Impuberes, secundum legem naturae et iam antiquas dispositiones canonicas (1), a parentibus pendent quod ad vitae rationem. Quare qui sine parentum assensu ingressi fuerant, de monasterio intra annum revocari poterant. Nunc autem, in iure civili quod c. 83, § 1 canonizatum videtur, dependentia ista usque ad aetatem maioritatis vel emancipationis protrahitur. Verum canone 555 quo, sine aliqua consensus parentum condicione, permittitur ut post quintum decimum

(1) Cf. c. 2, *De regularibus*, (III, 31).

completum annum, noviciatus valide inchoetur, tacita emancipatio ad ingrediendum noviciatum concessa videtur.

3. Sicubi servitus proprie dicta legitime exstiterit, servi, ob ius acquisitum eri sui, sine huius consensu valide admitti nequeunt.

4. Deceptor feminae, quatenus, ob damnum reparandum, feminam istam naturali obligatione in uxorem recipere debeat, religionem licite ingredi nequit.

5. Plerumque etiam, ex rei natura vel propriis constitutionibus, infames licite recipi non poterunt, quamvis nulla generali lege prohibeantur.

II. IMPEDIMENTA IURE POSITIVO SANCITA

624. - Observatio praevia ex **c. 542**. — Canon iste, initio suo, memorat postulatum licite praetermitti non posse ab iis qui, secundum supra dicta, eundem iure communi vel speciali facere debent. *Licite* inquam. Postulatum enim non esse condicionem valoris, ipso textu et communi sententia scribentium demonstratur.

Praeterea canon iste vigere sinit impedimenta dirimentia et prohibentia constitutionibus sancita. Ipse autem dirimentia in n. 1°, prohibentia in n. 2°, numerat.

A. IMPEDIMENTA DIRIMENTIA

Invalide admittuntur ex c. 542, 1°:

625. - I. Qui sectae acatholicae adhaeserunt; i. e. ex authentica declaratione 16 oct. 1919, qui, a fide catholica *apostatae* (AAS, XI, 1919, p. 477, 7), sectae acatholicae, haereticae vel schismaticae nomen dederunt.

Secta acatholica proprie non est nec iudaismus, nec paganismus, nec, quod magis usu venire potest, damnata societas secreta.

626. - II. « Qui aetatem ad noviciatum requisitam non habent ». Aetas ista nunc, c. 555, 1°, esse definitur quindecim annorum completorum. Completi non censentur nisi coepta die quae sequitur diem anniversariam nativitatis.

Aetas ista necessaria est ad annum noviciatus qualis iure communi requiritur. *Spectato* autem *solo valore*, in religionibus quae diuturniorum probationem exigunt, noviciatus, per tempus quod ad annum adiungendum est, antea utiliter incipi possit aetate qua constitutiones sint contentae. Nec privilegia contraria revocantur. Neque, contra ac putat FANFANI, 193, id infirmatur quia acta S. Sedis et ipse c. 555 *supponant* primum annum peragi ut *canonicum*, seu canonibus praescriptum. Nobiscum SCHÄFER, *De religiosis*, n. 220, p. 284.

627. - III. « Qui religionem ingrediuntur vi, metu gravi aut dolo inducti, vel quos Superior, eodem modo inductus, recipit ».

Metus iustus hic ab iniusto non distinguitur, nec in candidato, qui numquam iuste cogi posse videtur, nec in Superiore. Sufficit autem metus comparate seu

relative gravis, seu qui, in persona quae consideratur, magnam animi trepidationem induxisse demonstratur. Definitur enim metus : instantis vel futuri periculi causa mentis trepidatio (L. 1, D. IV, 2). Observes autem in iure non considerari nisi metum qui ab extrinseco, et quidem per causam liberam incussus sit : non ergo, v. g. timor vindictae divinae fulgure, terrae motu (secus si vivida hortantis repraesentatione) incussus.

Sanctio ista iuris positivi, quae, ante Codicem, solam protegebat professionem sollemnem, voto naturae omnino consentanea est.

Dolus porro non est quodlibet mendacium, sed, in iure romano, describebatur : « omnis calliditas, fallacia, machinatio, ad circumveniendum, fallendum, decipiendum alterum adhibita » (L. 1, § 2, D. IV, 3). Oportet igitur ut fallaces artes ad fallendum alterum usurpatae sint. Sic candidatus qui qualitates, valetudinem, bona mentiatur ut obtineat ingressum quem secus ipsi negatum iri merito formidat, vel qui consulto vitia dissimulat quae redhibitoria esse suspicatur, dolum commiserit quo irrita fiat eius receptio. Si autem momentum quaestionis ipsi factae per se non appareat, mendax candidati responsum ad dolum constituendum non sufficit, nisi de isto momento monitus fuerit. Quare valde opportunum est aspirantes de impedimentis ingressus et de vi simulationis vel dissimulationis accurate certiores facere.

Observes demum aeque invalidam fore receptionem sive ipse candidatus sive Superior metum gravem vel dolum passus sit ; nec referre quoque quis vim intulerit vel deceperit : sitne candidatus an Superior, an extranea persona.

628. - IV. « Coniux, durante matrimonio ». Absoluta igitur dispositione,—suppressa distinctione consummati et non consummati matrimonii, ingressus qui fiat consentiente vel invita altera parte, — aditus ad religionem coniugi praecluditur, antequam matrimonium solutum fuerit.

Et ratio est in promptu. Propter discidium inter ius canonicum et plerasque leges civiles, plerumque alteri coniugi integrum manet revocare e claustris coniugem etiam secuta professione sollemni. Quare S. Sedes dispensationem non concedet nisi prudenter sibi constet nihil huiusmodi timendum esse.

Solo autem matrimonio seu sponsalibus de praesenti, minime sponsalibus de futuro vel viduitate receptio in religionem impeditur.

629. - V. « Qui obstringuntur vel obstricti fuerunt vinculo professionis religiosae ».

Ipso naturae iure nequit ille qui praesentis professionis vinculo in aliqua religione tenetur, propria voluntate se disponere ad aliud contrahendum, non magis quam, durante matrimonio, alia sponsalia de futuro permittantur. Id tantum iure positivo licitum fieri potest. Ultra autem procedens canon, inconstantes quoque, qui actu liberi sint, beneficio vitae religiosae arcere cogitat. Et quia lex non distinguit, dispositio valet aeque de iis qui perpetua et de iis qui sola temporali obligatione tenentur vel tenebantur ; respicitque tum aliam religio-

nem, tum eandem ad quam pertinuerit. Haec una condicio impedimento necessaria est, ut prior professio valida fuerit.

Probe tamen secernendus est casus professi qui dimittitur vel dispensatur, a causa eius qui ad aliam Congregationem legitime transit. Formalis iste transitus, de quo infra agetur, olim proprius erat professorum votorum sollemnium, dum nunc in omnibus professis observandus est. Professis enim votorum simplicium non iam per votorum dispensationem et assumptionem in aliam religionem consulitur.

630. - VI. « Hi quibus imminet poena ob grave delictum commissum, de quo accusati sunt vel accusari possunt ».

Ex ipsa rei natura, arcendi sunt *infames* et *criminosi*, i. e. ii quibus ob gravia delicta luenda est vel imminet magna poena : hac purgata, ingressus patet, nisi permanens infamia obstiterit.

Iure positivo, Sixtus V, CC. *Cum de omnibus* et *Ad Romanum spectat* (1) religione excludebat viros qui homicidii, furti vel similis delicti damnati sint, aut de huius crimine, accusatione iudiciali quae actibus publicis constaret, accusati erant. Sanctionem nullitatis Clemens VIII, in C. *In suprema* (2) sustulerat.

Sanctio nullitatis Codice restituta est ; sed eos solos attingit « quibus poena imminet », i. e. qui non in remoto sed in proximo poenae periculo versantur. Poena autem tam laici quam ecclesiastici tribunalis, ut ipsa ratio legis demonstrat, hic consideratur. Porro poena imminere debet ob grave delictum commissum. Delictum supponit legem poenalem legitime latam ; delictum commissum non est nisi ab eo qui vere culpandus sit. Hodierno autem iure plerarumque legum, et nunc ipsius Codicis c. 1934, accusatio proprie talis iam nequit fieri a privatis viris, sed promotori iustitiae reservatur.

631. - VII. « Episcopus sive residentialis, sive titularis, licet a Romano Pontifice sit tantum designatus ».

Ratio impedimenti pro episcopo residentiali qui sedem suam iam occupat, petitur ex vinculo spiritualis conubii quo episcopus suae sedi astringitur ; pro episcopo titulari vel designato residentiali, ex reverentia exhibenda Vicario Christi, qui persona quam promovet uti cogitat in bonum Ecclesiae : a qua nobili missione non decet ut, sine ipsius Pontificis licentia, quisquam se subtrahat.

Designatio autem quae impedimento originem dat, iam ante praeconizationem in Consistorio habetur, quando actu authentico, etsi non publico, S. Sedes cuipiam notificat ipsum a Pontifice ad hunc vel illum episcopatum, residentialem vel titularem vocatum esse. Nullatenus autem, sive electione capitulari, sive praesentatione patroni, sive designatione Gubernii, impedimentum istud creatur.

---

(1) Cf. Vermeersch, *De religiosis*, etc. II, nn. 24. 25, p. 90. ss.
(2) Cf. *De relig.*, II, p. 101.

Episcopum qui cathedra sua se legitime abdicaverit et nullius ecclesiae titulum ferat, prohibitione iam non teneri per se perspicitur.

Impedimentum episcopi residentialis, post munus susceptum, videtur esse iuris naturalis, et natura sua dirimens. Ultra extensum, iuris est tantum positivi.

632. - VIII. « Clerici qui, ex instituto S. Sedis iureiurando tenentur operam suam navare in bonum suae dioecesis vel missionum, pro eo tempore quo iurisiurandi obligatio perdurat ».

Ratio impedimenti est contraria obligatio suscepta.

In Urbe, ex pontificia ordinatione, alumni plurium collegiorum ecclesiasticorum, mox post receptionem in collegium, iuratam promissionem facere debent qua, post peracta studia et susceptum sacerdotium, per aliquot annos, v. g. per tres, missioni suae vel dioecesi suae inservient ; nec religionem, nisi ex S. Sedis facultate interea ingredientur. De his, in hoc canone, potissimum agitur, non autem de iis qui ad normam canonis 981, titulo missionis vel servitii dioecesis, subdiaconatu aucti sunt (1). Lex enim seu ius commune aliud est atque *institutum S. Sedis*, de quo in praesenti canone ; et canon temporale impedimentum supponit, dum titulus perpetuum iusiurandum exigit. Formula tamen tituli missionis ingressum in religionem beneplacito apostolico obnoxium efficit. Iureiurando autem servitii dioecesis, ingressus in religionem minime excluditur. Clericis enim dioecesanis ingressus in religionem ex iure canonico, et quadantenus ex iure divino patet. Perpetuum autem servitium dioecesis promittitur, ut compenset perpetuum ius ad alimenta, sed legitima tituli commutatio non prohibetur. Iam vero, qui religionem ingreditur religione aletur et alium titulum acquiret. Intentioni ergo iurisiurandi est satisfactum etiam per ingressum in religionem. Praeterea, religiosus sacerdos plerumque non inutilem dioecesi operam impendet. Denique ingressum in religionem prudenti S. Sedis arbitrio committi, id intellegitur ; formula autem absoluta non videtur excludi posse.

Minus etiam obstat si seminarium, in alendo clerico, sumptus aliquos fecerit. Nisi enim, conceptis verbis, in ipsa census (bursae) constitutione aliter et legitime cautum fuerit, seminarista communi iure regitur ; iure autem illo ingressus permittitur. Id confirmatur responso S. C. C. 26 febr. 1695 (2). — Nec per se, qui inter studia ad propositum capessendae religionis devenerit, id episcopo vel Superioribus manifestare debet. Namque haec est ex iure communi seminaristarum condicio, ut publicis impendiis instituantur ; et tamen, ex eodem iure, integrum ipsis est religionem ingredi. Cf. de hoc clericorum iure, c. unic. C. XIX, q. 1 ; c. 1 eodem, q. 2 ; et eiusdem quaest. c. 2 (dubiae authentiae secundum Berardi) ; BENEDICTUS XIV, lit. *Ex quo dilectus*, 14 ian. 1747, qui late de hac re (in nostro *De religiosis*, II, n. 21). Resp. S. C. *Ep. et Reg.* 21 iul. 1837, ad 2 (*De religiosis*, II, n. 22) et nunc, cc. 538 et 542, 2°. Cf. quoque NILLES, *De libertate clericorum religionem ingrediendi*.

Quatenus receptio invalida declaratur, sanctio ista est iuris positivi humani.

(1) Ita etiam SCHAFER, *De religiosis*, 220 8 p. 269.
(2) Cf. MONACELLI, *Supplementum formularii*, t. 2, n. 108.

633. - Vis iuris anterioris. Quae aliis decretis generalibus statuebantur impedimenta receptionis nunc Codice sunt sublata. Quod ad receptiones iam factas, hae, ex iure tunc vigente aestimandae sunt ; nec suppressio impedimenti iam efficit ut ipso facto receptio convalidetur, nisi pars, conscia impedimenti, consensum debite renovaverit, ut postea explicabitur.

B. IMPEDIMENTA PROHIBITIVA

Illicite sed valide admittuntur ex c. 542, 2° :

634. - I. « Clerici in sacris constituti, inconsulto loci Ordinario, aut eodem contradicente, ex eo quod eorum discessus in grave animarum detrimentum cedat, quod aliter vitari minime possit ».

Solis igitur *clericis in sacris* imponitur obligatio, non quidem (contra atque existimant R. P. Maroto et Augustine in h. c.) obtinendi assensum episcopi sed eum consultum adeundi. Consultus enim dicitur qui rogatur consilium; inconsultus est a quo consilium non est petitum (1). Et ipse canon indicat solum casum in quo episcopus ingressum impedire potest. Contradicenti episcopo clerici in sacris tunc obtemperare debent, si haec concurrant : *a*) ut discessus animis graviter noceat: quod positivum damnum supponit ; *b*) ut damnum aliter vitari nequeat. Ita etiam Creusen, 146 ; Schafer, *De religiosis*, 221.

Benedictus XIV citatis litteris *Ex quo dilectus*, existimabat difficile fore episcopo ut in casibus particularibus ius suum persequeretur, cum clericus ei periculum propriae salutis in saeculo obicere posset (Cf. S. Alph. IV, 75. 76). Episcopus tamen ipse obicienti reponere posse videtur verba Apostoli : « Non patietur Dominus vos tentari supra id quod potestis, sed faciet ipse cum tentatione proventum » (I Cor. 10, 13).

Iudicium de isto detrimento per se ad episcopum spectat, salvo recursu ad S. Sedem.

635. - II. « Aere alieno gravati qui solvendo pares non sint ».

De impedimento quod debita pecuniaria creant, sive ex iure naturali sive ex iure positivo, non levis movebatur quaestio, de qua in n. 149 nostri primi tomi *De religiosis*. Cum S. Alphonso, IV, 71, ex iure naturae existimavimus, debita ante ingressum prius solvenda esse, nisi debitor nimio incommodo excusetur. Nimium incommodum autem esse potest sive diuturna dilatio, quae ultra tres annos protrahenda sit, vel probabile periculum peccatorum aut amittendae vocationis. Iure autem positivo repellendi erant qui, ob gravem suam culpam, aere alieno opprimebantur, saltem si qua spes solutionis in saeculo affulgebat.

Visum nunc est legislatori absolutam prohibitionem promulgare, quae cum iam recepta iurisprudentia Curiae Romanae satis congruit. (Cf. Wernz, III, 628, 6.)

(1) Cf. v. g. Forcellini.

Aere alieno autem gravati sunt quotquot solvendo pares non sunt et actioni in foro iudiciali sunt obnoxii. Non ergo gravati censentur qui vel amica compositione, vel bonorum cessione vel ipsa fori cessione ab omni creditorum vexatione immunes sunt ; nec, ut videtur, qui praescriptionis exceptione, quamvis fortasse debitum in conscientia subsistat, creditores repellere possunt. Hi omnes, inquam, vim praesentis canonis effugiunt, ita ut impedimentum, si quod sit, aliunde originem trahat.

Nec ingressu prohibentur qui assensum creditorum obtinent, si inde satis securi in foro externo esse queant.

Perpendendum praeterea erit, ut liquet, utrum eorum ingressus cum bona religionis fama componi queat necne.

636. - III. « Reddendae rationi obnoxii aut aliis saecularibus negotiis implicati, ex quibus lites et molestias religio timere possit ».

Constitutione SIXTI V *Cum de omnibus*, quam, sublata nullitatis sanctione, CLEMENS VIII, C. *In suprema* confirmavit, ingressu prohibebantur quotquot privata vel publica causa *litigiosam* rationem temporalis administrationis, v. g. tutelae reddere debebant. Id, praesenti canone, ad summam confirmatur ; nisi quod, attenta littera Codicis, minus molestiae personae obligatae quam religionis considerandae sint. Verum, plerumque lis religioso intenta molestiam religioni creabit.

Atque etiam si lites vel molestiae non sint timendae, consulendum per se erit, ad maiorem noviciatus utilitatem, ut sua quisque negotia prius componat, ac rationes reddat, quam religiosae vitae initium det.

637. - IV. « Filii qui parentibus, i. e. patri vel matri, avo vel aviae, in gravi necessitate constitutis, opitulari debent ; et parentes, quorum opera sit ad liberos alendos vel educandos necessaria ».

Codex, hoc loco, ratam habet obligationem naturalem qua filii patrem et matrem honorare iubentur, atque, ex ipsa pietate, iisdem in necessitatibus adesse debent. Huiusmodi obligatio, quando graviter urget, posthaberi nequit ad exsequenda opera quae mere sunt consilii. Codex praeterea declarat, nomine parentum non solos immediatos sed etiam mediatos venire. Namque, quod expressis verbis de avo et avia profert, valere arbitramur de casu rariore, ubi proavus vel abavus necessitate prematur.

Quid sit *gravis necessitas*, SUAREZ accurate perpendit (1). Tali necessitate premi dicitur parens qui, nisi filius opem ferat, cogetur incommoda pati vel dedecus quae, pro condicione sua, existimantur vere notabilia et talia quibus magno afficiatur luctu.

(1) *De Religione*, tr. 7, l. 5, c. 5, n. 10-32.

Unde non ideo se liberum filius existimare potest, eo quod parens hospitio communi reciperetur, si, pro parentis condicione, hoc nimis durum appareat. Si vero propriae condicioni aptetur, subiectiva aversio parentis obligationem non creat. Multo minus huiusmodi difficultas iustam causam filio dabit deserendi vitam religiosam quam iam amplexatus sit.

Et hoc quidem de necessitate quae ingressum illicitum faciat, etiam si filius voto se astrinxerit religionem ingrediendi. Praeter illam vero est minor necessitas quae, etsi proprie non obstet, hoc tamen efficit ut, secundum prudentum existimationem, consultius sit propositum religionis differre aut non exsequi, ita ut etiam sit iusta causa cur votum ingrediendae religionis dispensari ab habente facultatem possit.

Huc etiam pertinere videtur subdifficilis quaestio de necessitate ordinis moralis vel spiritualis quae parentes iam afficit vel afficiet, si filius vel filia religioni nomen dederint. In his adiunctis, plura prudenter perpendenda sunt : genus et causa necessitatis parentum, quae potest esse involuntaria. aut ab impietate vel a fragilitate proficisci ; detrimentum spirituale filii vel filiae ; ipsa vocationis ratio (ad vitam contemplativam, apostolicam) et gradus plus vel minus urgens ; effectus aedificationis aut scandali ex ingressu secuturus. Prudens consiliarius plerumque omnia quasi componere et conciliare pacifice tentabit. Nodi solutio interdum esse potest non nimia dilatio, vel etiam nomen datum societati a S. Sede probatae, quae vota religiosa cum vita in domo paterna coniungere sinit. Denique tandem, in consiliis dandis, semper magis inclinare animo debemus in ea quae a Christo ut meliora proposita esse novimus.

De necessitate *fratrum* et *sororum* tacet Codex. Ad ius itaque naturale reicimur. Plerique in extremam fratrum aut sororum necessitatem transferunt quod Codex de *gravi* parentum necessitate pronuntiat. Hic etiam casus occurrunt, ubi filia maior natu, mortua matre, a divina Providentia educandis fratribus et sororibus ita destinata videtur ut, quamvis nulla stricta obligatione teneatur, laudabili tamen consilio pie in saeculo remanere possit.

Ipsa obligatio erga parentes solos filios tenet qui in saeculo opem ferre queant qua in religione prohibeantur ; eaque dispensantur qui parentibus non possint auxiliari sine extraordinario peccandi periculo, maxime cui parentes occasionem dederint. Deum enim plus quam parentes diligere possumus et debemus.

Gravis parentum necessitas, cui aliter occurri nequeat, iustam causam dat religioso petendi commorationem extra claustra, vel etiam, si opus sit, dispensationem a votis. Ob solam extremam et indubiam necessitatem habet obligationem ita agendi.

Parentes, cum *per se* sint filiis necessarii, graviore impedimento detinentur, nisi apte providerint filiis instituendis et secundum suam condicionem alendis.

633. - « Ad sacerdotium in religione destinati, a quo tamen removeantur irregularitate aliove canonico impedimento ».

Haec vis isti canoni inesse videtur, ut irregularitas vel canonicum impedimentum prius dispensatione vel aliter removendum sit quam

candidatus licite in religionem admitti possit. Non vult enim legislator ut Superiores iudicium S. Sedis praevertant, futuram dispensationem praesumendo.

Prohibitio tamen non afficit irregularitatem quae per ingressum in religionem aut per professionem ex privilegio aut iure communi tollatur. Sin aliter, quo spectaret ista iuris dispositio vel istud privilegium? Sic, ex c. 984, sollemnis professio defectum natalium sanat. Quare in novicios clericos cooptari poterit qui, etsi defectu natalium laboret, sollemnem ante ordinationem emittet professionem. Cf. SCHÄFER, *De religiosis*, n. 221, p. 273; FANFANI, 180, p. 203.

Immo, nostra sententia, non obstant impedimenta quae certo sublata erunt quando ordines suscipi debebunt. Secus dicendum foret recipi non posse in religionem qui ordinarium militare servitium nondum expleverint, cum, ex c. 987, illi impediti sint: hoc tamen menti legislatoris et usui cotidiano nimis repugnare ab omnibus cernitur.

Quare, *ex hoc capite*, non prohibentur ingressu qui mox reddituri sunt rationem administrationis clericis vetitae; servi qui mox libertate donandi sunt; qui, ante ordinationem, ordinarium servitium militare explebunt.

Ac si Ordinarius declaret se pro sufficienter probato habiturum neophytam qui ad vota perpetua pervenerit, talis quoque neophyta recipi poterit (Cf. c. 987, 6).

Quid autem si quis *corpore vitiatus* sit ad sacerdotium non autem ad alios ordines recipiendos? Supponas, v. g. virum cui in recenti bello brachium gloriose amputatum sit? Possitne ea intentione recipi ut in diaconatus gradu sistat?

Obstat c. 973, qui vetat quo minus inferiores ordines conferantur illi qui propositum non habeat ascendendi ad presbyteratum.

Quare facultas S. Sedis impetranda erit. Haec interdum ipsum sacerdotium in praedicto casu non excludet.

639. - « Orientales in latinis religionibus, sine venia, scripto data, S. C. pro Ecclesia Orientali ».

Orientales hic sunt qui ad ritum Orientalem pertinent.

Iam antea, decreto 1 iunii 1885, religiones latinae Orientalem ad statum clericalem recipere sine S. Sedis assensu prohibebantur.

Universalior autem prohibitio non exstabat, quamvis litterae 15 iun. 1912 Em. Praefecti S. C. *Prop. Fidei* maiorem supponere videantur. Cf. quae exposuimus in *Per.* VI, n. 596, p. 243-246. Verum litterae istae stilum induxerunt qui nunc clara Codicis dispositione firmatur. De Orientalibus in suis regionibus specialia decreta sollicitudinem gerunt.

Sine tamen ista venia, licite in religionibus latini ritus admitti possunt ad noviciatum orientales qui, proprio retento ritu, praeparantur ad constituendas domus et provincias religiosas ritus orientalis. *Comm. I. C.* 10 nov. 1925, ad VI. AAS, XVII, 1925, 582; *Per.* XIV, 177, 184.

640. - Quid agendum, si quis *indebite* receptus fuerit?

Impedimento *substantiali* affectus non semper expellendus erit, si vitium vel per se, v. g. minoris aetatis, vel per consensum liberum

eius qui metu vel dolo coactus fuerit, vel per dispensationem a S. Sede auferri potest. Quae dispensatio etiam pro religione dioecesana a sola S. Sede per se obtineri potest. Donec autem impedimentum sublatum non fuerit, formaliter novicius esse nequibit. S. Sedes tamen male peractum noviciatum ratum habere potest.

De *illicite* admissis nulla lex positiva quidquam praecipit. Proin, de debitore qui aes alienum solvendum habeat, de filiis qui parentibus opitulari debebant, stari poterit iure naturali.

Episcopus eos clericos ante vota revocare poterit quibus ingressum, non autem professionem, efficaciter negare poterat.

De irregularibus aut impeditis, satis erit ut ante ordinationem dispensationem petant.

Male demum recepti Orientales manere posse videntur. Ipsae enim litterae 15 iul. 1912, quae conqueruntur de illicite receptis Orientalibus, nihil ipsis positive faciendum imponunt.

641. - **De omissa** impedimenti **declaratione.** Declaratio impedimenti *bona fide* vel *malitiose* omitti potest ; afficit autem *substantiale* vel *prohibens* impedimentum.

Si ex lege generali vel probatis constitutionibus impedimentum *substantiale* reticitum fuerit, constat cooptationem irritam fuisse, nullumque ius sive religioni sive candidato acquisitum esse. Res, post detectum errorem, attenta erroris causa et effectu, ex aequo et bono componetur.

Observes tamen ipsa impedimenta substantialia *absolute* vel *deminute* talia esse posse. Absolute substantialia validam receptionem et professionem simpliciter ac pro semper excludunt. Deminute substantialia vel a competente Superiore dispensari possunt, vel cessant ipso facto, v. g. post sollemnem professionem. Ita, in Societate Iesu, Praepositus Provincialis, non autem Generalis, potestate caret admittendi candidatos qui nondum quintum decimum aetatis annum expleverint vel quinquagesimum superaverint.

Si vero candidatus impedimento *mere prohibente* retinebatur :

Voluntaria impedimenti dissimulatio graviter quidem culpanda est ; et, si dolus causa fuerit receptionis, haec iure positivo, ut supra vidimus, nulla est. Si causam non dederit receptioni, haec quidem valida est, sed culpa, pro gravitate sua, legitimae dimissioni locum dare poterit.

Inculpanda omissio valori receptionis non obstat. Si autem error inde proficiscens, causam receptioni dederit, permittet Superioribus ut, re integra, i. e. durante noviciatu, receptum candidatum dimittant. Post vota autem facultate sua dimittendi *ideo* uti non poterunt, nisi vel consentiente professo, vel ipsum indemnem praestando, si id fieri possit.

Haec ex generalibus iustitiae praeceptis mutuamur. Error mere concomitans ubi imputandus non sit, nihil operatur.

Quantum certa placita rem istam faciant impeditam, videsis apud Pellizari *Manuale regularium*, I, tr. 3, c. 2, n. 31. 32.

§ 2. DE SUPERIORE ADMITTENTE

642. - Iure superiore, constitutiones definiebant in Ordinibus virorum modum admissionis, qui, apud antiquos Ordines, fiebat per

actum capitularem, vel saltem per coetum religiosorum cum Superiore. In Congregationibus virorum, admissio pertinebat ad praesides Instituti vel provinciae, cum quadam Consilii participatione. In Italia tamen et insulis adiacentibus, ex decr. *Regulari disciplinae*, 25 ian. 1848 (1), candidati viri duplici scrutinio examinatorum provincialium et generalium probari debebant. Receptio monialium fiebat plerumque capitulariter ; noviciae Congregationum religiosarum plerumque per Superiorissam generalem vel provincialem cum participatione Consilii cooptabantur.

S. Pontifex autem, tamquam supremus Superior, ius habebat et necessario servat novicios in omnem religionem admittendi. Praeterea, C. *Conditae* Ordinario loci (ubi domus noviciatus exstabat) facultatem tribuebat novicios in religionem dioecesanam admittendi; salvo tamen, ut nobis videbatur, iure quaesito quod ex approbatis constitutionibus Superiores propriae religionis haurire poterant. Apud moniales votorum sollemnium, usus interdum erat ut assensus episcopi ad suffragium monialium accedere deberet (Cf. VERMEERSCH, *De religiosis*, etc. I, 176. 177).

Praesenti iure **c. 543** admissio noviciorum universaliter tribuitur Superioribus maioribus, cum suffragio Consilii seu Capituli « secundum peculiares cuiusque religionis constitutiones ».

Ni fallimur, postrema canonis verba hanc vim *directe* habent permittendi constitutionibus ut definiant : *a*) cuinam Superiori maiori cooptatio competat ; *b*) utrum fiat cum interventu Capituli an Consilii ; *c*) determinandi quoque, sitne suffragium Capituli vel Consilii consultivum tantum, an etiam deliberativum : verum id quatenus ipse Codex rem non definierit, sicut, c. 575, § 2, rem ordinat pro prima professione temporaria et pro perpetua.

Igitur, cum de cooptatione in noviciatum nihil addatur, suffragium hanc solam et omnem necessitatem habebit quam postulant constitutiones. Ita etiam FANFANI, 194 ; SCHAFER, *De religiosis*, 223; BASTIEN, n. 98, 2.

Integrum praeterea monet ius S. Pontificis, quem, c. 499, § 1 supremum Superiorem renuntiat. Nullo autem canone Ordinarius loci tamquam Superior maior religionis dioecesanae agnoscitur. Ideo neganda ipsi videtur, nisi detur constitutionibus, facultas cooptandi novicios, invitis propriis religionis Superioribus. Sed pro ratione qua religio dioecesana ipsi subiecta est, receptione candidati efficaciter prohibere posse videtur.

§ 3. POSITIVE REQUISITA

Distinguemus ea quae *communiter* in omnibus religionibus requiruntur, ea quae *propria* sunt religionum *virorum*, et ea quae *ad solas mulieres* pertinent.

---

(1) Cf. VERMEERSCH, *De religiosis*, etc. II, n. 34, p. 113-119.

I. REQUISITA COMMUNIA

643. - 1. In quavis religione, omnes aspirantes, antequam admittantur, exhibere debent testimonium recepti baptismatis et confirmationis (c. **544**, § 1).

Paragraphus ista videtur, iam ante ipsum postulatum, authenticum documentum utriusque recepti sacramenti postulare. Utrumque, sine negotio, plerumque a parocho baptismi obtinebitur (Cf. c. 470, § 2). — Haec tamen, ut opportune monet Augustine, in nota, praescripta sunt pro temporibus normalibus. Fieri enim potest ut, v. g. propter interruptas communicationes postales, litterae tempestive haberi nequeant, et dilatio ingressus damnosa vel saltem graviter onerosa fiat candidato ceterum idoneo, vel ipsi religioni ; fieri potest ut libri destructi sint ; fieri potest ut candidatus, nondum confirmatus, in certis regionibus, occasionem confirmationis non habiturus sit, nisi post plures annos. In his adiunctis, accurata et prudens iuris observatio cum noto principio « Lex non obligat cum nimio incommodo » videtur componi posse. Quare, si persona candidati sit omni exceptione maior, ita ut nullum dubium sit de eius baptismo vel confirmatione, iam poterit tuto admitti ante receptas litteras quae nimis diu exspectandae forent, sed quae tamen petendae erunt. — Si libri perierint, ita ut scriptum testimonium haberi nequeat, fiat coram Ordinario loci, vel, si agatur de religione clericali exempta, coram Ordinario religionis, iuridica probatio baptismi et confirmationis, secundum c. 776 et 800. Si demum nondum sit confirmatus, nec occasio confirmationis detur nisi post notabilem et damnosam vel onerosam dilationem, videtur aspirans, per epikeiam admitti posse. Moralis enim obligatio recipiendi confirmationem non est nisi levis, nec urget christianos nisi cum occasio habetur, ita ut ne grave quidem existiment recipere ordines sacros ante confirmationem. Cur ergo deberet differri tantum bonum, quantum est vita religiosa, ei qui, sine culpa sua, sacramentum confirmationis statim obtinere nequit ? Verum curandum erit ut nulla occasio neglegatur. Nobiscum Schäfer, Op. c. p. 160, vel *de religiosis*, 225.

644. - 2. Requiritur diligens informatio de indole et moribus aspirantis. Obligatio enim ista iuris naturalis, quae expresse, c. 544, § 7 mulieribus imponitur, pro viris nullatenus perimitur, quia lex specialem modum iniungit opportunas informationes obtinendi. Quare, ut ei officio satisfacere queant, c. 544, § 6 facultatem dat Superioribus alia testimonia exigendi.

Itaque, si litterae ex iure praescriptae non sufficiant, oportet ut alia via Superiores de candidati dotibus certiores se reddant.

645. - 3. Semper pro viris et saepe pro mulieribus petendae sunt *litterae testimoniales*. Ut de litteris istis in genere prius dicamus, sunt dandae *gratis* ; sunt dandae, non ipsis aspirantibus, sed *Superioribus* ; sunt dandae sigillo clausae, *intra trimestre spatium* ab earum requisitione. Nihil prohibet quin ipse candidatus easdem postulet ; iuridica tamen postulatio, quae obligationem parit, facienda est a Superiore vel maiore vel domus noviciatus. Omnes autem qui tales informationes receperint *stricto silentio* adiguntur cum de personis quae

litteras vel informationes dederunt, tum de ipsis notitiis habitis (c. 546). Observes ista lege servandi secreti conscientiam obligari.

« In suis litteris testimonialibus, postquam diligentem investigationem etiam per secretas notitias instituerint, referre debent, graviter eorum conscientia onerata super veritate expositorum, de aspirantis natalibus, moribus, ingenio, vita, fama, condicione, scientia ; sitne inquisitus, aliqua censura, irregularitate aut alio canonico impedimento irretitus, num propria familia eius auxilio indigeat » (c. 545, § 4).

Si ob graves rationes indicaverint se litteris requirentibus informationes respondere non posse, causam Sedi Apostolicae, intra trimestre spatium a requisitione exponant (c. 545, § 2).

Si reposuerint aspirantem satis non esse sibi cognitum, per aliam accuratam investigationem et fide dignam relationem Superior religiosus suppleat : si vero nihil reposuerint, Superior requirens, de non recepta responsione S. Sedem certiorem reddat (c. 545, § 3).

646. - Iam vero, in admittendis illis qui in seminario, collegio vel alius religionis postulatu aut noviciatu fuerunt, tam pro viris, quam pro mulieribus, requiruntur litterae testimoniales, datae et *iuratae*, pro diversis casibus, a rectore seminarii vel collegii, audito Ordinario loci, aut a maiore religionis Superiore (cc. 544, § 3 et 7 ; 545, § 1).

Seminarium est proprie institutum clero dioecesano educando et litteris, prius profanis et dein sacris, erudiendo deputatum, ita ut vox cum maiora tum minora seminaria complectatur.

Collegium, attento usu vocis in Urbe, designat omnem communitatem non religiosam convictorum alterutrius sexus, sub Superiore dirigente constitutam. Ipsi igitur convictus in quibus adulescentes omnis inclinationis ad humanitatem indiscriminatim admittuntur, ipsa conservatoria puellarum, inter collegia ponuntur. Si tamen, praeter contubernales, institutum etiam ab alumnis externis frequentatur, respectu convictorum tantum, non autem externorum, est et dicitur collegium. Donec tamen authentica declaratio non intervenerit, vocem minus ample sumendam esse arbitramur de solis institutis quibus clerici, religiosi vel religiosae praeparantur. Sic etiam CHELODI, p. 411, n. 266 ; DE MEESTER, II, 994 nota 5 ; SCHAFER, p. 161 et *De Religiosis*, p. 279, n. 225 ; FANFANI, n 182 : PRÜMMER, q. 207. Etenim, *a*) canon desumptus est a declaratione S. C. *de Religiosis*, 5 april. 1910, ad II et ad IV, conferenda cum decl. 4 ian. 1910, 2, ubi clare de solis huiusmodi collegiis ecclesiasticis seu religiosis agebatur (Cfr *Per.* V. p. 98 99 et 123) ; — *b*) vox collegium ponitur inter voces seminarium et religionis postulatum, quae ambo instituta sacerdotes vel religiosos praeparant. Ac nomine collegii huiusmodi veniunt in Urbe plura instituta quae seminariis similia sunt; — *c*) aliter intellecta vox caderet etiam in convictus omnino laicos, immo acatholicos, de quibus tamen dispositio observari nequit. Quomodo rogaveris Rectorem ut Ordinarium audire, et dein ad te de iuvene iuratum testimonium mittere velit? Ipsa petitio non raro foret imprudens ; — *d*) cautio specialis testimonii iurati demonstrat agi de adulescentibus vel iuvenibus qui in aliquam suspicionem saltem mutatae voluntatis et vocationis incurrunt. Sed quaenam suspicio cadit in adulescentem qui, finitis studiis gymnasialibus et lycealibus, e suo collegio egreditur ut statum sibi eligat ? Cur, in litteris testimonialibus de his, secundum c. 545, § 4, speciatim referri debeat quanam de causa dimissi sint aut sponte discesserint ? Omnia autem bene cohaerent, si nomine collegii solam domum intellegas quae seminario aequipolleat.

In his igitur litteris testimonialibus, praeter ea quae communiter indicanda sunt, iurata ratio afferenda est de causa cur aspirantes, propositum mutantes, e collegio sponte vel inviti discesserint.

Si autem Superior religiosus vel Rector litteras iuramento firmare noluerit, « Ordinarius, si agatur de Institutis iuris dioecesani aut laicalibus, sive collegiis aut seminariis ; vel Supremus moderator, in Institutis clericalibus aut in Ordinibus regularibus, contra tales Superiores renuentes procedant, eos cogendo, etiam per poenas, usque ad privationem officii. Quod si nihilo minus litterae iuratae haberi non possint, res deferatur ad S. Congregationem ». Sic statuit S. C. *de Religiosis*, 21 nov. 1919 ; AAS, XII, 1920, 17 ; *Per.* X, 193. (In quo decreto, Instituta laicalia intellegemus de Institutis religiosorum laicorum.)

Postquam, audito Ordinario loci, litterae istae datae sint satis completae, non videtur iam necesse ut praeterea, pro eodem tempore, litterae testimoniales directe petantur ab Ordinario qui eas iam virtualiter dedit. Sic etiam AUGUSTINE, in h. c.

647. - *Exceptio.* — *Religioso* professo ad aliam religionem ex apostolico indulto *transeunti*, satis est testimonium Superioris maioris prioris religionis (c. 544, § 5), ita ut nec testimonia baptismi vel confirmationis, nec aliae litterae testimoniales requirenda sint.

II. REQUISITA IN SOLIS RELIGIONIBUS VIRORUM

648. - Litterae testimoniales pro aspirantibus viris requirendae sunt ab Ordinario originis et cuiusque loci in quo, post expletum decimum quartum aetatis annum, morati sint ultra annum moraliter continuum, sublato quolibet contrario privilegio (c. 544, § 2).

Quid sit Ordinarius *orginis*, vidimus n. 181. — Annus moraliter continuus manet, etsi non nimis diuturna absentia intercesserit. In qua re, videmur uti posse regulis traditis in Codice pro noviciatu, quatenus annum dicamus interruptum per absentiam ultra integrum mensem protractam.

Atque etiam si privilegium concessum fuerit ante Codicem, privilegium istud quod ad praesentes litteras testimoniales (non ergo quod ad litteras iuratas quae § 3 requiruntur) c. 544, § 2 revocatur.

649. - *Exceptiones.* 1. *Religioso* transeunti sufficit testimonium de quo n. 647. 2. Pro *clericis* admittendis, praeter testimonium ordinationis, sufficiunt litterae testimoniales Ordinariorum in quorum dioecesibus post ordinationem ultra annum moraliter continuum sint commorati (c. 544, § 4). Additur tamen, salvo praescripto § 3 (de iis qui in seminario etc. fuerunt) : i. e. ni fallimur, si, post ordinationem, huiusmodi instituta incoluerunt, pro illo tempore litterae iuratae dandae sunt sicut pro illis qui nondum clerici ibi dies egerunt. — 3. Die 28 iul. 1918, *Commissio de interpretatione Codicis* respondit Fratribus scholarum christianarum, pro alumnis sui « minoris noviciatus » litteras testimoniales ab Ordinario loci non esse exquirendas, pro tempore quod in ista domo vixerint. Quod traduci potest ad scholas apostolicas. Sic etiam CREUSEN, S. I. *Religieux et Religieuses*, n. 148, 3.

III. REQUISITA PROPRIA RELIGONUM MULIERUM

650. - I. De dote. *Dotis* nomine venit capitale vel bonum frugiferum alendae personae « dotatae » destinatum.

1. Dotis *obligatio*. Canone 547, monasteria monialium a religionibus votorum simplicium distinguuntur. In *monasteriis* dos afferenda est ; sola quantitas constitutionibus vel consuetudini linquitur definienda.

Cum tamen contraria consuetudo non reprobetur, centenaria non exigendi v. g. dotem a conversis, arbitrio episcopi servari poterit.

In religionibus votorum simplicium, ipsa dotis necessitas constitutionibus definitur.

Hae possunt ergo statuere ut nulla dos exigatur, ut exigatur a solis sororibus quae choro addicantur ; ut procuretur quantum fieri possit ; ut a Superiorissa maiore ob iustas causas minui possit ; ut ex legitima parte hereditatis constituatur, ac proin variet pro variis patrimoniis ; ut diploma certae habilitatis, v. g. ad docendum, locum dotis tenere possit.

Haec, incolumi iure Codicis, statui possunt ; ac re vera satis magna diversitas observatur. Non omnis tamen modus a S. Congregatione in nova religione admittetur. Ac per se postulare solet, ut minima saltem dos determinetur. Propter hodiernas difficultates oeconomicas non raro permittitur ut Capitulum *generale* definiat quaenam dos in variis Instituti domibus opportune exigi possit.

Verum, sive iure communi, sive solis constitutionibus praescribatur, dos ne pro parte quidem condonari potest sine indulto S. Sedis, si de religionibus iuris pontificii, vel sine venia Ordinarii loci, si de religione iuris dioecesani agatur. Frequenter conceduntur indulta recipiendi sine dote, pro certo numero casuum.

Observandum est de illa dotis obligatione, per eam non tantum sufficientibus reditibus Instituti provideri, sed etiam honestae sustentationi monialis aut sororis, si ob aliquam causam communi vitae religiosae renuntiet. Et sic levari potest onus quod aliter Instituto satis saepe ferendum foret, suppeditandi alimenta sorori discedenti. Quare, in hodiernis adiunctis cura de congruenti dote valde suadenda est. Si vero dos ad rationabilem subsidii caritativi, discedenti sorori tribuendi, aestimationem non pertingat, religio quod desit supplere debet (Resp. S. C. *de Religiosis*, 2 mart. 1924 ; AAS, XIII, 1924, 165).

N. B. Nihil autem prohibet religiosam quin regimini dotis, annuente Superiorissa, subiciat maiorem summam quam quae pro dote afferri debebat. Idem implicite tenent FANFANI, n. 168 ; SCHÄFER, *de Religiosis*, n. 228.

651. - Dotis *consignatio, conservatio, administratio*. 1. In monasteriis monialium, dos, ante habitus susceptionem monasterio tradenda est, vel saltem, forma quae civiliter valida sit, debet eius traditio tuta reddi.

Ita c. 547, § 2. Quae paragraphus, cum eam praecedat ubi de religionibus votorum simplicium agitur, has stricte non afficit, ita ut etiam ad constitutiones spectet, consignationis tempus et modum definire. Plerumque eadem regula ac pro monialibus statuetur et a S. Congregatione imponetur.

In pluribus autem locis non adeo facile erit modum reperire quo traditio dotis civiliter tuta reddatur. Monasteria enim, qua talia, in pluribus regionibus minime agnoscuntur. Caput tamen in hac re est ut qui dotem promiserit promissionem revocare iam nequeat. Ac proin clausulae substantialiter satisfactum videtur

si tuta reddatur traditio facienda Superiorissae vel personis quae monasterium civiliter possident.

2. Dotes accurate *conservandae* sunt. Nullo casu, ante obitum religiosae cui dos applicata est, impendi possunt, ne ad aedificandam quidem domum, aut ad aes alienum exstinguendum (c. 549). Quare statuit c. 550, § 2 : « Ordinarii locorum conservandis religiosarum dotibus sedulo invigilent : et, praesertim in sacra visitatione, de eisdem rationem exigant ». Exceptio a sola S. Sede permitti potest.

Etiam tamen hic, casus urgentes incidere possunt ubi valet istud : « necessitas non habet legem ». Tunc saltem cavendum est ut quam primum dotes denuo constituantur.

3. Dotes simul *caute, integre* et *fructuose administrandae* sunt. Quare c. 549 et 550, — *a*) administrationem committunt monasterio ; vel, si agitur de religionibus quae Superiorissas maiores distinctas a localibus habent, subtracta administratione locali, volunt ut ferantur apud habitualem residentiam Superiorissae generalis aut saltem provincialis ; — *b*) post primam religiosam professionem, nisi collocatio ista iam antea facta sit, dos in tutis, licitis ac fructiferis nominibus collocetur ab Antistita cum suo Consilio (i. e. ex n. 194, II, 2, ipso saltem audito) de consensu Ordinarii loci et Superioris regularis, si domus ab aliquo Superiore dependeat. Severius BIEDERLACK, n. 79 ; SCHAFER, *de Religiosis*, n. 229, p. 288, postulant ut Superiorissa agat de *consensu* Consilii sui.

Quid, si tres qui consentire debeant (Antistita, Ordinarius et Superior regularis) sententia differant nec concordari possint ? Non restat tunc nisi ut pro remedio ad S. Sedem recurratur.

Cum imperata collocatio in nominibus hodie non raro facta sit periculosa, nonne consentiente Ordinario cum Superiorissa, aliam collocationem fructuosam et magis tutam eligere licebit ? Ita ex rationabili epikeia fieri posse immo interdum debere, censemus.

652. - Dotis *restitutio*. 1. Quocumque tempore, ob quamcumque causam monialis vel religiosa discedat, dos « integra restituenda est sine fructibus iam maturis » (c. **551**, § 1).

Itaque, iam non, sicut ante Codicem, dos sollemni professione monasterio definitive acquiritur.

Cur fructus restitui non debeant, per se perspicitur : alendae religiosae applicati existimantur. Conservari porro possunt non soli fructus iam percepti, sed etiam *maturi*. Hi per se sunt fructus naturales qui hic et nunc regulariter colligi possunt, quamvis forte collecti non sint. Si notionem istam ad fructus civiles traducamus, maturos dicemus fructus quorum *dies* (*l'échéance*) momento discessus advenerit.

2. Si religiosa professa ad aliam religionem transeat, huic religioni, durante noviciatu, debentur fructus dotis ; emissa vero nova professione, ipsa dos isti religioni tradenda est. A die autem transitus iam

debetur dos monasterio eiusdem Ordinis ad quod monialis transierit (c. 551, § 2).

Salvum tamen esse debet praescriptum c. 570, § 1. I. e., cum pro postulatus vel noviciatus impensis nihil exigi possit, nisi id in constitutionibus vel expressa pactione caveatur, si religio ad quam soror transierit cautionem istam omiserit, nullos fructus ante professionem percipere poterit : qui fructus ergo religioni *a qua* (soror discesserit) addicti manebunt.

Si vero, post professionem temporariam, soror ad priorem religionem redierit, cum sua dote redibit.

Quid, si dos perierit ? Casus ex regulis generalibus de restitutione et debitorum imputatione (cf. n. 611) existimandus erit. Deficiente culpa, nihil dari stricte debebit. Sic etiam FANFANI, n. 171.

Nec ipsa dos sorori discedenti tradenda erit, si, ut interdum fit, ex ipsis monasterii pecuniis dos constituta fuerit. Satis tunc erit subsidium caritativum tribuere de quo postea, ubi de egressu e religione, agetur. Sic etiam CREUSEN, S. I., *op. c.* n. 152.

653. - Dotis *acquisitio.* **C. 548** dotem per obitum religiosae irrevocabiliter addicit monasterio vel religioni ; idque etiam si sola vota temporaria fecerit.

Iam ante obitum tamen dos erat religioni acquisita a prima professione : sin minus, quo iure Antistita de eius collocatione statueret ; quo iure religio eandem servaret post obitum sororis votis temporariis ligatae ? Sed ius istud condicioni resolutoriae obnoxium est : quae condicio ipso discessu sororis vel monialis advenit.

Cum Codex non magis rem determinet, constitutiones vel usus probati definient cuinam subiecto, in ipsa religione, utrum domui, an provinciae, an universae religioni dos tribuatur.

654. - Ante Codicem, dos ipsa sollemni professione irrevocabiliter monasterio acquirebatur. Pro monialibus ergo votorum sollemnium quae ante Codicem professae sint, est monasterio ius acquisitum in earum dotem, quo iure sine indulto S. Sedis spoliari nequeunt.

655. - II. De exploratione voluntatis. Urgens et extendens dispositionem Tridentinam c. 17, s. XXV, tunc latam pro monialibus quae solam professionem sollemnem faciebant, **c. 552**, de exploratione vocationis religiosarum, quaedam Antistitae, § 1 et quaedam Ordinario loci, § 2 facienda praescribit.

1. § 1 Antistita religiosarum etiam exemptarum iubetur « Ordinarium loci, duobus saltem mensibus ante certiorem facere de proxima admissione ad noviciatum et ad professionem tum temporariam tum perpetuam sive sollemnem sive simplicem ».

Antistita ea erit quam constitutiones vel usus religionis designant. Et nisi res definita sit, Superiorissa generalis curare debet ut hoc per aliquam Antistitam praestetur.

Porro Ordinarius loci *ter* certiorandus est : ante noviciatum, ante *primam*

non vero ulteriorem, professionem temporariam, et ante professionem perpetuam, sive haec simplex, sive sollemnis fuerit.

Postquam haec praestitit, Antistita suae obligationi satisfecit, nec de omissa exploratione, nec de admissione sine exploratione culpanda erit.

2. Altera paragrapho, praeceptum Ordinario loci datur ut per se, vel, si absens aut impeditus fuerit, per sacerdotem a se deputatum, « saltem triginta diebus ante noviciatum et ante professionem, ut supra » aspirantis voluntatem diligenter et *gratuito* exploret... « num ea coacta seductave sit, an sciat quid agat ». — « Si de pia eius ac libera voluntate plane constiterit, tunc aspirans poterit ad noviciatum vel novicia ad professionem admitti ».

Itaque, non ad aliud attendens quam ad piam et liberam puellae voluntatem Ordinarius vel declarabit nihil obstare, vel suum *veto* interponet.

Ius igitur istud confundi non potest cum iure admittendi, vel permittendi ingressum, quod ius episcopo non tribuitur (Cf. Wernz, III, n. 631).

Grave autem censent theologi morales omnem explorationem omittere ; qui vero unam vel alteram praetermiserit non existimatur per se gravis culpae reus. Immo, in non nullis regionibus, ante Codicem, mos invalescebat semel tantum explorandi puellarum voluntatem (Cf. Piat, I, p. 86).

Responso 18-20 mart. 1922, S. C. *de Religiosis* negavit sustineri posse antiquissimam consuetudinem exigendi taxas pro ista voluntatis exploratione (AAS, XIV, 1922, 352 ; *Per.* XI, 79).

656. - Quaeres de vi variorum decretorum quae non ita pridem a S. C. *de Religiosis* edita sunt : *Inter ea*, 30 iul, 1909, De debitis contrahendis ; *Ecclesia Christi*, 7 sept. 1909 cum declarat. 5 april. 1910, De quibusdam postulantibus non admittendis ; *In articulo*, 7 sept. 1909, De studiis ; *Quo propositum*, 15 aug. 1912, De postulatu ; *Cum de sacramentalibus*, 3 febr. 1913, De monialium et sororum confessionibus.

Ac breviter respondemus, decreta ista esse formaliter abrogata, tum quia id exigit finis Codicis, qui est ut nobis ius vigens satis complete et methodice propositum exhibeat ; tum quia argumenta ista tractantur in ipso Codice et, ex c. 22, lex posterior obrogat priori « si... totam de integro ordinet legis prioris materiam ». Quare in ep. apost. *Unigenitus*, 19 mart. 1924, S. Pontifex mere suasit ne ante finita humaniora studia candidati in novicios cooptarentur, quod vetuerat Decr. *In articulo* (Cf. AAS, XVI, 1924, 140 ; *Per.* XIII, p. 1, ss.). Denique conclusio indirecte confirmatur duobus decretis seu legibus latis ante Codicem, quas S. Sedes etiam nunc vigere declaravit. Namque S. C. *S. Officii* in urgendis decretis de modernismo, et S. C. *de Religiosis*, in confirmando decreto de servitio militari, specialem causam indicarunt cur haec decreta manerent : agi ibi de dispositionibus non permanentibus, quae in Codice praetermittendae erant. Ergo, urgenda non sunt decreta pro

quibus huiusmodi causa allegari nequit. Subsidia tamen interpretationis praebent, ut manifestum est.

Art. II. - De noviciorum ratione et institutione

Ut Codicis ordinem strictius sequamur, dicemus successive de noviciatus initio (c. 553), — loco (c. 554), — condicionibus (c. 555), — continuitate et integritate (c. 556), — habitu (c. 557), — peculiari destinatione (c. 558), — gubernatione (c. 559-563), — formali disciplina (c. 564-566), — et iuridico noviciorum statu (c. 468-571). Demum eorum vota devotionalia attingemus. Coronidis gratia genuinam noviciatus rationem exhibebimus.

§ 1. DE NOVICIATUS INITIO, LOCO, CONDICIONIBUS, CONTINUITATE, HABITU ET PECULIARI DESTINATIONE

657. - I. **Noviciatus initium.** — « Noviciatus incipit susceptione habitus vel alio modo in constitutionibus praescripto » (**c. 553**). Igitur in ea quoque religione ubi novicii proprium habitum induunt, possunt constitutiones modum diversum inchoandi noviciatum tamquam ordinarium vel extraordinarium admittere.

Ita dicimus attenta *validitate* actus. Nisi enim adiuncta peculiaria aliud exigant, canon 557 vult ut integer noviciatus peragatur in proprio noviciorum habitu.

Ea sane mente canon iste scriptus est ut prospiciat Institutis qui proprium habitum non imponunt. Quare Commissio pro approbandis novis Institutis alium modum inchoandi noviciatum ac per susceptionem habitus admittere non solet in religionibus quae speciali habitu utuntur.

658. - II. **Noviciatus locus**. Ex **c. 554**. § 1, in religione iuris pontificii, licentia S. Sedis ad erigendam domum noviciatus necessaria est; atque, ex § 2, speciali apostolico indulto opus est ut *in eadem* religionis *provincia*, plures noviciatus designentur.

Ad *mutandam* domum noviciatus nova licentia requiretur vel non requiretur, prout extra terminos concessae licentiae versemur vel non. Plerumque mutatio in eodem loco, dummodo ceterae praescriptae condiciones impleantur, sine nova licentia fieri poterit.

Domus autem noviciatus non est grancia seu villa quo religiosi se conferant rusticatum. Haec non est per se domus religiosa, ita ut sine beneplacito apostolico et venia Ordinarii loci haberi possit. Quare, sine indulto apostolico, vel facultate in ipsa venia erectionis noviciatus iam concessa, dies *integri* quos ibi novicii etiam cum suo magistro transigant, in canonico noviciatus anno computari non possunt. Sic etiam Fanfani, n. 197, Ac.; Bastien, O. S. B., *Directoire;* Creusen, S. I., *Religieux et Religieuses*, n. 164, 2. Id ex textu canonum colligendum putamus, non repudiando benigniorem interpretationem, si qua ex consuetudine habeatur.

Cum autem agitur de Congregatione monastica, quae plura continet monasteria sui iuris, singulis monasteriis ius noviciatus per se competit (Cf. Molitor, *Religiosi iuris selecta capita*, n. 330. 331). Quare, tunc tantum ad S. Sedem pro

noviciatus approbatione recurrendum erit, si in aliquo monasterio communem variis monasteriis noviciatum instituere velint.

Si religio non est divisa in provincias, non est opus speciali indulto ut plures pro variis regionibus noviciatus habeantur. Ita etiam SCHÄFER, p. 173.

Monentur autem Superiores ut in domo noviciatus et studiorum solos illos religiosos collocent « qui sint ad exemplum regularis observantiae studio » (c. 554, § 3).

659. - III. Noviciatus conditiones. Canone 555, § 1, *ad valorem* noviciatus postulatur *aetas completa* quindecim annorum ; — *annus integer* et *continuus* — idque *in domo noviciatus*. Quae condiciones etiam in religione dioecesana observandae sunt.

1. Etiam *aetas* quindecim annorum pro *solo* anno noviciatus quem Codex exigit, est ad valorem necessaria. Si ergo constitutiones longiorem noviciatum praescribant, sed minore aetate contentae sint, annus noviciatus non canonicus ante istam aetatem inchoari poterit. Sic etiam DE MEESTER, II, 991, SCHÄFER, *de Religiosis*, n. 220 p. 264. Contra FANFANI, n. 193.

2. *Annus a*) *integer* et *b*) *completus.*

a) De *integritate* anni observes, ex c. 34, § 3, 3°, annum non compleri nisi « expleto ultimo die eiusdem numeri ». Expletur autem media nocte.

Itaque, qui 15 augusti noviciatum inchoaverit, non poterit nisi adveniente 16 augusti, sed tunc qualibet hora, etiam statim post mediam noctem, primam professionem facere. Nec iam, cum nunc computatio civilis admittatur, quidquam refert annum bi-sextilem esse. Candidatus igitur, ingressus ante 29 februarii, v. g. 28 ianuarii, qui iam 27 ianuarii anni sequentis 365 dies completos in noviciatu egerit, vota non poterit nisi 29 ianuarii emittere. Qui autem, in anno bi-sextili, 28 februarii ingressus fuerit, non magis quam is qui 29 februarii noviciatum inchoaverit, poterit vota ante primam diem mensis martii nuncupare.

Si quae religiones susceptos habitus et vota moraliter simul celebrare cupiant, susceptio habitus fiat pridie sine accidentali sollemnitate, quae in posterum diem differatur.

De ista integritate et continuitate anni cf. dicenda numero proxime sequenti.

3. *In domo noviciatus.* Cf. dicta n. 658.

Altera paragrapho eiusdem canonis istud notabile monemur : « Si longius tempus in constitutionibus pro noviciatu praescribatur, illud ad validitatem professionis non requiritur, nisi in eisdem constitutionibus aliud expresse dicatur ».

660. - III. De continuitate et *integritate* anni haec canone 556 statuuntur.

1. *Interrumpitur* noviciatus, ita ut ex integro repetendus sit :

a) Si novicius *dimissus* e *domo exierit.* Antequam autem e domo exierit, retractatio seu revocatio utiliter fieri potest. Quare, etiamsi

dimissus tamquam hospes in domo permanserit, si interea per recursum ad S. Sedem vel aliter obtinuerit ut dimissio cassetur, noviciatus non est interruptus.

b) Si novicius *domum* sine Superioris licentia, *non reversurus, deseruerit.* Et quia versamur in re fori exterioris, interior intentio sola non sufficit, sed necesse est ut vel declaratione vel aliis signis voluntas satis manifesta fuerit. Sic etiam LEITNER, III, § 18, p. 376.

c) Si novicius, ultra 30 dies, sive continuos sive non continuos quacumque de causa, etiam cum Superioris licentia, extra domum permanserit.

Quia haec supputatio fit per dies, applicandus est c. 32, § 1, quo « dies constat 24 horis continuis, supputandis a media nocte ». Itaque, quot spatia 24 horarum continuatarum a media nocte ad mediam noctem novicius abfuerit, tot, nec plus nec minus, erunt dies absentiae. Nullae ergo fractiones coniungendae sunt, ita ut qui cotidie per mensem a mane ad vesperam extra saepta fuerit, per nullam diem abfuisse censendus sit ; et qui, mane profectus die lunae, redierit vespere sabbato, solos quattuor dies abfuisse dicendus sit. Sic etiam FANFANI, S. I. n. 197 ; CREUSEN, S. I., *Religieux et Religieuses*, n. 161, 2. Sunt qui velint hic uti c. 34, 2, ac proin tempus de momento ad momentum computare, neglectis tamen quae supersint partibus dierum.

2. Pro *integritate* anni id praeterea additur. Si novicius ultra *quindecim* dies, continuos vel non continuos, ex legitima licentia vel vi coactus, extra domus saepta permanserit, *sub Superioris oboedientia*, dies isti supplendi sunt ad valorem noviciatus. Si non ultra quindecim dies afuerit, « supplementum potest a Superioribus praescribi, sed non est ad validitatem necessarium » (c. 556, § 2).

Dies isti iterum, sicut modo explicavimus, computandi sunt tamquam continua spatia 24 horarum a media nocte ad mediam noctem. Addita condicio, *sub Superioris oboedientia*, non de actuali sed de habituali oboedientia intellegenda est, quae ipsa intentione novicii et Superioris habetur. Quare qui vi in carcerem detrusus sit, sub oboedientia Superioris manet, si nec Superior potestatem in novicium nec novicius subiectionem Superiori repudiaverit.

Hac occasione, monentur Superiores ne, sine iusta et gravi causa, licentiam manendi extra saepta noviciatus concedant (c. 556, § 3).

3. Eodem canone, § 4 edocemur, noviciatum non interrumpi *translatione* novicii ab una noviciatus domo in aliam, *eiusdem* religionis.

Sic indirecte confirmatur sententia communis, quae negat noviciatum in una religione pro alia religione valere posse. Quot autem constitutionibus propriis, simul et Superiore generali proprio utuntur, tot distinguendae videntur religiones, nisi tamen in unitatem maiorem convenire positive probentur.

Quaestio controvertitur utrum § 4 limitetur necne § 1 statuente noviciatum interrumpi a novicio qui quacumque ex causa, etiam de Superiorum licentia, ultra 30 dies abfuerit. Id negavimus cum SCHAFER, *de Religiosis*, n. 241 ; CREUSEN, *Religieux*, etc. n. 161 ; R. D. PARISI, *Monitore eccº* 1928, 88, contra FANFANI, n. 197, cuius sententiam erudite et eleganter tuetur in *Monitore*, 1928, 155-167, R. P. ADEODATUS, C. D. i. e. professus Ordinis qui etiam ante Codicem noviciatus continuitatem in domo rigorosissime urgebat. Donec authentica solutio non inter-

venerit, existimamus, in can. 556 agi de solis absentiis quae non fiunt ipsius noviciatus causa. Ubi autem ratio noviciatus intervenerit, standum esse iure superiore, quod nullum tempus maximum statuebat. Ita opinamur: *a*) quia interruptiones noviciatus sunt stricte intellegendae; *b*) quia graves circumstantiae, v. g. publicae vexationes huiusmodi translationes vel absentias necessarias faciunt, ac valde durum foret invalidum declarare noviciatum eorum qui, disciplinam religiosam pro viribus servantes, persecutionem propter iustitiam patiuntur; *c*) quia si § 4 *necessarios* itineris dies considerasset ut extra noviciatum transactos, debuisset etiam memorare *suspensionem* noviciatus de qua in § 2 propter breviorem absentiam.

661. - IV. De habitu. Canon **557** praecipit ut « Integer annus noviciatus peragatur in habitu quem constitutiones pro noviciis praescribunt, nisi speciales locorum circumstantiae aliud exigant ».

Supponit igitur novicios ipso habitu tum a saecularibus tum a professis distingui; nec stilus S. Congregationis *de Religiosis* admittit habitum qui sit professorum et noviciorum communis.

Ceterum illam habitus delationem non esse ad valorem requisitam, liquet per se, ex ipso tenore c. 557, qui est mere praeceptivus, et confirmatur ipsa exceptione permissa propter circumstantias.

662. - V. Peculiaris destinatio noviciatus. Canone **558** negatur *pro altera classe* valere posse noviciatus pro una classe peractus. Congrua enim praeparatio ad ministeria spiritualia vel choristarum a praeparatione ad officia quae conversis committi consueverunt nimis differre cernitur. Atque etiam si similes exercitationes utrique classi proponantur, ipsa exspectatio diversae futurae condicionis animum quo probationes fiunt vel imponuntur non leviter mutat.

Si autem probatae constitutiones ferant ut in fine tantum communis probationis classes ad quas quisque pertineat designentur, vel ut non nulli admittantur tamquam indifferentes, quorum classis, pro varia probationis experientia, deinceps determinetur, in utroque casu versamur extra hypothesim c. 558, noviciatus pro altera classe peracti, ita ut severa dispositio c. 558 non videatur applicanda. Nobiscum SCHAFER, O. M. C., *de Religiosis*, n. 243.

Quid ergo si post professionem religiosus, annuente Superiore, classem propter legitimam causam mutare voluerit ?

Nisi indulto S. Sedis difficilis ista condicio dispensetur, debebit, votis tamen prioribus astrictus, saltem per annum integrum denuo in noviciatu probari ut novicius classis ad quam pertinere cupit. Ac nova professio etiam necessaria erit. Sic etiam FANFANI, n. 195.

663. - VI. Noviciatus gubernatio. — Noviciatui praeficitur magister noviciorum, cui propter iustam causam adiungi potest *socius*, seu submagister.

1. Magistri eiusque socii requisitae *qualitates*. « Noviciorum institutioni praeficiendus est Magister, qui sit annos natus *quinque* saltem ac *triginta*, *decem* saltem ab *annis* a prima professione professus, prudentia, caritate, pietate, religionis observantia conspicuus, et, si de clericali religione agatur, in sacerdotio constitutus » (c. **559**, § 1).

Etiam si conversis praeficitur, debet in religione clericali esse sacerdos. FANFANI, n. 206.

Ob noviciorum numerum vel aliam iustam causam, ei adiungi potest « socius, eidem immediate subiectus in iis quae ad noviciatus regimen spectant, annos natus saltem triginta, quinque saltem ab annis a prima professione professus, cum ceteris dotibus necessariis et opportunis » (c. 559, § 2).

« Uterque ab omnibus officiis oneribusque vacare debet quae noviciorum curam et regimen impedire valeant » (c. 559, § 3).

Si qui iuniores constituendi videantur, dispensatio a S. Sede petenda est. Qui autem, ante Codicem, iuniores constituti sint, quamvis, cum beneficium ecclesiasticum nullum habeant, sine laesione iuris removeri possint, videntur tamen, ex benigna mente legislatoris, in officio manere posse, praesertim cum ipse c. 560 magistros potius stabiles optet.

Si numerus noviciorum id postulet, nihil impedit quin plures addantur socii magistro noviciorum ; vel ut unus ipsum pro clericis vel choristis, alter pro conversis adiuvet. Non solet autem S. Congregatio admittere ut duo, in eadem domo, constituantur magistri noviciorum, alter pro choristis vel clericis, alter pro laicis seu conversis, neque ut duo nomine socii appellentur.

Ipsa autem rerum natura et muneris momentum postulant ut accurate servetur canon quo iubentur liberi esse ab aliorum negotiorum impedimentis.

2. *Eorum constitutio.* Ea quam constitutiones vel usus indicant ratione, ambo constituuntur. Eorum autem stabilitati c. 560 his consulit : decurrente tempore ad quod secundum constitutiones constituti sunt, sine iusta gravique causa non sunt removendi ; atque iidem rursus eligi possunt.

3. *Eorum iura.* Ex c. 561, § 2, magistro competit in novicios aliqua potestas *domestica* fori exterioris. Quare, quamvis inter Superiores *religionis* locum proprie non habeat, est tamen et dici potest Superior *noviciorum.* Sic enim § 2 effertur : « Novicius potestati Magistri ac Superiorum religionis subest eisque oboedire tenetur ».

Ex § 1, solus magister institutioni noviciorum immediate consulit, ac regimen noviciorum ad ipsum solum spectat. Quocirca nemo, ne Superior quidem localis, nisi id a constitutionibus permittatur, se illi institutioni vel regimini noviciatus quovis colore immiscere potest. Ii vero Superiores quibus sollicitudo de noviciis permittitur, ac Visitatores, contra mentem legis fecerint, si sine gravi et extraordinaria ratione, immediatam noviciatus gestionem magistro eriperent.

Sed disciplina universae domus pertinet ad Superiorem localem, cui proin tum magister tum novicii obnoxii sunt.

Sapiens ista provisio, praeter clara consectaria, alia habet quae controverti poterunt, atque usu vel amica compositione definienda sunt.

Socius propria potestate caret ; tamquam mandatarius magistri noviciorum agere eumque supplere solet. Observes, iure communi non requiri ut saltem in religione clericali sit sacerdos, quamvis esse soleat.

4. *Magistri officia. a)* « Gravi obligatione tenetur Magister novicio-

rum omnem adhibendi diligentiam ut sui alumni in religiosa disciplina, secundum constitutiones, sedulo exerceantur, ad normam c. 565 » (c. 562).

b) « Intra annum noviciatus, Magister, ad normam constitutionum, de agendi ratione singulorum alumnorum relationem Capitulo vel Superiori maiori exhibeat » (c. 563).

In hac obligatione et in nimis familiari conversatione quam vel ipse magister vel eius socius cum noviciis habere solent innititur prohibitio qua cum magister tum eius socius severe vetantur audire confessiones noviciorum, nisi, in gravi et urgenti causa, novicii id in casibus particularibus sponte petierint (c. 891).

« Ad normam constitutionum » facienda dicitur relatio magistri, non quod obligatio relationis non sit iure Codicis sancita, sed quod constitutiones modum et tempus definiunt atque etiam statuunt utrum relatio sit Capitulo an Superiori maiori exhibenda.

664. - VII. Noviciatus formalis disciplina. 1. *Noviciorum segregatio.* Vult c. 564, § 1, ut, quantum fieri potest, novicii partem separatam a professis domus habitent, et, sine speciali causa ac licentia Superioris vel magistri, nullam communicationem habeant cum professis neque hi cum noviciis. In § 2 vult ut conversis locus separatus assignetur.

Separatio ista, iam a CLEMENTE VIII severe praescripta, observanda est quoque si pauci admodum sint novicii. Sed, si res videatur incommodo vacare, fas tunc erit Superiori paulo facilius, certis diebus hanc communicationem cum professis permittere, vel etiam paucos seligere quibuscum novicii v. g. recreari permittantur.

Mitior separatio conversorum iniungitur. Hi ergo locum separatum obtinere censebuntur, si ad mensam, in recreatione atque in dormitorio, separatim ab aliis congregati fuerint.

2. *Quo spectet noviciorum institutio.* Ex can. **565**, § 1, « annus noviciatus debet, sub disciplina magistri hoc habere propositum, ut informetur alumni animus studio regulae et constitutionum, piis meditationibus assiduaque prece, iis perdiscendis quae ad vota et ad virtutes pertinent, exercitationibus opportunis ad vitiorum semina radicitus exstirpanda, ad compescendos animi motus, ad virtutes acquirendas ».

Huic proposito accedit, pro conversis, diligens institutio in doctrina christiana, speciali collatione ad eos habita, semel in hebdomada (c, 565, § 2).

Huius recollectionis *obstacula* sedulo removenda sunt. Quare, ex c. 565, § 3, « Anno noviciatus ne destinentur novicii contionibus habendis aut audiendis confessionibus aut exterioribus religionis muniis, neve dedita opera studiis vacent litterarum, scientiarum aut artium ; conversi autem in ipsa religiosa domo eatenus tantum fungi possunt officiis fratrum conversorum (non tamen uti primarii officiales), quatenus ab exercitiis noviciatus pro ipsis constitutis non praepediantur ».

Verba ista non omne ministerium sacrum neque omne studium litterarum a noviciis arcent; sed nolunt ut haec quasi ex professo fiant. Ministerium sacrum seu munus religionis, v. g. docendi, per accidens tantum a noviciis exerceri poterit; studia vero secundariam tantum rationem habere debent.

Facilius quidem novicii conversi officiis fratrum conversorum fungi permittuntur, cum officia ista per se iam humilitatem foveant. Cavetur tamen ut ea in ipsa noviciatus domo exerceantur, ut in iis obeundis novicii humilem locum servent, atque omne tempus servent obeundi propria noviciorum exercitia.

Commendatio ista, temperatis verbis facta, summi est momenti, non tantum quia spiritualem seu essentialem noviciorum institutionem intime tangit, sed etiam quia nimis frequenter, propter penuriam personarum, posthabetur, non semper incolumi iure noviciorum ut in schola perfectionis vere versentur.

Quo pacto haec minus severe in altero noviciatus anno urgenda sint, infra statim videbimus.

Ex eodem c. 565, liquet suppressam esse obligationem studiorum quae decreto 27 aug. 1910 inducta fuerat. Manent tamen optimae istius decreti rationes, quae Superioribus suadebunt ut ad mentem istius decreti disciplinam noviciatus prudenter attemperent.

« Conversi praeterea diligenter in christiana doctrina instituantur, speciali collatione ad eos habita semel saltem in hebdomada » (c. 565, § 2).

3. Quid si Constitutiones diuturniorem probationem per alios sex menses vel per *alterum annum* praescribant? Quomodo transigenda est diuturnior probatio?

Codex qui canone 555, § 2 eam permittit, ea regulanda abstinet, sed sua praecepta limitat ad annum qui inde nomen habuit anni *canonici*. Normae S. C. *Episc. et Regular.* 28 iun. 1901, art. 73. 74, indulgebant ut per alterum noviciatus annum studiis litterariis aut operibus exterioribus Instituti novicii moderate vacare possent, sub directione tamen et vigilantia magistri, et, nisi graves rationes exceptionem postularent, in ipsa noviciatus domo.

Nullum est in Codice indicium prohibitae per alterum noviciatus annum utilis istius experientiae. Contra, ratio qua bis, in cc. 563 et 565 *anno* noviciatus circumscribit necessitatem exclusivae applicationis ad spiritualia, dum c. 557 vult ut *integer* noviciatus in habitu noviciorum peragatur, et in c. 568 renuntiationes noviciorum in toto *noviciatus decursu* declarat invalidas, ratio ista insinuat vocem *anni* noviciatus consulto adhibitam esse, ut maiorem libertatem esse sinat per tempus longius quod constitutionibus sit praescriptum.

Instructione 3 nov. 1921, S. C. *de Religiosis* omnibus *Congregationibus religiosis* (ergo etiam dioecesanis; sed non Ordinibus regularibus), in quibus secundus annus noviciatus ex constitutionum praescripto peragitur, haec observanda praecipit: 1. ut etiam in altero noviciatus anno conformatio religiosa principales partes obtineat; 2. ut operibus Instituti, si id ferant constitutiones, novicii vel noviciae per alterum annum vacare quidem possint; sed id fiat moderate ad solam noviciorum institutionem ita ut numquam novicii per se soli officia exerceant, etiam transitorie ad supplendum v. g. magistrum absentem vel sororem

quae infirmis ministret ; sed operam suam conferant sub directione et vigilantia gravis religiosi vel religiosae ; 3. ne mittantur extra domum noviciatus, nisi per modum exceptionis et propter gravem causam, quae ipsam novicii institutionem respiciat, non autem, remoto omni praetextu, utilitatem vel necessitatem Instituti, quod, v. g. personarum penuria laboret ; 4. ut per duos ultimos menses, in ipsa noviciatus domo, omni opere externo abstineant et se ad professionem praeparent (cf. AAS, XIII, 1921, 539 ; *Per.* X, 364 ; *N. R. Th.*, 1922, 158, ss.).

Regulariter tamen non est permittendum ut in *priore* anno (si duo sint) novicii ad studia vel opera exteriora applicentur. Codex enim, collatis cc. 553 et 555, supponit annum canonicum a suscepto habitu inchoari. Ac praeterea, quo pacto, antequam ad virtutem et pietatem instituti sint, poterunt novicii demonstrare modum quo opera exteriora vel studia cum pietate componere norint ? Si opera quodpiam periculum secum ferant, quo pacto candidatos inermes eidem exponere fas erit ? Si solum specimen aptitudinis dandum sit, hoc detur per postulatum. Ceterum ipsa mox memorata instructio de applicatione ad opera Instituti, applicationem per primum annum satis perspicue exclusit. Quare S. C. *de Religiosis* in constitutionibus quas approbat nullam alterutrius anni optionem permittit, sed vult ut primus annus moraliter totus spirituali noviciorum institutioni deputetur.

Res tamen, per se illicita, *ad valorem* anni canonici et professionis non interest. Ex c. 11 et 15 novimus, in Codice nihil ad valorem requiri positive quod non expresse ut condicio valoris postuletur. Iam vero nec c. 542 nec c. 555 postulant ad valorem ut annus canonicus immediate post susceptionem habitus incipiat. Ceterum, si quis, post undecim menses, noviciatum interrumpere cogatur, annus canonicus postea tantum initium habebit, et nihil impediet quin undecim priores menses in longiore tempore constitutionibus praescripto computentur, si ita constitutionibus sit satisfactum.

665. - 4. *Noviciorum confessiones.*

a) In religionibus *mulierum noviciae* professis quod ad confessiones aequiperantur.

b) Apud viros : Magister noviciorum, qui olim erat confessarius necessarius, confessiones noviciorum habitualiter audire iam vetatur. Eadem prohibitio ad socium magistri extenditur. Rationes supra indicatae sunt. Cf. c. 891.

« Pro noviciorum numero, unus vel plures habeantur ordinarii confessarii » (**c. 566**, § 2, 1°).

Ubi ergo pauci sint novicii, e mente legislatoris est ut unus tantum deputetur. Aestimatio numeri qui plures postulet, arbitrio Superioris instituentis linquitur. Viginti nobis videntur sufficere, sexaginta potius postulare ut plures deputentur Ac tunc licite ultra duos instituuntur.

Confessarii isti ordinarii, « si agatur de religione clericali, in ipsa noviciatus domo commorentur; si de laicali, saltem frequenter ad domum noviciatus accedant, noviciorum confessiones audituri » (c.566, § 2, 2°).

Frequens accessus intellegitur bis vel ter in hebdomada. Necessitas frequentis accessus etiam causa esse potest cur, ob minorem numerum, plures constituantur, qui sic singuli hebdomadario accessu, diversis diebus facto, contenti esse possint.

Praeter illos confessarios, « designentur aliqui confessarii quos novicii in casibus particularibus adire libere possint, nec Magister aegre id se ferre demonstret » (c. 566, § 2, 3°).

Confessarii isti domum ne frequenter quidem adire iubentur ; oportet tamen ut eorum accessus non sit nimis difficilis, ne lex eludatur.

« Quater saltem in anno detur noviciis confessarius extraordinarius, ad quem omnes accedant, saltem benedictionem recepturi » (c.566, § 2,4°).

Non requiritur ut idem confessarius quater saltem accedat. Possit ergo semel is esse qui exercitia spiritualia tradat, dummodo tamen omnes ad ipsum accedant, sive ad confitendum, sive, si id malint, ad benedictionem eius, in confessionali, accipiendam.

Ac pro *noviciis* etiam religionum clericalium exemptarum, valet quod de professis dictum est n. 588 : confessiones noviciorum valide audiuntur tum a confessariis quos Superior pro ipsis designaverit, tum a confessariis qui iurisdictionem dioecesanam obtinuerint. Atque in potestate est competentis Superioris religiosi, ut valere declaret confessionem quam apud quemlibet Ordinis confessarium novicius instituerit.

5. *Noviciorum directio spiritualis.* In religione *clericali*, cum confessarius tum magister noviciorum ipso munere designati sunt ut novicios, tamquam filios spirituales instituant et dirigant. In religione *laicali*, res magis intimae potius confessario reservandae sunt, qui etiam, per se, potissimas partes habet institutionis proprie spiritualis, etsi, pro dotibus suis et fiducia quam inspirat, magister noviciorum non parum valeat in hac re. Dici possit, magistro potius competere ut novicium instituat ad specialem suae religionis vitam, dum confessarius potius religiosum qua talem instituit.

Supra, n. 599 existimavimus magistros noviciorum non comprehendi inter Superiores qui rationem conscientiae postulare vetantur. Accedit haec ratio, quod prohibitio c. 530 afficit Superiores de quibus sermo fit in eodem titulo X. Ibi autem non agitur de magistris noviciorum. Ii, etsi Superiores *noviciorum* dici possint, non sunt tamen proprie Superiores *religiosi.* Sic etiam R. P. Voltat, C. M. I., *Commentarium pro religiosis,* I, p. 148 ; Fanfani, n. 208 ; Schäfer, *De relig.* n. 183 ; Creusen, n. 102.

666. - VIII. Iuridicus noviciorum status. 1. *Status religiosi com-*

modo. Novicii sunt personae *ecclesiasticae*, lato sensu regulares vel religiosi, prout ad Ordinem vel ad Congregationem religiosam pertineant.

Fruuntur privilegiis communibus clericorum (c. 614). Cf. n. 208.

« Novicii privilegiis omnibus ac spiritualibus gratiis *religioni* concessis gaudent » (c. 567, § 1). In his verbis non continentur privilegia quae ex rei natura vel expressis verbis professorum sunt propria.

Si morte praeveniantur, ad eadem suffragia ac professi ius habent, (c. 567, § 1) idque non tantum in domo noviciatus sed in toto Ordine (Resp. 14 iul. 1918, datum ad Congregationem Benedictinorum).

Quod alio titulo, ut puta *sacerdotii*, suffragia varient, id litterae Codicis non repugnat, a mente tamen eius videtur nimis alienum esse quam ut probari queat. Verum nihil prohibet maiora suffragia Superioribus praesentibus vel praeteritis reservare.

In religione votorum sollemnium, ipso die ingressus, lucrantur indulgentiam plenariam concessam a PAULO V, C. *Romanus Pontifex*, 23 maii 1606, et quae, ut privilegium, non est Codice revocata.

Vetat tamen c. 567, § 2 ne ad ordines promoveantur. Promotio enim ad ordines minus congruit cum studiis humilitatis quae in noviciatu fovenda sunt, et postulat condicionem magis certam quam est noviciorum condicio.

2. *Onera status religiosi*. *a*) Subduntur potestati *domesticae* Superioris, quatenus, ut caput domus, domum suam regere potest ac debet (1). In rebus autem quae ad disciplinam noviciatus vel domus attinent, oboedire debent magistro noviciorum et Superiori domus.

b) Subsunt quoque *iurisdictioni* ecclesiasticae Praelati regularis. Quod, in religione clericali exempta, c. 875, de iurisdictione fori sacramentalis diserte sancitur. *Vota* igitur noviciorum, hac potestate commutari vel dispensari poterunt.

c) *Regulas* qua tales, etiam quae alios sub peccato obligant, observare in conscientia *per se* et *directe* non debent. Fundamentum talis obligationis desideratur. Ipso tamen naturae iure ordinem communem turbare, aliis scandalo esse, affectui inordinato cedere prohibentur (Cf. WERNZ, III, 637).

d) Apud *moniales* iam ipsae postulantes, ac fortiori ratione *noviciae*, quam diu noviciatum peragunt, *clausurae* lege, sine tamen excommunicationis sanctione, tenentur (c. 540, § 3).

667. - 3. De noviciorum bonis. *a*) *Durante noviciatu*, ad omnem religionem, etiam mere dioecesanam, traducitur nullitas renuntiationis

(1) WERNZ, III, 637.

bonorum tunc factae, quam, ad tutandam libertatem professionis religiosae, C. Tridentinum s. XXV *De Reg.* c. 16, pro Ordinibus regularibus severe statuerat (c. 568). Sanctio nullitatis absolutae complectitur beneficia et bona, omnem renuntiationem et bonorum obligationem.

b) Ante *primam* professionem simplicem, nulla alia distinctione facta, novicius debet « ad totum tempus quo simplicibus votis astringetur », ac proin in *perpetuum*, si perpetua futura sit haec simplex professio, « bonorum suorum administrationem cedere cui maluerit, et, nisi constitutiones aliud ferant, de eorundem usu et usufructu libere disponere » (c. 569, § 1).

Novicius qui, post professionem triennalem, perpetuam faciet, nec definite in tres annos, nec in perpetuum cessionem istam facere debet : non triennalem, cum vota sine mora renovanda sint ; non perpetuam, quia perpetuitas obligationis incerta est. Formula Codicis utatur : « Cedo ad totum tempus quo simplicibus votis astringar ». Quae formula id quoque commodi habet ut clare praevideat diem incertam qua dispositio ista finem habitura sit.

Si vero, ut apud *Puellas Caritatis*, successivae professiones aliquo (unius diei) intervallo separentur, nihil tunc obstat quin dispositio ad finem singularum professionum fiat.

Clausula « nisi constitutiones aliud ferant », addita videtur, quia, in non nullis congregationibus, religiosus vel religiosa usum fructum totum, vel ratam eius partem instituto, vi constitutionum, cedere cogitur. Qui in constitutionibus dispensare potest, etiam hanc obligationem in casu speciali remittere poterit. Obligatio tamen huiusmodi parum placet S. Sedi, nec in novis constitutionibus videtur probatum iri.

c) « Ea cessio ac dispositio, si praetermissa fuerit ob defectum bonorum, et haec postea supervenerint, aut si facta fuerit, et postea alia bona quovis titulo obvenerint, fiat aut iteretur secundum normas § 1 statutas, non obstante simplici professione emissa » (c. 569, § 2).

Codex unam causam omissionis praevidet ; sed genus causae ad Codicis concessionem nihil referre videtur. Quare cessio suppleri poterit ob quamcumque causam remanserit imperfecta.

De mutatione post professionem cf. infra ad c. 580.

d) « Novicius, *in Congregatione religiosa*, ante professionem votorum temporariorum, *testamentum* de bonis praesentibus vel forte obventuris libere condat » (c. 569, § 3).

Propria haec lex congregationum religiosarum, nec religiones votorum sollemnium, nec moniales quae ex instituto vota sollemnia habebant afficit, sed obligat omnes congregationes, etiam mere dioecesanas, et domos sui iuris ubi sola vota simplicia ex instituto emittuntur. Namque c. 488, 2, etiam huiusmodi religionem nomine congregationis comprehendit.

Contra ac legitur in *Commentarium pro religiosis*, II, p. 9, etiam minores natu hac lege tenentur. Nobiscum FANFANI, n. 200 ; SCHAFER,

De religiosis, n. 256. An dices legislatorem noviciis legem scripsisse quam plerisque inutilem fore praevidebat, cum non ignoraret plerosque novicios esse minores natu ?

Huiusmodi testamento faciendo non obstat minor novicii aetas quae testamentum civiliter validum saltem de universalitate bonorum conficere non sinat. Namque, legitimam aetatem adeptus, poterit in forma civiliter valida testamentum confirmare, atque interea in conscientia ligabitur. — Confirmamur resp. privato *Pont. Commiss. Cod.* dato Sup. Gen. *C. SS. Redemptoris*, quod refertur a R. P. Lijdsmann, C. SS. R., in *Theol. Prakt. Qtschft.* 1920, p. 342. 343. — Si desint bona praesentia, fiet testamentum de bonis forte obventuris.

Non raro ignoratione iuris civilis scriptores de Religiosis decipiuntur cum agunt de testamentis. Sunt qui existiment a nemine posse, etiam per testamentum disponi de bonis futuris, quamvis nihil sit magis usu receptum. Immo vix vere completum testamentum concipi potest in quo nihil de bonis futuris dicatur. Scilicet ad testamentum transferunt vetitum quo pleraeque leges civiles efficaciam tollunt *pactionum* et *donationum* de bonis futuris. Cf. v. g. Cod. *Italicum*, art. 1064. — Passim ferunt minorem esse incapacem testamenti. Contra, pleraeque leges quas ad ius latinum ascribimus (cf. *Theol. mor.*, II, 339, II), sive Europae sive Americae latinae, testamentum fieri sinunt ab iis qui 18 annos nati sunt. In *Belgio* utique et in *Gallia*, capacitas ad medietatem bonorum est coartata, sed aetas 16 annorum completorum est sufficiens (Cod. civ. art. 904). Eadem aetate 16 annorum Cod. *Germaniae*, art. 2228 testamentum minoribus permittit coram iudice ; Codices *Hispaniae* (art. 663), *Lusitaniae* (art. 365 et 1764), *Panamae* (art. 695) aetate 14 annorum completorum contenti sunt. In *U. S. A.* variant leges.

Mutatio istius testamenti interventum S. Sedis postulat. Si tamen res urgeat, nec tempus sit ad S. Sedem recurrendi, sufficit licentia Superioris maioris, aut, si ne ille quidem adiri possit, Superioris localis (c. 583, 2).

Quaeres, quid si testamentum ante vota non fuerit factum ?

Qui ante vigentem Codicem, professionem fecerunt, facultatem servant condendi testamentum quam constitutiones ipsis dabant : habent enim ius quaesitum.

Attentis sententiis quae invaluerunt, etiam alii novicii non videntur prohiberi faciendo, post vota, testamento quod ante vota facere omiserunt. Id ipsis ante Codicem licebat ; et correctio iuris est odiosa ; nec testamenti factio cum mutatione testamenti stricte aequiperanda est.

Codex tamen obligationem testamenti ad novicios Ordinum non traduxit, ne sine necessitate regimen antiquum perturbaret. Praeterea professi sollemniter ne testamentum quidem valide post professionem condere possunt.

e) Quid de renuntiatione *ante ipsum noviciatum* facta et de pactionibus cum familia ?

Ante ingressum suum in noviciatum, aspirantes status religiosi, nec qui in saeculo sunt nec qui iam postulantes effecti sunt, aliqua inhabilitate canonica ab ulla alienatione, abdicatione vel pactione impediuntur. Difficultas tamen nunc oritur ex c. 1529, qui, in materia ecclesiastica, urget leges civiles de contractibus. Plures enim leges civiles

sanctione nullitatis feriunt omnem pactionem de hereditate futura, qualis plerumque est compositio de bonis quae cum familia convenit occasione ingressus in religionem. Observandum tamen est, plerasque civiles nullitates non adeo esse absolutas ut iis quibus validitas prodest omni titulo destituantur ad habendum vel obtinendum quod contractu invalido ipsis obtingit vel promissum est. Fiant ergo pactiones sicut ante Codicem. Futuro religioso manebit ius urgendi nullitatem pactionum quae de bonis hereditatis futurae sint factae. Sed in potestate eius etiam est ut labilem titulum quem concessit subsistere sinat. Ubi hoc fieri nequeat, manet recursus ad S. Sedem.

668. - 4. *Mutua religionis et novicii obligatio.* *a*) In constitutionibus exigi vel expressa pactione convenire potest inter religionem et postulantem seu candidatum, ut impendia postulatus vel noviciatus compensentur, vel definita summa pro alimentis et habitu religioso solvatur. Deficiente huiusmodi stipulatione, nihil pro impendiis noviciatus vel postulatus exigi potest (**c. 570**, § 1).

Quaecumque aspirans attulerit neque usu consumpta sint, discedenti ante vota restituenda sunt in statu in quo reperiuntur (c. 570, § 2).

b) *Iuridice*, seu in foro *exteriore*, integrum est noviciis e religione exire (**c. 571**, § 1). Ac nullo voto suo hanc iuridicam condicionem mutare possunt.

In foro *interno*, peccabit qui pravo affectu se impelli sinat, vel periculis saeculi se temere obiciat.

Si statuerint (non si mere dubii haeserint) e religione egredi, ipsa iustitia naturalis imperat ut de suo consilio Superiores moneant, ne ficte vivant in religione, et inutiles sumptus religioni imponant. Ac sumptus sine causa factos religioni sarcire debent, nisi congruentem pecuniam pro noviciatus impendiis dederint.

c) *Votis* novis novicii, etiam inconsulto Superiore, se ligare possunt. Quae vota directe irritari non possunt.

d) Novicius potest « a Superioribus vel a Capitulo, secundum constitutiones, quavis iusta de causa *dimitti*, quin Superior vel Capitulum teneantur dimissionis causam dimisso patefacere » (c. 571, § 1).

Constitutiones igitur definire possunt utrum ad solum Superiorem an tantum ad Capitulum seu Consilium spectet novicium *dimittere*. Eaedem constitutiones statuent quinam Superiores et quodnam Capitulum seu Consilium sint competentes.

Itaque, ius manendi non est novicio acquisitum. Postulat tamen Codex iustam causam, ne, erga novicium caritas et aequitas violetur, nec, erga religionem, proprio officio desint Superiores. Perinde dicendum est de iis qui sine iusta causa suffragium novicio contrarium dederint.

e) « *Exacto noviciatu*, si iudicetur idoneus, novicius ad professionem admittatur, secus dimittatur ; si dubium supersit sitne idoneus, potest a Superioribus maioribus probationis tempus, non tamen ultra sex menses prorogari » (c. 571, § 2).

Probati autem novicii, *votis nuncupandis spiritualia exercitia*, saltem per octo solidos dies, praemittere debent (c. 571, § 3).

669. - VIII. Vota devotionalia noviciorum. Devotionalia vocantur vota professionis religiosae quae novicius fecerit ante elapsum noviciatus tempus. Fiunt autem a novicio sano vel a novicio moribundo.

1. *Vota devotionalia novicii sani.* Cum, ex disciplina hodierna, novicius noviciatui renuntiare nequeat, nequit etiam per ulla vota sua condicionem suam iuridicam in statum professorum propria voluntate aliquo pacto convertere.

Vota igitur, si quae fecerit, sive ultro sive approbante magistro aut Superiore, *privata*, erunt ; nec, si sint paupertatis, castitatis, oboedientiae, ampliorem facient potestatem Superioris aut huic novum titulum conferent ad imperandum. Quare, post talia vota aliquid directe in virtute s. oboedientiae iubere non poterit Superior ; in apta tamen materia, quae Superior praeceperit, iam, virtute voti, novicius ex religione exsequi debebit. Paupertate vero et castitate tenebitur sicut professus (Cf. Sanchez, *in Decal.* VI, 10, 8).

Rursus religio nullam specialem obligationem ex istis votis contrahit servandi novicium. Si tamen annuente praelato facta sint, eorum respectum ex aequitate habere decebit. In foro externo, novicius quoque omnem servat libertatem deserendi religionem ; in foro tamen interiore per se peccabit.

In novicio dimisso, talia vota iam fiunt materiae impossibilis, ita ut dici possint facta ad diem *incertam an et quando* : si in religione permansero.

Cum autem mens Ecclesiae sit ut libertas novicii integra maneat, vota huiusmodi per annum canonicum non sunt suadenda. Absoluto isto anno, religio, sicut poterat veram professionem, ita vota devotionalia, quasi ad moras professionis compensandas, bene concedere potest.

670. - 2. *Professio novicii in articulo mortis.* In religionibus quae ultra annum canonicum noviciatum protrahunt, nihil impedit Superiorem cui haec facultas per constitutiones detur, permittendi novicio graviter aegroto anticipandi suam primam professionem, modo omnino absoluto.

2. Sed praeterea, C^c^ *Summi sacerdotis*, 23 aug. 1570, S. Pius V

monialibus S. Dominici concesserat ut noviciae quae legitimam aetatem haberent, possent, in periculo mortis, ante elapsum probationis annum, sollemnem professionem facere. Si tamen convalescerent, professio ista omni vi destituebatur.

Privilegium istud per communicationem plerisque Ordinibus et pluribus institutis factum est commune.

Pius X autem, decreto *Spirituali consolationi*, 10 sept. 1912, omnibus religionibus, immo etiam societatibus quae sine votis vitam communem more religiosorum ducunt, concessit ut in articulo mortis novicii admitti possent ad professionem vel consecrationem aut promissionem, iuxta proprias regulas seu constitutiones.

Ex eodem decreto, effectus talis professionis sunt : 1) participatio omnium indulgentiarum, suffragiorum et gratiarum quae professi consequerentur ; 2) plenaria peccatorum indulgentia et remissio in forma iubilaei, quam Pontifex ipse elargitur. Simul omnis alius effectus expresse negabatur.

Cum indultum quoque Pii X rationem habeat privilegii communis, censuimus, non solum privilegium Dominicanarum, sed etiam decretum Pii X vigere. Quod tunc cum R. P. Goyeneche, *Comment. pro religiosis*, I, 51, defendebamus, nunc est authentice promulgatum declaratione S. C. *de Religiosis*, 29. 30 dec. 1922 (AAS, XV, 1923, 156 et *Per*, XII, 39). — Immo, vi istius declarationis :

Non soli Superiores locales sed etiam respective Superiores maiores iuxta constitutiones, et praedictorum omnium delegati, ad vota ista novicios (non tamen postulantes) admittere possunt.

Verba autem quibus « omnis alius effectus » (praeter suffragia et indulgentiam plenariam) ab illa professione abiudicabatur, intellegenda sunt de iuridicis effectibus circa libertatem noviciorum et instituti post convalescentiam. Cfr *Per*. XII, p. (159) ss. Vere enim professi moriuntur.

671. - Noviciatus descriptio et vera ratio. Post declaratum caput de Noviciatu, quale in Codice exhibetur, iuvat pauca addere de vera noviciatus ratione, ne mere concipiatur tamquam tempus quo magis exercitiis spiritualibus incumbendum est.

Itaque, noviciatus *materialiter* sumptus, dici potest paedagogium religiosorum. — *Formaliter* est *institutio ad vitam religiosam, in definita religione, personae cooptatae in tironem.*

Institutio ista complectitur in primis spiritualem animi conformationem ad virtutes, et ad observantiam consiliorum evangelicorum qualis per regulam et constitutiones proponitur. Pro ratione instituti, fieri potest ut huiusmodi informatio sufficere queat. Ad quam conformationem ius commune existimat integro anno opus esse. Inde praescripta

c. 565, de anno noviciatus in his exercitationibus insumendo. Verum peculiaris ratio religionis exigere aut suadere potest ut ipsa spiritualis informatio fiat magis diuturna, vel etiam ut de idoneitate ad opera activa instituti specimen habeatur.

Hoc modo ad descriptionem pervenimus, quae ex c. 16 *De Regularibus* (III, 31) colligi potest, qua noviciatus esse intellegitur : *mutua candidati et religionis probatio, qua prudens professio praeparatur.* Hoc supponit : ut novicius experiatur religionem, — ut religio experiatur novicium ; — ut novicius ad religionis officia instituatur.

Atque haec est in pluribus institutis, utilitas alterius anni noviciatus, ut ipsa opera instituti novicio innotescant, institutum vero idoneitatem novicii ad haec explenda experiri possit.

Caput III. - De professione religiosa

Ordo dicendi. Codicis canones de isto argumento hoc fere ordine dispositi videntur, ut primo agant de professionis *condicionibus*, dein de *varia* professionum *ratione*, tum de professionum *effectu* et *regimine* professorum, denique de professione *nulla* vel *dubia* et de eius *convalidatione.* Hunc ordinem sequemur, praemissa brevi notione professionis religiosae.

672. - Notio. Professio religiosa breviter describi potest : *Susceptio status religiosi.* Et quia status iste est perfectionis persequendae, dici etiam potest *professio sanctitatis* (Cfr S. Augustini Sermo 355, P. L. 39, 1573).

Etenim professio in universum est rei cuiuspiam palam facta confessio ; diciturque potissimum de status alicuius susceptione. Sed cum status clam suscipi nequeat, omisimus in descriptione vocem *aperta.*

In praesenti quo utimur iure, professio ista necessario coniungitur cum tribus votis *substantialibus* paupertatis, castitatis, oboedientiae, quibus non repugnat ut alia accedant ; et cum traditione sui in dicionem et potestatem religionis approbatae.

Art. I. — De professionis condicionibus

673. - I. Communes condiciones valoris (c. 572).

1. *Negative* requiritur ut emittatur sine vi aut metu gravi aut dolo. Cf. dicta n. 627. Observandum tamen est hoc loco iam non attendi nisi ad metum vel dolum quem religiosus seu profitens passus sit, minime ad metum quo Superior afficiatur (Cf. Biederlack-Führich, n. 90).

Contra tamen atque opinantur hi et Fanfani, n. 242, metus postulatur qui *ab extrinseco* sit incussus, quamvis non debeat esse iniustus. Si ad metum ab intrinseco, ut puta ex timore vindictae divinae, attenderetur, res foret inaudita et patens abusibus. Nobiscum Schafer, *De religiosis*, n. 266 4, p. 332, Bastien, *Dir.* 148, 4.

2. *Positive*, ex parte *professuri* praerequiritur *validus noviciatus*, et *legitima aetas*. Haec est 16 annorum expletorum pro professione temporaria ; 21 annorum expletorum pro professione perpetua (c. 573).

Quaenam praeterea immunitas a servitio militari exigatur, cf. art. III.

3. Ex parte *religionis*, requiritur *admissio* ab eo Superiore quem constitutiones faciunt competentem. Etsi *dimissio* novicii Superiori soli committi possit a constitutionibus, semper pro admissione ad professionem requiritur interventus Consilii vel Capituli. Ac suffragium pro prima professione temporaria est *deliberativum*, pro subsequente perpetua, est consultivum tantum (c. 575, § 2).

Pro temporaria praeter primam, est deliberativum vel consultivum, prout id statuunt constitutiones.

Ratio cur tantum consultivum sit suffragium ante professionem perpetuam, videtur esse periculum ne collectiva suffragatione facilius quam a Superiore praetermittatur ius quod religiosus iam professus habet ut, si dignus sit, ad gradum in religione obtinendum admittatur. Et iam licuit consultoribus de candidato efficaciter iudicare.

Superior qui ad professionem admittit est plerumque Superior maior : Provincialis, cum agitur de prima professione, interdum annuente Generali; Generalis, cum agitur de professione perpetua.

4. Ex parte *formae a*) debet professio fieri *expresse*. Formula scripta tamen per se non requiritur. Nec in formis usitari solitis, omnia sunt substantialia. Attendendae sunt constitutiones et receptae earum interpretationes. Caput est ut quod Deo et religioni promittitur clare reddatur. Distincta tamen obligationum expressio non est necessaria. Sic Carthusiani hac formula utuntur : « Promitto conversionem morum meorum secundum regulam ».

b) Debet esse *recepta a legitimo Superiore* secundum constitutiones, per se vel per alium. Cave autem ne *receptionem* cum *admissione* confundas. Admittit semper, sed non semper recipit Superior. Cfr Creusen, *Religieux*, etc. 184, p. 165[6].

Recipitur autem eo quod fit coram legitimo Superiore, sive is caerimoniae praesit, ut in religione clericali fieri solet, sive mere praesens adsit, fere sicut parochus est testis « authorizabilis » in matrimonio.

Superior quem designant constitutiones debetne esse Superior religiosus, an possit esse Praelatus extraneus, puta Ordinarium loci ? Nec verba canonis, nec natura rei postulant Superiorem religionis. Quid enim prohibet, quin constitutiones deputent ad contractum perficiendum quempiam qui ad religionem non pertinet, sed aget quasi delegatus religionis ? Ipse Superior religiosus possit per se delegare extraneum : cur idem non possit constitutiones ? Ac re vera sic, v. g. in constitutionibus *Parvarum Sororum Pauperum* vota recipienda

dicuntur ab episcopo loci vel eius delegato. (Aliter rem intellegit AUGUSTINE in h. c.)

Sententia nostra nunc authentice confirmata est resp. *Comm. Pont. Codici interpretando*, 1 mart. 1921, ad III, q. 1. (AAS, XIII, 1921, 177 ; *Per.*, X, 325).

Nec opus est ut formula recipientem designet : is tacetur in formula votorum scholasticorum *Societatis Iesu*.

674. - Quaeri potest utrum Superior qui neminem solus admittere potest ad professionem, possit solus quempiam dimittere, negata ulteriore professione ?

Si agitur de non admittendo novicio ad professionem, c. 571 rem permittit vel Capitulo vel Superiori, arbitrio constitutionum. Durantibus votis, nemo dimitti potest sine suffragio deliberativo Consilii, ex c. 647. Exacto autem votorum spatio, cuinam competat ad renovanda vota non admittere, Codex non declarat. Res ergo constitutionibus definiri potest.

675. - II. **Condicio propria professionis perpetuae** est « ut praecesserit professio simplex temporaria ad normam c. 574 » (c. 572, § 2).

Canon iste, ut statim infra videbimus, postulat professionem ad triennium per se valituram, emittendam in ipsa noviciatus domo. Itaque, condicio valoris erit certe ut saltem ad tres annos professio facta fuerit temporaria. Diuturnior tamen professio temporaria, etiamsi illicita fuerit, valori professionis perpetuae non obstabit.

Estne etiam ad valorem necesse ut professio temporaria fiat in ipsa noviciatus domo ? Id dubitari potest. Ratio affirmandi praebetur verbis « ad normam c. 574 » : ad istam normam ista loci circumstantia pertinere videtur. Rursus tamen idem c. 574 rationem negandi necessitatem suggerit, cum hanc loci circumstantiam non videatur ad valorem professionis temporariae postulare. Iam vero, si professio temporaria valida fuit, norma c. 574 substantialiter servata videtur. Et quia, ex mente Codicis, in dubio nullitas urgenda non est (c. 15), negabimus ad valorem professionis perpetuae referre ut in domo noviciatus praecedens professio temporaria sit facta.

Accedit quoque condicio ex servitio militari cui quis ascriptus fuerit, de qua cf. art. III.

Art. II. - De professionum varietate

676. - I. De professione temporaria. Duo professionum temporariarum genera canone 574 indirecte agnoscuntur.

1. Professio temporaria *secundum se intenta et subsistens*. Talis

exstat in religione quae non habet alia vota praeter temporaria. De ordinatione talium votorum cum Codex nihil dicat, omnia remittuntur ad constitutiones.

2. Professio temporaria *qua perpetua praeparatur*. De ista professione, haec in **c. 574** statuuntur :

a) Omni professioni sollemni Ordinis religiosi et omni professioni perpetuae in Ordine et in Congregatione, ut professiones istae valere possint, temporaria praeponi debet ; quae professio in ipsa noviciatus domo emittenda est.

Quid si noviciatus in duabus domibus sit pro parte factus, sive per accidens sive per se, quia mos est quarundam abbatiarum ut primus noviciatus annus in abbatia quasi centrali, alter autem in propria cuiusque abbatia peragatur ? Respondemus liberam esse optionem alterutrius noviciatus ; magis tamen suadendum esse ut professio ibi fiat ubi noviciatus est completus.

Authentica declaratione 29 iun. 1918, Societas Iesu ista professione temporali non tenetur, quod postea quoque declaratum est de Sororibus a SS. Corde. Hae tamen professionem quae mutuum vinculum inter sororem et religionem inducit, ultra sex annos differre non possunt.

b) Nisi constitutiones exigant annuales professiones, professio ista fit ad triennium, vel ad longius tempus, si aetas ad perpetuam professionem requisita longius distet.

Etenim, cum nemo perpetuam professionem ante completam aetatem 21 annorum valide emittere possit, qui, absoluto noviciatu, nondum 18 annos natus sit, ipsa aetate, post triennalem professionem, a perpetua prohiberetur. Quare Codex vult ut tunc prima professio fiat usque ad completam aetatem 21 annorum. Plerumque igitur, professio ista non erit simpliciter tot annorum, sed menses et dies annis addendi erunt. Sic ab ipsa Commissione de Codice interpretando responsum esse novimus.

Ubi tamen annuales professiones fiunt, hae, usque ad 21 annos completos, renovabuntur. In fine autem istius spatii temporis, si cui desint ultra annum aliquot menses, videtur posse ultimam renovationem facere usque ad aetatem 21 annorum : sic dicimus per analogiam. Immo si cui, praeter annum, desint 11 menses, integrum ei esse videtur, ut non faciat nisi professiones annuales, et, ultimo anno, post elapsos menses undecim, suam professionem temporariam in perpetuam convertat, quae sic uno mense anticipabitur. Quod iterum dicimus per analogiam, attento c. 576.

Constitutiones autem ipsam aetatem professioni perpetuae requisitam maiorem 21 annorum statuere possunt. Aetas enim 16 et 21 annorum c. 573 requiritur, minime autem dicitur necessario sufficiens. Itaque, si constitutiones maiorem aetatem praescribant, usque ad eam aetatem erit ab initio professio temporaria facienda. Decr. *Sacrosancta* 1 ian. 1911, quo perpetua laicorum professio ad expletum 30um annum differebatur, non iam attendendum est (Resp. S. C. *de Rel.* 6 oct. 1919. AAS, XI, 1919, 420 ; *Per.* X, 73).

c) Legitimo Superiori permittitur ut tempus professionis temporariae in casibus particularibus proroget, non tamen « ultra aliud triennium » (c. 574, § 2).

Legitimus Superior is est quem constitutiones designant. Et sua

facultate uti poterit, ut addat ad tempus professionis temporariae dies vel menses necessarios ut possint omnes religiosi simul profiteri.

Professio temporaria est ad tres annos *taxative* definita. Utilissima enim probatio professionis temporariae non nimis diuturna esse potest, ne, contra mentem legislatoris, nimis impeditum faciat reditum ad saeculum religiosi qui ad vota perpetua non videtur admittendus.

Oportuit tamen dispositionem istam accommodare ad non pauca instituta quae ante Codicem diuturniorem probationem professionis temporariae omnibus communiter imponebant. Post maturam deliberationem, hae normae adoptatae sunt. *a*) Religionibus quae ante Codicem laudatae vel approbatae sunt, et professiones temporarias ultra tres annos faciendas statuerant, et iis quae primam professionem perpetuam habebant, facile, si id postulent, concedetur, ut professionem temporariam habeant quattuor, quinque vel sex annorum ; aut duas professiones trium annorum, vel unam trium annorum, post vel etiam ante tres unius anni. Non tamen admittitur ut professio perpetua vel sollemnis ultra sex annos differatur. Ac potestas Superioris prorogandi spatium professionis temporariae ita tunc circumscribitur, ut, computato tempore primae professionis et prorogatione facta a Superiore, summa sex annos non excedat.

Et sic suadetur etiam responsio negativa ad quaestionem, utrum necne ei qui, propter minorem aetatem, iam a quattuor vel quinque annis sit professus, possit Superior, ob speciales causas perpetuam professionem ad tres annos differe. Res tamen non ita constat. Namque tempus quod ex can.574 § 2 Superior prorogare potest, idem tempus esse videtur de quo in § 1 agebatur. Ibi autem tum de triennali professione, tum de longiore propter aetatem agitur. Quare dilatio triennalis non excluditur ab AUGUSTINE in h. c. ; a FANFANI, 265 dub. II ; a CREUSEN, n. 187, 4. Contra tamen faciunt voces « ultra aliud triennium », quae supponunt maximum tempus esse sex annorum ; contra quoque facit ratio legis : qui post sex annos nondum probatus videtur, nimis modicam spem de se esse sinit quam ut probatio protrahenda sit.

In casu speciali, ubi probatio post sex annos tentanda videatur, recurri poterit ad S. Sedem, quae novam prorogationem, non tamen ultra annum, concedere solet.

Indebite facta ultra sex annos prorogatio estne valida ? Cum non agatur de usu potestatis per se spectantis ad Superiorem, sed de usu potestatis quae ultra sexennium non est data, deficiente competentia Superioris, potius invalida videtur. Sic nobiscum SCHAFER, *De religiosis*, n. 268, p. 337 ; BASTIEN, 144 [2]. Res tamen non est manifesta, et CREUSEN pro validitate sententiam dicit, n. 187 [3].

Constitutiones, contra, per se professiones ordinare possunt. Quare, cum nulla clausula irritans adiecta sit canoni 574, valere censemus professionem temporariam ad septem vel octo annos facta illicite, sed secundum constitutiones quae reformari debuissent.

d) Professio tamen temporaria praetermittitur, cum professus votorum perpetuorum transit ad religionem cum votis perpetuis (c. 634).

e) De professione temporaria eorum qui ascripti sunt servitio militari cf. art. III.

3. Quid si vota etiam ultimo non fiant nisi expresse subordinata huic condicioni : « Donec in religione manebo », sive religiosus ipse sponte sua abire possit, sive exire ipse ultro nequeat, sed vota ipsa dimissione solvantur ? Vota haec non possunt dici perpetua. Itaque canon 574 eadem non attingit, nec proin triennalis professio iisdem praemittenda est. Sic resp. *Commiss. Pont.*, 1 mart. 1921.

677. - II. De professione perpetua, sollemni vel simplici. — C. 575 immediatam praecipit successionem professionis perpetuae, sollemnis vel simplicis, post probationem professionis temporariae. Quare, exacto professionis temporariae tempore, religiosus aut perpetuam emittat aut ad saeculum redeat.

Tempus autem istud est exactum, recurrente die eiusdem numeri quo professio primum emissa est (Cf. statim dicenda infra). Et si primum emissa fuerit die 29 februarii, professio perpetua, recurrente die 28 februarii, facienda erit (cf. c. 34, § 3, 4°).

Intervallum autem, si quod male interpositum sit, valori professionis perpetuae minime obstabit : nulla enim causa nullitatis allegari potest.

678. - III. De renovatione professionis temporariae. 1. Observes hic de sola agi renovatione iuridica seu necessaria, post elapsum votorum tempus ; non de renovatione *ex devotione*, libera aut praescripta, quae pluries in anno, etiam pro votis perpetuis, fieri potest. Haec spectatur decreto generali quo S. *C. R.* 14-27 aug. 1894 inter missam, hanc methodum adhibere permisit : « Celebrans, ad altare conversus, exspectet donec renovantes votorum formulam renovationis recitabunt, ac postea, ex ordine, SS. Corpus Domini accipient. » Prius autem quam recitent, celebrans iam dixit verba quae dici consueverunt ante fidelium communionem. Et si multi sunt renovantes, omnes simul, uno praeeunte, formulam pronuntiant.

2. Agentes autem de renovatione *necessaria*, variae renovationes faciendae sunt *eadem recurrente* die qua prima professio facta est, sine ulla horae consideratione, etsi Codex impediat quominus possit prima professio fieri eadem recurrente die qua noviciatus inceptus est (**c. 577.** Cf. n. 659).

Etenim, ex c. 34, 5°, cum agitur de actibus eiusdem generis qui statis temporibus renovandi sunt, tempus finitur eadem recurrente die qua incepit, sed novus actus per integram eandem diem poni potest.

Quare qui primam professionem fecerit hora decima, iam hora octava alteram vel perpetuam facere poterit. Canon enim 34, 5° regulam ad professionem perpetuam expresse applicat.

Pariter is qui saeculum repetere mavult, per totam diem, a summo mane, libere abire poterit. Ita etiam Schaefer, *De religiosis*, n. 269, p. 340. R. P. Schweigman, O. P., in *Nederl. Kath. St.* 1929, p. 184 ss. putat saeculum repeti non posse nisi elapso isto die. Nititur can. 34, § 3, 3° ; sed can. 34, § 3, 5° normam *specialem* statuit pro actibus qui per se statis temporibus renovandi sunt, et explicite dicit : « ex. gr. triennium ad professionem perpetuam... *tempus finitur* eodem recurrente die quo incipit », nec licet sanctionem istam restringere ad eos qui re vera professionem renovant. Ceterum nonne expedit ut professus inconstans tunc abire permittatur cum eius confratres vota renovant, ne cum aliquo dedecore suo et aliorum tristitia manere debeat in domo postquam ipsius propositum omnibus innotuit ?

Quid autem de horis istius diei quae usque ad renovatam professionem labuntur ? Estne per istas horas solutus votis professus qui vota renovaturus est ?

Nequaquam. Tempus enim non dicitur finiri *incipiente*, sed *recurrente* eadem die. I. e. per totam istam diem, integrum est professo renovare, assentiente legitimo Superiore, professionem, aut abire. Et ab illo momento quo vota renovata sunt vel professus abiit, vota priora cessabunt et locus erit regulae : Dies incepta pro completa habetur. Verum donec professus alterutrum non elegerit, manet in statu quo ante, etiamsi iam transierit hora qua primum professus erat. Computatio enim fit de die in diem. Cf. decr. S. C. *de Religiosis*, 3 maii 1914. AAS, VI, 1914, 229 ; *Per.* VIII, 32.

De exceptione facta huic renovationi propter servitium militare, dicetur in art. III.

Eodem canone 577 conceditur Superioribus ut ex iusta causa permittant anticipatam renovationem votorum, non tamen ultra mensem.

Id statutum est, ut facilius ordinari posset collectiva plurium religiosorum renovata professio. Diuturna tamen anticipatio prohibetur, ne lex fine suo frustretur. Voluit enim ut professi votorum temporariorum possent, elapso votorum tempore, magis serena conscientia e religione discedere quam si relaxatio permanentis vinculi petenda foret. Si igitur diu ante elapsum tempus nova obligatio suscipi permitteretur, professus numquam hanc liberam optionem haberet.

Quaeret quispiam a quanam die currere incipiat annus professionis temporariae quae per mensem anticipata sit ; utrum ab elapso anno completo, an a die renovationis ?

Respondemus : ab elapso anno completo. Facultas enim anticipandi non est facultas abbreviandi tempus votorum antecedentium. Sin aliter, in religionibus in quibus professiones annuales professioni perpetuae praeponuntur, possit quis per tres unius mensis anticipationes, tribus mensibus diminuere triennium ad professionem perpetuam vel sollemnem requisitum.

Religiones sunt, ubi bis in anno, diebus fere semestri spatio inter se separatis, recipiuntur candidati, quos tamen Superiores velint, ob iustissimas causas, eadem die ad professionem vel primam vel renovatam admittere. Quo pacto id obtineri poterit ?

Nihil aliud fieri potest, nisi ut Superior sex mensibus sive noviciatum sive professionem temporariam augeat. Debetne autem prima professio fieri ad diem solitam, puta ad tres annos, et dein ad sex menses renovari, ut indicare videntur in c. 574, § 2, verba : « renovata religiosa professione », an possit, iubente Superiore, professio statim fieri usque ad perpetuam seu, v. g. ad tres annos et sex menses ?

Utrumque modum licere arbitramur. Obiecta verba id unum spectant, ut impediant ne quispiam in religione sine votis permaneat.

Religiones laicales, quae quotannis sacerdotem quaerere debent qui ipsis exercitia spiritualia tradat, aegre obtinere possunt ut exercitia spiritualia immediate praedicentur ante diem quae canonicae renovationi votorum vel professioni destinanda foret : quod tamen optabile est. Quare impetrare possunt a S. Congregatione ut anni ab exercitiis ad exercitia valide et licite computentur.

Observes demum anticipatam permitti votorum *renovationem*, non autem pronuntiationem professionis *perpetuae*, simplicis vel sollemnis, quae, secluso indulto pontificio, ante tres completos annos professionis temporariae invalide fieret. Cf. c. 572, § 2.

679. - De ritu et annotatione professionis. 1. De *ritu* id solum edicitur, ut servetur ritus qui in constitutionibus praescribitur (c. 576 § 1). Regula ista communis est primae et renovatae professioni. In ritu autem plura accidentalia essentiae miscentur. Quaenam ad utrumque genus pertineant, constitutiones et receptae interpretationes docebunt.

Postquam autem in Ordines religiosos introducta est duplex votorum nuncupatio, altera simplex vel temporaria, altera sollemnis vel perpetua, quaesitum est a monialibus in quanam caerimoniale solitum adhibendum esset, Ac, die 18 iul. 1902, a S. C. *Episc. et Regul.* responsum est ritum qui antea pro unica professione usurpabatur iam in prima professione adhibendum esse, suppressis, si erant, verbis sollemnitatem reddentibus ; professionem vero alteram privatim emitti posse in choro vel oratorio interno coram communitate, in manibus Superiorissae. — Nunc autem, cum ubique praescribatur professio temporaria ante sollemnem, S. C. *de Religiosis*, 30 iul. 1919, hanc disciplinam mutavit hoc modo : « Mens est ut professioni sollemni reserventur ritus illi omnes et caerimoniae quae ad perpetuitatem status referuntur ; ad professionem vero temporaneam sufficere ut ad normam c. 572, § 1, n. 6, a legitimo Superiore secundum constitutiones per se vel per alium recipiatur » (AAS, XI, 1919, p. 323). Nihil tamen prohibet, ut scite observat MAROTO, *Commentarium pro religiosis*, I, 293, quin, assentiente pro monialibus Ordinario loci vel Superiore regulari, etiam prima professio fiat publice et cum aliqua sollemnitate, exclusis ritibus qui perpetuitatem repraesentent.

2. De *annotatione* professionis. Documentum emissae professionis ab ipso professo et saltem ab eo coram quo professio emissa est, subscriptum, in tabulario religionis servandum est. Simul igitur cum religioso Superior vel delegatus qui professionem recepit documentum subscribere debet. Accedere autem possunt opportune nomina subscripta vel Superioris si ipse caerimoniae non praefuit, vel aliorum testium.

Sollemnis autem professio in libro baptizatorum annotari debet. Quare Superior qui eandem excepit parochum baptismi de eadem certiorem reddere debet. Quod sane per delegatum ipse praestare potest ; sed ipsius est cavere ut nuntius iste detur (c. 576, § 2).

Art. III. - De professione religiosa quae servitio militari impeditur vel differtur

680. - I. Servitium militare quod hic consideratur est servitium *activum*, seu istud quod « primitus ad militiam vocati ad unum vel plures annos praestare debent » (Decr. *Inter reliquas*).

Non est ergo servitium *supplementare* quod, post expletum servitium ordinarium, interdum per aliquot hebdomadas imponitur ; — nec extraordinarium, quamvis maxime activum, quod propter bellum exigitur ab iis qui secus liberi manerent. Nec, ex descriptione facta, esse videtur servitium *brevius* anno, sicubi paucis hebdomadis vel mensibus leges contentae sint. Nec est servitium misericordiae corporalis quod in quibusdam regionibus in locum servitii militaris a clericis et religiosis postulatur. Severius tamen pro Belgio respondit S. C. *de Religiosis*, 18 ian. 1922 (*Per.* X, (39). (40)) Cf. quoque rescr. 20 iun. 1922, *Per.* XI, 85.

II. De illo igitur servitio agens, decretum *Inter reliquas*, 1 ian. 1911, sub sanctione nullitatis, ut 1 febr. 1912 ad 3, declaratum est, vetuit ne sollemnem vel perpetuam professionem emitterent religiosi quos certo non constat ab eo servitio esse exemptos. Immo, sub eadem poena nullitatis, ut iterum 1 febr. declaratum est, ad 4, praecepit ut, expleto servitio militari, religiosi saltem per annum permanerent in votis simplicibus ante vota sollemnia, vel, in Congregatione religiosa, saltem ad

annum emitterent professionem temporariam antequam ad perpetuam admitti possent.

Ex positiva tamen S. Congregationis concessione, iuvenes qui in ultimo curriculi studiorum anno versantur, et qui intra annum ad sacras missiones profecturi sunt, admitti possunt ad perpetuam professionem, sollemnem vel simplicem, « emisso prius ex parte candidati iuramento de servitio missionibus praestando usque ad tempus praefinitum a lege civili ad exemptionem obtinendam, et onerata Superiorum conscientia de eiusdem exsecutione » (Resp. 1 febr. 1912, ad 6).

Quod ad eos qui iam in missionibus versantur, decreto *Inter reliquas* attingi non videntur, quamvis, si patriam repeterent, servitio militari astringerentur.

III. Responsa autem S. C. *de Religiosis* 15 iul. 1919 declararunt decretum istud adhuc vigere, simulque idem aptaverunt ad novam disciplinam votorum temporariorum, qualis nunc etiam in Ordinibus religiosis exigitur.

Statuit ergo : 1. ut astricti servitio militari vota facerent non ad triennium, sed usque ad servitium militare, i. e. usque ad diem qua militiae effective ascripti et subiecti disciplinae militari evaderent, vel absolute et in perpetuum inhabiles renuntiarentur.

In priore casu, donec servitium militare expleverint, nulla professione religiosa ligantur vel ligari possunt.

In altero casu, pro elapso spatio votorum triennalium et merito suo, ad professionem perpetuam, simplicem vel sollemnem, vel ad renovandam professionem temporariam admittentur.

Quid autem si, ut saepe accidit, sententia definitiva differatur, et ad tempus declarentur exempti ? Servabunt tunc vota sua temporaria, facta ad diem incertam pronuntiationis definitivae.

Commentarium pro religiosis merito observat eos qui habiles renuntiantur nondum statim effective subiectos evadere disciplinae militari, ita ut pro iis vota non cessent ipsa die qua idonei declarantur, sed quando incipiunt stipendia mereri.

2. Perdurante servitio militari, alumnus, sicut is cuius tempus votorum est elapsum, ipse religionem libere deserere potest : requiritur tantum ut Superiores praemoneat per declarationem scriptam, vel verbalem coram testibus, quae declaratio caute in archivo religionis servanda est (facta, ut patet, si declaratio fuit verbalis, authentica relatione a Superiore).

Potest quoque, ob iustas et rationabiles causas, a religione declarari dimissus.

Si neutrum fiat, manet in religione, sine votis, fere in condicione novicii, sub potestate Superiorum, qui de eo curam habere debent.

Cum desint vota, Superiores non poterunt, ex potestate dominativa, ipsis in virtute s. oboedientiae praecepta dare ; sed in religione clericali exempta, potestatem *iurisdictionis* supra eos servabunt.

3. Praeterea, expleto servitio militari, saltem per annum, in votis temporariis manere debebit.

Nova igitur prorogandi tempus votorum temporariorum facultas Superioribus conceditur. Limes quidem nullus expresse indicatur. Ex mente tamen praesentis disciplinae est ut ultra triennium non extendatur.

Tempus autem quod ante servitium militare egit cum votis temporariis bene coniungi poterit cum votis quae militiam sequuntur, ad computandum triennium vel longius spatium professionis temporariae iure communi vel proprio impositum.

4. S. C. *de Religiosis*, eodem suo decreto 15 iul. 1919, facultatem fecit Superioribus sanandi professiones quae, post promulgatum Codicem, ac proin post 27 maii 1917, bona fide emissae sint contra praescriptum decreti *Inter reliquas*, dummodo accedat consensus religiosi, in scriptis declarandus et in archivo servandus.

Et quia in religione manet, tempus militiae computari potest in annis requisitis ad habendam vocem activam vel passivam.

Omnis sanatio supponit causam nullitatis, i. e. hic, servitium militare, esse suppressam. Sanari enim nequit quod hic et nunc foret vitiatum. Quare, qui bona fide emiserit professionem sed adhuc servitio militari astrictus fuerit, non possit nisi a S. Sede a lege professionem impediente dispensari.

IV. Sola vota publica seu professionis impediuntur. Integrum ergo est religioso vota devotionalia facere, et id prudenter suadendum videtur.

Rescripto ex aud. SS[i] 20 iun. 1922, S. C. *de Religiosis* concessit ut omnes religiosi natione Belgae possint perdurante servitio militari vota temporaria sua servare et renovare (*Per.* XI, 1922, 85. Cf. quoque X, 39 ; *N. R. Th.*, 1922, 151. 543).

Art. IV. - De regimine professorum et effectibus professionis

Ordo dicendi. Ordine agemus de effectu communi omnis professionis, dein de propriis rationibus professionis temporariae, — professionis simplicis in universum et in Congregationibus religiosis, — omnis professionis perpetuae et professionis sollemnis.

681. - **I. Communis efficacia omnis professionis.** 1. Vota sunt omnia *publica*, sicut ea intellegit c. 1308, § 1, i. e. nomine Ecclesiae a legitimo Superiore ecclesiastico acceptata, quae proin ab iis solis relaxari possunt quibus expressa in ea vota potestas concessa est, ita ut generalis facultas in vota reservata minime sit sufficiens.

In ipsis religionibus fit ut, sub alio respectu, distinguantur vota publica et acceptata : publica sunt quae palam seu coram testibus religioni extraneis fieri debent ; acceptata dicuntur quae mutuum et per se firmum nexum inter religionem et professum inducunt. Sic in Societate Iesu, ultima vota, non prima, sunt publica ; et ad publicam professionem quattuor votorum accedunt, in sacristia

quinque vota non publica. Prima autem vota, utcumque sint ex parte voven perpetua (Cf. C. *Ascendente Domino*, Gregorii XIII, 25 maii 1584) ipsam s tatem stricte non ligant, et ideo dicuntur non acceptata a religione.

2. Omnis professio professum participem efficit omnium indulge rum, privilegiorum et gratiarum spiritualium quibus religio fru eique aequalia suffragia post mortem tribuit. Et declaratione 16 1919, *Commissio de interpretando Codice* facultatem fecit religion omnibus ut in suis constitutionibus emendandis, suffragia omn aequalia ordinarent. Omnibus, i. e. suppressa omni distinctione cla ita tamen ut qui. ratione officiorum gestorum specialia bona m haberent, peculiaria suffragia obtinere possent.

3. Imponit professo obligationem observandi vota, regulas et co tutiones.

4. Obnoxium facit professum dominativae potestati Superiorum permittens praecepta in virtute s. oboedientiae, et directam irrita nem votorum.

5. Efficit ut post annum vacent beneficia paroecialia, post trienn vero cetera (c. 584).

6. Vota anteriora suspendit, donec vovens in religione perman (c. 1315).

682. II. 1. **Propria ratio professionis temporariae,** haec assignari potest, per eam, cum professo periodice libertatem restit statum religiosum minus perfecte obtineri. In religionibus tamen c non habent nisi talia vota, professis, saltem post aliquod tempus, c ferunt omnia iura et omnem habilitatem ad munia religionis.

2. Vota autem *temporaria quibus perpetua praeparantur*, **c. 578**, 2°. 3° :

a) Professum ad chorum quidem, ubi est chori obligatio, sed nor privatam officii divini recitationem obligant, nisi constitutiones a expresse decernant.

b) Non dant vocem activam vel passivam, nisi aliud in constitu nibus expresse caveatur. Tempus tamen necessarium ad fruend voce activa et passiva computatur a prima professione, nisi const tiones rem aliter disponant.

Quando vota simplicia primum in Ordinibus introducta sunt, simpliciter fessis eandem ac sollemniter professis vocem activam conferebant ; subinde pliciter professi exclusi sunt a Capitulo ubi de admissione ad sollemnem profe nem agebatur ; atque ita, docente experientia, ad praesentem disciplinam per tum est. (Cf. decl. 12 iun. 1858 et 7 febr. 1862. Vermeersch, *De religiosis*, n. 61 et 63, pp. 178. 181.)

683. - III. Vis **communis omnis professionis simplicis** (ex. 579-581 et 583).

1. *Actus votis contrarios* reddit illicitos sed non invalidos, nisi aliud expresse cautum fuerit (c. 579).

Efficax igitur est per se dispositio bonorum suorum quam per actus inter vivos vel per testamentum illicite fecerit simpliciter professus, ita ut hi quibus profuit suo iure acquisito uti possint. Validum quoque est matrimonium, cuius usus voto quidem, ac proin religioni, non autem castitati erit saepe contrarius. Votum tamen istud ab altero coniuge irritari non poterit, saltem directe, nec ab Ordinario vel privilegiato confessario dispensari, sed ad S. Sedem recurrendum erit. Namque habetur conflictus iurium, cum, permanente professione simplici, ius in personam religiosi sit religioni acquisitum. Quod ad oboedientiam, potestas dominativa Superioris efficit ut simpliciter professus *firmiter* se obligare nequeat, et ut Superior possit, antecedente prohibitione, ipsam futuram obligationem reddere infirmam seu nullam.

In Societate Iesu, votum castitatis irritat matrimonium ; votum autem simplex paupertatis quod coadiutores formati emittunt eosdem quos sollemne votum effectus parit.

2. Quod ad *bona* :

a) Omnis professus a votis simplicibus, nisi aliud in constitutionibus cautum sit, conservat proprietatem bonorum suorum et capacitatem alia acquirendi. Debuit tamen, iam ante vota, abdicare eorum administrationem, et, nisi constitutiones aliud ferant, de usu et usufructu libere disponere (c. 569, § 1 et 580, § 1).

Cessionem istam et dispositionem professus mutare potest, non tamen proprio arbitrio, nisi constitutiones id sinant, sed de supremi Moderatoris licentia, cui, si monasterium sit regularibus subiectum, accedere debet assensus Superioris regularis. Mutatio tamen, saltem de notabili bonorum parte, fieri non potest in favorem religionis (sine dispensatione S. Sedis). Denique, per discessum a religione, ea cessio ac dispositio vim habere desinit (c. 580, § 3).

Quaenam sit *notabilis* bonorum pars, in aestimatione morali positum est. Plerumque notabilis non erit quae quartam partem non superet, quamvis summa absolute notabilis sit. Namque Codex rem aestimat *relative*, cum dicat : « de notabili bonorum parte » « Tertia pars, ait Prümmer, q. 217, videtur esse semper notabilis. » Haec Codicis dispositio quandam diffidentiam sapere videtur a Superioribus, quorum auctoritas libertatem religiosi minuere possit ; simul tamen hanc utilitatem affert protegendi religionem contra calumnias captationis, cum exigatur interventus S. Sedis, quae rationabiles largitiones minime impediet.

Interrogata utrum verba canonis 569, § 1 *Nisi constitutiones aliud ferant*, ad vocem *libere* referantur necne, ita ut liceat per constitutiones determinare in quem finem de usu et usufructu a noviciis sit statuendum, pontificia Commissio de interpretando Codice, die 16 oct. 1919, hoc promulgavit responsum : « Constitutiones, ante promulgationem Codicis approbatae, servandae sunt, sive noviciis adimant ius disponendi de usu et usufructu suorum bonorum, sive hoc ius limitent seu praefiniant ». Inde, in *Commentarium pro religiosis*, I, p. 168. 169, R. P. Maroto infert, comma *nisi constitutiones aliud ferant*, non ad solam vocem *libere*, sed ad totam de usu et usufructu dispositionem referri, ita ut constitutiones permittere possint ut professi singulis vicibus de fructibus annuis disponant. — Id quoque concedemus, si constitutiones id fieri sinant, dummodo

simul exigant licentiam Superioris. Responsio enim Commissionis non loquitur nisi de *limitatione* vel *suppressione* iuris liberae dispositionis quod Codex tribuit noviciis ante vota. — Per se autem Codex postulat ut abdicatio usus et ususfructus fiat semel pro semper ad totum tempus votorum simplicium.

b) In *Congregationibus* tamen religiosis, secus atque in Ordinibus, nequeunt constitutiones praecipere bonorum abdicationem, cum non liceat religiosis per actum inter vivos dominium bonorum suorum *titulo gratioso abdicare* (c. 583).

Mens istius canonis est ut religiosus simpliciter professus administrationem quidem, usum proprium et usumfructum a se abdicet, et sic commodis possessionis temporalis se spoliet ; sed simul iura sua patrimonialia intacta servet, de his tantum per testamentum libere factum disponendo titulo gratuito. Finis autem duplex assignari potest tali legi : prior, principalis, ut, cum incerta sint tempora, religiosus, si saeculum repetere cogatur, sibi et fortasse fratribus suis per bona sua consulere possit ; alter, ut testamenta utilia pietati et caritati condere queat.

Attamen textus legis non videtur violari a religioso qui bona sua donet quidem, sed cautione prudenter sumpta de universali restitutione sive bonorum sive eorum valoris si, ob aliquam causam, saeculum repetere debuerit vel voluerit. Ita etiam SCHÄFER, *De religiosis*, n. 271. Talis enim abdicatio non est nisi partialis. Nec eodem canone impediri videtur rationabilis transactio cum parentibus de bonis nondum acquisitis sed speratis vel iure hereditario debitis, dummodo linquat personae religiosae securitatem habendi unde decenter, secundum condicionem suam, vivat. Bona enim ista nondum *sua* sunt et canon loquitur de abdicatione *bonorum suorum* ; ac principali saltem legis fini satisfactum est, si sufficientes reditus maneant securi.

Redeunt dicta supra de nullitate civili, et nunc etiam canonica, pactionum de hereditate futura.

c) Quidquid industria sua vel intuitu religionis acquirit simpliciter professus, religioni acquirit (c. 580, § 2).

Observes *industriam* ipsam quidem manere propriam, quam ergo, per se, licite et valide in alterius gratiam (v. g. ad missam celebrandam, ad pingendam tabulam) adhibere potest ; sed fructus industriae religioni acquiritur. Unde qui gratis alteri celebrat, paupertatem non violabit ; qui vero de stipendio disponit, contra ipsam iustitiam facere videtur, cum privet communitatem fructu qui ipsi acquisitus est.

Intuitu religionis autem acquiruntur quae religioso tribuuntur vel expresse pro monasterio, vel quatenus est persona religiosa.

Quaenam igitur bona acquirit sibi simpliciter professus ? Fructus bonorum suorum, donec usufructu non cesserit ; bona quae nomine proprio, ex haereditate ad ipsum delata ad ipsum pervenerunt, vel ex legato ipsi personaliter facto ; bona quae ipsi intuitu privatae eius personae dantur.

d) In *Congregationibus*, mutatio *testamenti* quod, durante noviciatu, fieri debuit, prohibetur sine licentia S. Sedis, vel si res urgeat nec tempus suppetat ad eam recurrendi, sine licentia Superioris maioris, aut, si nec ille adiri possit, localis.

Testamentum non mutat qui perficit incompletum vel qui caducum propter mortem legatarii reficit. Ad haec igitur licentia S. Sedis non requiritur.

De testamento quod *in Ordine religioso* condant simpliciter professi variae constitutiones adeundae sunt. Ex disciplina sat generali, cui Codex non derogavit, poterant simpliciter professi libere per testamentum de bonorum suorum dominio

disponere, ac proin etiam testamentum mutare. Cf. Bizzarri, *Collect.* p. 847, vel (2 ed.) p. 793, 8.

684. - IV. 1. **Vis propria professionis perpetuae** haec est, ut professus sit incardinatus religioni suae, et consequenter amittat ipso iure propriam quam in saeculo habebat dioecesim (**c. 585**). Quod maxime attendendum est pro ordinatione et iure quod post dimissionem religioso competit. Cf. infra. Vinculum igitur mutuum inter religionem et professum inducit.

Sicubi, ut in Societate Iesu, vota simplicia perpetua Ordini non incardinent, dioecesis amitti non videtur. Sed S. Congregatio facile arcebit ius inducum per decretum *Auctis admodum*, quo episcopus recipere non debet religiosum qui, qua talis, ordines sacros suscepit.

2. Facta in statu gratiae, remittit omnia peccata ante commissa quod ad poenam.

3. Professurus vota perpetua, omnia vota antiora, salvo iure tertii, in suam professionem propria auctoritate *commutare* potest.

685. - V. **Propria vis professionis sollemnis.** Praeter effectus communes omni professioni perpetuae, professio sollemnis :

1. Professum facit strictissime religiosum.

2. Inducit vinculum mutuum inter religionem et professum, idemque intrinsece indissolubile (intrinsece, i. e. mutuo consensu).

3. Ubi est obligatio chori, professum obligat ad chorum et ad recitationem privatam breviarii, si fratres conversos excipias.

4. Dirimit matrimonium contrahendum et solvit matrimonium ratum sed non consummatum.

5. Aufert irregularitatem ex defectu natalium legitimorum (c. 984, 1°).

6. Invalidos reddit actus votis contrarios, ex communi iure, si sint irritabiles.

Itaque professus sollemniter, obligationem pecuniariam contrahere vel ius ad bona temporalia sibi acquirere nequit. Matrimonium frustra attentat. Immo antea contractum matrimonium quod ratum manserit, ipsa sollemni professione ut dictum est, dissolvitur. De oboedientia non videtur effectus specialis nullitatis assignari posse. Cf. Wernz, III, scholion ad n. 652.

7. Per se, secluso indulto S. Sedis, professum efficit incapacem conservandi et acquirendi bona temporalia. Quare, intra 60 dies ante professionem sollemnem, et sub condicione secuturae professionis, debet sollemniter professurus bona quae actu habet cedere cui maluerit.

Cessio ista plerumque non fiet prudenter in forma civiliter valida ante professionem. Quare **c. 581**, § 2 statuit ut, secuta professione, statim omnia necessaria fiant ut renuntiatio etiam civiliter suos effectus consequatur.

Omnia autem bona quae, post sollemnem professionem, quovis modo obveniunt regulari : « 1° In Ordine capaci possidendi cedunt Ordini

vel provinciae vel domui, secundum constitutiones; 2° in Ordine incapaci, acquiruntur S. Sedi in proprietatem » (c. 582).

Non modica quaestio hic exoritur de bonis quae hereditate obventura praevidentur professo, quia est heres legalis, vel adeo necessarius. De bonis quae alio titulo : donationis, legati, ad ipsum perveniunt, facilior est solutio, quae c. 582 adaequate proponitur. Etenim, post professionem sollemnem, principium « Quidquid acquirit monachus monasterio acquirit » universalem recipit applicationem Et si monasterium est Fratrum Minorum vel Fratrum Minorum Cappucinorum, quod bona propria possidere nequit, S. Sedes acquirit proprietatem ; usum vero et usumfructum Fratribus permittere solet. Et pro his c. 582, 2° introductus est.

De hereditate autem, ante Codicem, distinguebant monasteria seu religiones quae in locum professi succedere non possunt, et religiones capaces talis successionis. In prioribus, sic in Societate Iesu, hereditas interdum dividebatur quasi professus eam non adiret, ac proin, inter eos qui, deficiente professo, ad hereditatem vocabantur In aliis vero, professus poterat in sua renuntiatione destinare ista bona familiae, monasterio, piae causae, suffragiis post mortem. Ac solae hereditates de quibus nullam aliam dispositionem fecerat, legitima devolutione ad monasterium perveniebant.

Estne disciplina ista canonibus 581. 582 suppressa, ita ut familiae necessario priventur omni hereditate quae, post professionem sollemnem, professo obveniat ? Id gravissimum fore et tale quod saepe odia adversus religionem generaret, facile perspicitur. A mente autem legislatoris talia abhorrent.

Quocirca nihil in hac disciplina mutatum esse arbitramur ; et canones sic explicari posse putamus. *Praecipit* Codex, c. 581, § 1, ut sollemniter professurus de bonis suis *quae actu habet* renuntiatione sua disponat. *Non prohibet* autem quin, si ita ferant usus religionis, etiam bona futura, ea praesertim ad quae ius certum habet, sua renuntiatione complectatur. Quae bona tunc ipsi non iam obvenient post professionem sollemnem, ita ut c. 582 iam ad haec non sit applicandum. In *Commentarium pro religiosis*, I., pp. 79 et 182, R. P. Larraona simile quidpiam defendit, hac altera ratione, quod bona ad quae professus ut heres vocabitur iam inter ea quae actu habet computari possint. Quod ipse tamen non audet tueri in regionibus ubi dispositio de hereditate futura est civiliter nulla, cum talis renuntiatio nequeat, sicut vult Codex, statim post professionem civili efficacia donari. Cf. Schafer, *De religiosis*, n. 274.

Quaeres quid, si professurus ipsam renuntiationem bonorum praesentium omiserit ? Haec tunc, sicut ante Codicem, pleno iure acquirentur Ordini capaci, vel, si Ordo fuerit incapax, S. Sedi in proprietatem.

Bis, cc. 581 et 582, insinuatur esse indulta peculiaria S. Sedis quae capacitatem professis restituunt. Tale indultum a saeculo in usu esse in Belgio et in Hollandia, passim notum est. Vi talis indulti, sublata incapacitate, licet sollemniter professis, dependenter tamen a Superioribus suis, bona sua retinere, administrare, alia acquirere, et de iis disponere. Cf. lucubrationem nostram in opere *De religiosis*, etc. II, p. (78) ss. Mens autem S. Sedis est ut usus talis indulti non sit generalis, sed a Superioribus ad casus extraordinarios restringatur, praesertim ad civiles difficultates in possessione bonorum praecavendas vel vitandas. Pro plerisque religiosis igitur nihil practice huiusmodi indulto mutatur.

Art. VI. - De professionis convalidatione

686. - I. Professio invalida non convalescit sublato vel cessante impedimento, sed actus positivus requiritur, alius in alio casu.

Etenim, si causa nullitatis fuit impedimentum externum, v. g. defectus aetatis, opus est ut a S. Sede sanetur, vel ut denuo, cognita nullitate et impedimento sublato, professio legitime emittatur (c. 586, § 1).

II. Si solus defuerit internus consensus, hoc praestito, professio convalescit, dummodo, ex altera parte, consensus non fuerit revocatus (c. 586, § 2). Codex quidem de solo casu agit ubi professus interne non consenserit. Sed idem dicendum videtur in casu, si unquam eveniat, ubi Superior admissionem finxerit.

687. - III. Quid autem si professio *positive dubia* fuerit ? Tunc, ad cautelam, quia difficultates fori externi hoc facili medio praecavendae sunt, sanatio a S. Sede petenda est, vel renovanda est professio. Si religiosus neutrum voluerit (perinde dicas si religio noluerit) res ad Sedem Apostolicam deferenda est (c. 586, § 3).

N. B. BENEDICTUS XIV ordinaverat specialem formam processus de nullitate professionis religiosae. Sicut in causis matrimonialibus, defensor vinculi professionis religiosae erat constituendus. Haec omnia nunc obsoleverunt.

TITULUS XII

DE RATIONE STUDIORUM IN RELIGIONIBUS CLERICALIBUS

(cc. 587-591)

Scriptores : AUGUSTINE, O. S. B. in hos canones. — BIEDERLACK-FÜHRICH, S. I. *De religiosis*, n. 101-103. 105. — BLAT, O. P., *Commentarium*, etc. ed. 2, p. 649-655. — CHELODI, R. D. *Ius de Personis*. n. 275. — CREUSEN, S. I., *Religieux et Religieuses*, n. 207-213. — FANFANI, O. P. *De iure religiosorum*, n. 275-281. —LEITNER, R. D. Dr., *Handbuch*, etc. III, *Das Ordensrecht*. § 20. — PRÜMMER, O. P., *Manuale*, p. 229. — SCHÄFER, O. M. C., *Das Ordensrecht*, 214-221, *De religiosis*, n. 289-303.

Ordo dicendi. Codex ordine agit de studentium religiosorum habitatione ; de eorum spirituali informatione ; de studiorum ratione ; et de scientiae sacrae cultu post absoluta studia regularia.

688. - I. **De studentium habitatione.** 1. Optat Codex, immo per se praecipit, ut quaelibet clericalis religio proprias et rite instructas habeat studiorum domos, qua tales a Capitulo generali vel a Superioribus approbatas, in quibus iubet ut Superiores non alios religiosos collocent nisi qui regularis observantiae studio sint ad exemplum (c. 587, § 1).

In eadem studiorum domo perfecta vita communis vigere debet

(c. 587, § 2) : ea, ni fallimur, perfectione, quam approbatae constitutiones exigunt. Sic etiam BLAT, op. c. p. 649. Namque haec sola urgetur in decr. 22 april. 1851, n. 2, 3, ad quod nota nos remittit. Cui condicioni vitae communis si non sit satisfactum, studentes ad ordines promoveri nequeunt (ibid.).

De applicatione istius sanctionis dubium ita solvi posse arbitramur. Per eam oneratur conscientia Superiorum qui candidatos suos praesentant ad ordines, nec, tuta conscientia, eos praesentare possunt in quibus qualitas requisita desideratur ; ac ius tribuitur episcopo ordinanti, qui deficientis condicionis sit conscius, repellendi candidatos. Ipsi autem iuvenes praesentati, quibus defectus observantiae imputari nequit, se ipsi beneficio ordinationis non ideo heroice privare debent, praesertim cum id aegre facere possint sine gravissimo incommodo offendendi Superiores. Facile autem continget ut S. Sedes de mota difficultate certior reddatur : haec tunc idoneos et bonos iuvenes dispensabit et simul vitam communem efficaciter urgere non omittet.

2. Non omni tamen provinciae vel religioni copia suppetit habendi rite instructas studiorum domos ; ac fit quoque ut quae exsistunt non sint, pro pluribus, facilis accessus. Quare c. 587, § 3 permittit tunc ut religiosi alumni mittantur vel ad recte ordinatam studiorum domum alius provinciae aut religionis, vel ad scholas seminarii episcopalis, vel ad catholicam Universitatem.

Ac re vera non est optandum ut Congregationes parum diffusae in erigenda studiorum domo quasi vires suas exhaurire velint : quid valebunt studia quibus parum praeparati magistri praeesse debebunt ? Nonne PIUS X seminaria centralia erexit ut simili inopiae parvarum dioecesium succurreret ? Causae porro mittendi proprios alumnos ad scholas alienas non videntur taxative enumeratae ; aliae iustae, iam antiquitus probatae, audiendi magistrum specialis nominis, addiscendi utilem linguam, peragendi studia specialia, haberi possunt cur expediens sit ut selecti alumni publicum athenaeum frequentent. Sic, in ipsa Urbe, proximitas S. Sedis, quacum catholici intime coniungendi sunt, frequentissimam iuventutem omnis nationis congregat. Fas igitur est Superioribus id efficere quod huiusmodi rationes suadent. Quare c. 606, § 2, simpliciter ipsis concedit ut causa studiorum absentiam ultra sex menses admittant.

Observandum tamen erit decretum S. C. *Consistorialis*, 30 april. 1918, quo solis sacerdotibus permittitur accessus Universitatum laicarum, i. e. non canonice sed sola auctoritate civili vel laicorum opera erectarum et directarum (Cf. *Per.* IX,119).

3. Religiosis qui sic longe a propria domo studiorum causa versantur praecipitur habitatio, exclusis privatis domibus, in aliqua suae religionis domo, vel, si id fieri non possit, in aliquo religioso virorum instituto, vel seminario, aliave pia domo directa a sacerdotibus et approbata ab ecclesiastica auctoritate (c. 587, § 4).

Iam ipsum C. Trid. s. XXV. c. 4 De reg. praeceperat : « Illi autem qui studiorum causa ad Universitates mittuntur, in conventibus tantum habitent, alioquin ab Ordinariis contra eos procedatur. »

Quaeres quomodo pia domus cui praesunt clerici in sacris possit non esse approbata ? Sed, ni fallimur, agitur hic de approbatione in finem hospitandi religiosum vel religiosos, non quod expressa licentia postulanda sit, sed quod

auctoritas ecclesiastica talem usum saltem tacite admittat. — Talis pia domus etiam domus paroecialis interdum esse potest, si in ea vita communis ducatur, vel melior domus desideretur.

689. - II. De spirituali informatione studentium. Quando in propria domo religiosa studiis incumbunt, vult **c. 588**, § 1, ut studentibus religiosis constituatur praefectus vel magister spiritus « qui eorum animos ad vitam religiosam informet opportunis monitis, instructionibus atque exhortationibus ».

Magister iste saltem aliis qualitatibus quae in magistro noviciorum requiruntur praeditus sit oportet, salva, ut videtur, aetate et antiquitate professionis, ita ut eligi possit tricenarius et a quinque annis professus.

Hoc modo interpretamur verba « ad normam c. 559, § 2 », ubi definitur quamnam aetatem et antiquitatem professionis socius magistri noviciorum habere debeat. R. P. GOYENECHE, C. M. F. late nec inepte, in *Comment. pro religiosis*, I, 140, tuetur, § 2 esse mendose positam pro § 1. — Dubitatur ceterum num aetas inter qualitates recensenda sit. Rogata, anno 1924, dispensationem pro religioso 28 annos nato, S. C. *de Religiosis* respondit : « Superior utatur iure suo ».

Ipsa vox « oportet » plus, de se, dicit quam *decet*, minus quam *necesse est*. Sic FORCELLINI. Indicat quod ratio postulat, quod convenit. Cur ab hac naturali vocis significatione recedamus motivum esse non videtur, praesertim, cum nimiae exigentiae propter ipsam difficultatem posthabeantur. Cf. SUAREZ, *De legibus*, l. 3, c. 15, n. 10.

Haec tunc erit vis canonis : Superiores curare debent ut, prout copia est, praefectus qualitates morales habeat magistri noviciorum.

Nihil autem prohibet quin praefectus iste sit ordinarius confessarius alumnorum. Si tamen disciplina exterior ipsi simul committeretur id menti Codicis aperte adversaretur. Sic etiam SCHAFER, *De religiosis*, n. 292.

Vacare porro debet ab omnibus officiis oneribusque quae curam studentium impediant. Sic, ex c. 559, § 3, ad quam c. 588 remittimur.

Superiores sedulo invigilare debent ut praescriptae exercitationes spirituales et usus sacramentorum in tali domo perfectissime observentur (c. 588, § 3).

Canon iste manifesto contemplatur casum ordinarium studiorum in propria et approbata religiosorum domo peractorum. Procul dubio autem est e mente legislatoris ut Superior similes cautiones tutelae et fervoris religiosi iis quoque provideat qui in aliena domo commorari coguntur.

690. - III. Studiorum ratio. — Canon **589**, § 1 ipsam studiorum rationem quadantenus adumbrat, dein, in § 2 quaedam exigit vel permittit ut studia magis fructuosa esse possint.

§ 1 indirecte praescribit sufficientem praeparationem studiorum inferiorum, cum philosophica et theologica studia ordinet religiosis « qui in inferioribus disciplinis rite instructi sint » ; — dein exigit philosophiae studia saltem per biennium et s. theologiae, saltem per quadriennium ; — atque haec studia ita peracta vult « ut institutionem professores omnino pertractent ad Angelici Doctoris rationem, doctrinam et principia, eaque sancte teneant » (c. 1366, § 2) ; — denique

praecipit ut in haec studia « diligenter incumbant secundum instructiones Apostolicae Sedis ».

Ut de singulis pauca dicamus :

1. Superiores igitur curare debent ut non alii religiosi quam sufficienter praeparati studia superiora adeant ; et ad mentem agent legislatoris, si eam saltem pro viribus procurent praeparationem quae in inferioribus seminarii scholis prostat ex c. 1364.

Dicemusne autem cum RR. PP. Biederlack-Führich S. I. n. 102, urgenda esse anteriora decreta valde severa et minutioris curae, quae v. g. 7 sept. 1909, postulabant regulare curriculum publicum studiorum humaniorum, immo primariorum, ita ut privata studia sine recursu ad S. Sedem valere non possent ?

Pace dixerimus scriptorum, quibus dissentiunt etiam Chelodi, *Ius Person.* n. 102 ; Larraona, *Comm. pro rel.* V, 102-104, huiusmodi interpretationem a textu et a mente Codicis alienam iudicamus. Etenim :

Declarationes 7 sept. 1909 ex professo datae sunt ut explicarent verba art. VI decreti *Auctis admodum* quibus tres anni theologiae ante presbyteratum exigebantur « *praemisso tamen regulari aliorum studiorum curriculo* ». Pro his verbis Codex mere haec habet : « *religiosi in inferioribus disciplinis rite instructi* ». Quo iure, ad verba diversa, consulto temperata, anteriores declarationes transferas ?

Praeterea, declarationes istae studia inferiora, saltem primaria et quattuor annorum gymnasialium seu humaniorum studiorum peracta exigebant ante noviciatum. Impedimentum istud Codicis silentio est suppressum. Quo iure ad studia in religione traducas dicta de studiis ante ingressum in religionem ?

Quo iure verba « secundum instructiones S. Sedis » referas etiam ad istas disciplinas inferiores, dum eo modo sententia est exstructa, ut in sola studia philosophiae et theologiae cadant ? Quod ipse sentit annotator, qui nos ad solam responsionem ad III declarationum 7 sept. 1909 et ad declarat. 31 maii 1910 remittit, ubi de solis studiis theologicis est sermo ?

Quo demum iure *instructiones* vocantur acta quae in *Commentario officioli* appellantur declarationes, dubia ? Cur non reservemus appellationem ad proprie dictam instructionem quae in decl. 7 sept. 1909, fine, nobis annuntiatur ?

Nec minus menti Codicis huius modi interpretatio repugnat. A mente enim legislatoris Codicis alienum est ut Superiores et religiosos obruat decretis anterioribus quae, si vigere pergerent, nobis tollerent tantum beneficium legum simplicium, clararum et non nimis multarum quo, per Codicem, ambo Pontifices Pius X et Benedictus XV nos donare voluerunt. Quod praesertim verum est ubi agitur de genere legum quae, ad compescendos abusus quosdam, valde minuta ad tempus praescribunt, sed, ut sunt humanae vires, diu urgeri nequeunt.

Quare omnino probamus R. P. Augustine, in c. 589, cum se existimat fidelem regulis sanae interpretationis (*based upon the rules of sound interpretation*) dum privata studia humaniora sufficere posse concludit. Ceterum recens epist. *Unigenitus*, 19 mart. 1924, sententiam nostram manifesto confirmat. Cf. *Per.* XIII, p. 19.

2. Biennium autem philosophiae et quadriennium theologiae intellegendum est sicut declaratum est 31 maii 1910, ita ut propter contractas vacationes et auctum studiorum conatum, nequeat minui, sed theologia quattuor annos academicos, i. e. 45 menses integros, solis deductis feriis in fine quarti anni, complecti debeat. Hoc enim fert rationabilis interpretatio legis ; et articulus quo ius praecedens confirmatur eandem interpretationem recipit (Cf. c. 6, 3o.).

3. Quatenus S. Thomae inhaerendum sit, dicemus ad c. 1366, § 2, qui infra explicandus est, in libro tertio.

4. Instructiones Ap. Sedis sunt normae studiorum, si quae datae sint, vel

dandae exspectentur. Talis instructio pro religiosis promissa est, ut diximus, decl. 7 sept. 1909, in fine.

Biederlack-Führich non improbabiliter instructiones intellegunt de solo modo quo S. Thomae inhaerendum sit, atque indicant ut eas continentes, encycl. *Aeterni Patris*, Leonis XIII et varias instructiones particulares religionum.

Codex **C. 589**, § 2 *a*) vetat ne studiorum tempore magistris et alumnis officia imponantur quae a studiis eos avocent vel scholam quoquo modo impediant.

Opportunissima ista Codicis sanctio Superioribus maxime commendanda est. Non raro enim, propter utilitates practicas v. g. scholarum inferiorum, contra eam peccatur. Constat tamen, sine tali vacatione ab aliis negotiis, studia vix seria esse posse : totum hominem postulant.

Declaratum quidem est die 1 mart. 1915, coactam interruptionem studiorum quae nec studenti nec Superiori imputari queat, quia causam habeat infirmitatem vel servitium militare, si complexive non superet spatium trium mensium, valori studiorum minime obstare, dummodo studia omissa scholis privatis suppleantur, et in examine constiterit alumnos disciplinas de quibus in eorum absentia actum est, prorsus didicisse. Nec repugnamus benignae interpretationi quae idem admittat etiam si singulis annis huiusmodi interruptio simili causa provocetur. Verum non ideo fas est Superioribus, etiam propter gravem causam, studentibus officia imponere quae scholas vel studia impediant. Tale enim impedimentum ipsis imputandum foret. Quanto minus Codice permittitur ut studentes a studiorum domo avocentur ut iis, in alia domo, diversum officium, aliter ac momentanee, committatur. Cf. scripta a R. P. Creusen, *Per.* VIII, 226 ; et commendationes ep. S. Pontificis *Unigenitus*, 19 mart. 1924 (*Per.* XIII, pp. 9. 10. 17).

b) Ad iuvanda studia, Codex praeterea facultatem facit Superiori generali eximendi tum professores tum alumnos a quibusdam communitatis actibus, etiam a choro, praesertim nocturnis horis.

Dispositio supremi Moderatoris potest esse generalis. Alii Superiores idem concedere possunt in casibus particularibus, quotiens id studiis excolendis necessarium videatur. Haec dispensandi facultas, pro magistris satis severe a Clemente VIII, decreto *Nullis omnino*, 25 iun. 1599, data est iis solis diebus « quibus eos legere contigerit » ac pro iis qui studiorum causa legitime impediti sint (Cf. *De religiosis*, II, 132). Benigna tamen plurium interpretatio usum talis facultatis etiam per ferias permittit, si hoc studiis profuturum cernatur. Cf. Prümmer, *Manuale*, q. 220, 5o.

681. - De sacrae scientiae cultu post emensum curriculum studiorum.

1. **C. 590** praecipit religiosis qui studiorum curriculum absolverunt, ut saltem per quinque annos, *quotannis* a doctis gravibusque Patribus examinentur in variis doctrinae sacrae disciplinis antea opportune designatis. Examina ista annua imponuntur iis qui studiorum curriculum absolverunt.

Studiorum curriculum intellegimus *ordinarium*. Quare, qui post quadriennium theologiae sacrae studia peragere pergunt, abunde condicioni satisfaciunt per istos annos supplementarios, qui, proinde, a quinquennio demi poterunt.

Eximuntur ipso iure qui s. theologiam vel ius canonicum aut philosophiam scholasticam docent.

Hanc non docent qui mathematicas vel physicas scientias vel linguam quampiam docent in philosophia vel theologia.

Maioribus Superioribus integrum quoque est propter gravem causam alios eximere, eos, v. g. qui facti sint Superiores.

Verum, decreto S. C. *Consistorialis*, 30 april. 1918, n. 3, expresse cavetur ne qui laicas Universitates frequentant ab his examinibus dispensentur : « quin potius eadem subire vel strictius iubeantur, ne profanarum scientiarum studiis abrepti, ecclesiastica studia praetereant contra praescriptum c. 129 ».

Forma examinis : scripta, vocalis, mixta ; distributio disciplinarum, quae variae esse debent, Superiori maiori ordinanda committitur.

2. Ex c. 591. In qualibet formata domo (i. e. ubi sex saltem religiosi habitent, quorum quattuor sint sacerdotes), minimum saltem in mense praecipitur solutio casus moralis et liturgici. Ei assistere debent omnes clerici professi qui sacrae theologiae operam navant aut studia ista expleverunt et in domo degunt. Constitutiones tamen aliud cavere, v. g. quosdam eximere, vel distinctas conferentias studentibus et aliis disponere possunt.

Iubente Superiore, solutioni addi potest sermo de re dogmatica coniunctisve doctrinis.

Ubi, propter ministeria apostolica, praevidetur menses fore per quos plerique ita absunt ut solutiones istae fructuose haberi nequeant, frequentiore per alios menses collatione licite et laudabiliter suppleri potest.

Quod autem per unum aliumve mensem vacetur ab istis conferentiis, non videtur legi repugnare, cum feriae sint institutio approbata et usus sat universalis. Sic etiam Fanfani, 281.

Observes, nisi collationes istae habeantur, collationes saeculares frequentandas esse ab omnibus, etiam exemptis, religiosis qui pro confessionibus sunt approbati ab Ordinario loci, iis exceptis quos Ordinarius antea expresse dispensaverit. Et contumaces suspendi possunt ex c. 2377.

TITULUS XIII

DE OBLIGATIONIBUS ET PRIVILEGIIS RELIGIOSORUM

(cc. 592-632)

Scriptores : Angelus a Ss. Corde O. Carm., *Manuale iuris communis regularium*, etc. passim. — Piat, O. F. M. C., *Praelectiones iuris regularis*, passim. — Biederlack-Führich, S.J., *De religiosis*, n. 106-160. — Blat, O. P., *Commentarium*, 575-618 vel ed. 2, 655-703. — Chelodi, (R. D.), *Ius de Personis*, 276-284. — Creusen, S. I., *Religieux et Religieuses*, n. 206-268. — Fanfani, O. P. *De iure religiosorum*, n. 292-365 et 445-470. — Brandys, O. F. M., *Kirchl. Rechtsbuch*, etc. n. 64-100. — Al. Blondini, O. M., Conv., *De privilegio exemtionis*, etc. *prout in novo iuris canonici Codice sancitur.* — Leitner, *Handbuch des kath. Kirchenrechts*, III, *Das Ordensrecht*, — Prümmer, O. P., *Manuale*, q. 22' 250. — Schafer, O. M Cap. *Das Ordensrecht.* — *De religiosis*, n. 304-435.

Caput I. - De Obligationibus

Ordo dicendi. Nulla apparet specialis ratio ordinis quo Codex varias quas numerat et inculcat obligationes disposuerit. Quare, practicae utilitati potius quam logicae distributioni consulentes, primo communiter de variis obligationibus quae in hac epitome canonica breviter attingendae videntur, dein de non nullis obligationibus specialibus in distinctis paragraphis agemus. Sunt autem obligatio cultus religiosi, obligatio clausurae, obligatio ministerii sacri.

Art. I. - Obligationes communioris rationis

692. - I. Obligationes communes clericorum quae cc. **124-142** describuntur, canone **592** etiam religiosis omnibus imponuntur, nisi ex contextu sermonis vel ex rei natura aliud constet.

Inter eas obligationes, aliae aeque, aliae magis vel minus a religiosis quam ab aliis clericis implendae sunt. Itaque :

1. Obligatio sanctioris vitae (c. 124), cum a religiosis directe suscipiatur, a clericis autem *indirecte* propter functiones sacras, magis, sub hoc respectu religiosos quam clericos, qua tales, tenet. Quod ipse Codex confirmat, dum in c. **595** plura et magis definita exercitia spiritualia religiosis facienda praecipit vel supponit. Gradus tamen suscepti officii vel dignitatis maiorem actu sanctitatem a pluribus clericis postulat. Itaque dici possit satis accurate : religiosus, qua talis, maiore conatu ad sanctitatem tendere debet ; clericus, qua talis, maiorem sanctitatem ab initio debet esse consecutus.

2. Obligatio reverentiae (c. 127) exhibendae Ordinario loci, communis est religiosis et aliis clericis ; intensive minor est in exemptis quam in non exemptis : hi enim tum ordinem tum iurisdictionem, isti fere solum ordinem in Ordinario loci reverendum habent.

3. Oboedientia (c. 128) Ordinario loci minore extensione praestanda est a religiosis quam a saecularibus, si religiosos iuris dioecesani

excipias ; omnibus autem temperatio ista compensatur universaliore oboedientia quam religiosi propriis Superioribus exhibere debent.

4. Obligatio studiorum post susceptum sacerdotium (cc. 129-131) religiosos laicos, ut manifestum est, non attingit ; in sacerdotibus autem erit aequalis vel minor, pro speciali fine religionis, quae potest esse contemplativa, aut, varia ratione, activa.

5. Obligatio caelibatus et castitatis (c. 132) multo minor est in clericis qui non sunt in sacris quam in religiosis, qui utramque obligationem voto firmant. Aequalis est per se in religiosis sollemniter professis et in clericis in sacris ; accidentaliter minoris gradus est in religiosis votorum simplicium, praesertim si vota non sint perpetua ; accidentaliter firmior est in clerico sacerdote quam in religioso laico etiam sollemniter professo. C. 133 consequenter ad c. 132, consuetudinem clericorum cum feminis ordinat : canon iste, pro religiosis qui domi sunt, obligatione clausurae suppletur.

6. Obligatio vitae communis, seu vitae sub eodem tecto, pro clericis stricte non habetur, cum vita communis mere ipsis commendetur c. 134, dum plerisque religiosis est severe praescripta.

7. Obligatio horarum canonicarum (c. 135) religiosis in sacris est communis cum saecularibus, nisi ex propriae religionis ratione, de qua c. 610, religiosi severiore iure utantur.

8. Obligatio habitus clericalis (c. 136) convertitur pro religiosis in obligationem ferendi habitum propriae religionis (c. 596).

9. Fuga negotiorum saecularium, prohibitio artium vel oblectamentorum quae clericos dedecent, sicut et artium seu functionum quae a statu suo nimis sunt alienae ; publicorum spectaculorum, negotiationis aut mercaturae (cc. 137-142), aeque in religiosos atque in clericos cadunt ; et magis quidem absolute in religiosos quam in clericos qui non sint in sacris : hi enim optionem habent statui clericali renuntiandi et sic se liberandi a praefata obligatione.

De his clericorum obligationibus, cf. dicta n. 215-225.

693. - II. Obligatio servandi vota et contendendi ad perfectionem sui status, componendo vitam secundum regulas et constitutiones, quae c. 593 enuntiatur, potius moralis est quam canonica. Triplex autem complectitur obiectum : vota, observantiam religiosam et conatum ad perfectionem. De singulis haec pauca sufficiant.

A. De Votis. 1. *De voto paupertatis.* Votum paupertatis est institutio *positiva.* Eius ambitus proinde « tum ex omnium Ordinum consuetudine tum ex Ecclesiae lege colligitur » (Lehmk. I, 674). Canonicae autem partes paupertatis fere propositae sunt ubi de regimine bonorum est actum. Cf. n. 683. 685. Haec praeterea observemus. Secundum

disciplinam praesentem, quaelibet religiosae paupertatis professio hanc vim habet; *a)* ut quidquid professus industria sua vel intuitu religionis acquirat, religioni acquirat; *b)* ut re nulla, pretio aestimabili, tamquam propria, in suum commodum utatur. — Contra ac sollemniter professi, ex iure saltem communi, professi votorum simplicium, sicut supra vidimus, servare solent (1) dominium « radicale » ut ante Codicem aiebant (2) bonorum suorum, cum obligatione cedendi administrationem, et disponendi de usu et usufructu, idque per se ante vota. In Congregatione religiosa, istud bonorum suorum dominium titulo gratuito abdicare vetantur.

Si quando autem fit vetita abdicatio, vel professus, non in suam utilitatem sed aliorum gratia de bonis suis disponit, debitam licentiam omittendo, violatne votum paupertatis, an solam legem ecclesiasticam ?

Responsum universale dari nequit. Adeundae sunt constitutiones, ratio consulenda est qua votum paupertatis in religione ad quam pertinet professus, intellegitur. Per se, i. e. nisi aliud positive constet, omnis actus vel modus prohibitus *in Ordine regulari*, videtur nobis contrarius voto paupertatis. In Ordine enim regulari, diu, usque ad PIUM IX, sola exstitit professio sollemnis, quae omnem bonorum possessionem vel dispositionem excludebat, ita ut quidquid ibi permittatur quasi detur, per modum stricte in ellegendae exceptionis, de voto paupertatis quod omnia non excepta suo ambitu comprehendit. In Societate Iesu, quae prima admisit professionem simplicem iuxta sollemnem, idem est positive declaratum. Sed *in Congregationibus religiosis*, professio paupertatis ab ipso initio fuit minus completa vel absoluta. Quare hic distinguendos putamus actus qui natura sua voto paupertatis adversantur, qualis est omnis indebita appropriatio, et actus qui per se potius professione paupertatis commendarentur, ut est abdicatio bonorum, maxime ad pios fines. Priores solos contrarios voto paupertatis, salva severiore declaratione, existimamus.

Non est cur hic de materia gravi disseramus. Hoc unum notabimus, quia nimis neglegi consuevit, pro relativa aestimatione peccati, longe maiorem requiri materiam peccato gravi, in illicita sed honesta dispositione de bonis propriis quam in vitiosa appropriatione rei communis vel alienae.

2. *Voto castitatis* religiosus prohibetur : *a)* omni luxuria interna et externa ; — *b)* matrimonio, durante professione. Ac matrimonium frustra a sollemniter professo attentari ; ipsa autem sollemni professione solvi antecedens matrimonium quod ratum manserit, dictum est supra, n. 685. Nulla simplici professione matrimonium ratum dissolvitur ; ac, salvo peculiari iure, ut in Societate Iesu, simplex professio non est nisi impedimentum prohibens. Omne tamen votum castitatis religiosorum, cum sit publicum, a sola S. Sede dispensatur.

Sollemniter professi qui matrimonium etiam civiliter tantum contrahere praesumant, sicut personae quae cum ipsis nuptias eadem ratione contrahere praesumant, incurrunt excommunicationem l. s. S. Sedi simpliciter reservatam. Si

(1) In Societate Iesu coadiutores formati eodem quo sollemniter professi regimine paupertatis utuntur. — (2) Istud inaccurate dictum, quod etiam in suppressis *Normis* 1901 legebatur, feliciter correctum est.

[693]

agatur de professis votorum simplicium perpetuorum, excommunicatio l. s. est Ordinario reservata (c. 2388). Propter verbum « praesumant », omnis ignorantia, sola exclusa affectata, a censura excusat. Ordinarius cui, in altero casu, reservatur excommunicatio, cum Codex nihil ultra definiat, videtur esse is cui paenitens actu subicitur.

3. *Votum oboedientiae* religiosorum est *promissio Deo facta oboedientiae quae in vita religiosa debetur.*

Vi istius voti religiosus parere debet : *a*) *praelato hierarchico* qui ipsi, *qua religioso* imperat potestate iurisdictionis. Is est, quod ad religiones iuris pontificii, S. Pontifex et Praelatus regularis ; et, pro Congregatione iuris dioecesani (1), episcopus seu quasi-episcopus *b*). Iis qui *interno* religionis vel domus regimini praeponuntur : itaque Superiori religioso qui saltem est localis ; immo etiam, si usus fert, subpraelato vel sub-rectori. Verum usus potius habet ut, praesente saltem Superiore domus, huic soli (vel maiori) sit ex voto obtemperandum In subordinato tamen officiali contemni possit auctoritas ipsius Superioris, ac sic votum violari.

Remota voti materia ea omnia complectitur quae vel explicite regula seu constitutionibus exhibentur, vel reductive ad eam pertinent, quatenus ad observantiam regulae saltem valde sint convenientia : ita mutua obsequia, congrua poena delictorum. Religiosi enim vovent oboedientiam secundum *suam religiosam conversationem*. Nec directe praecipi posse videntur actus *interni*, cum mutuam hominum conversationem excedant : res tamen controvertitur. In dubiis autem de potestate, quando res pertinet ad genus in quo constet Superiorem praecipere posse, praesumptio stat pro Superiore ; in dubiis de honestate rei, si Superior praecipiat quod probabiliter honestum est, ei obtemperandum videtur (Lessius tamen diversimode opinatur). In dubiis negativis, subditus gubernationi Superiorum se simpliciter committat.

Materia proxima voti oboedientiae comprehendit praecepta stricte talia quae *religiosis qua talibus* imponuntur vi potestatis *dominativae*, vel etiam *iurisdictionis*. Praecepta stricte talia, i. e. quibus Superior conscientiam obligare intendat. Et in pluribus religionibus, hodie non censetur proprie praecipere, ne sub levi quidem, per verba : « Stricte praecipio », nisi addat : « in nomine Domini Iesu Christi », vel « in virtute oboedientiae », aut clare dicat se obligare sub peccato. — Religiosis, inquam qua talibus, ac proin sola praecepta quae ad eorum statum referuntur, minime praecepta communia fidelium, sunt (seclusa speciali Superioris iussione) sub voto observanda. Per se autem parum refert utrum vi potestatis dominativae an vi potestatis iurisdictionis

(1) Non autem religione iuris pontificii etiam non exemptae, contra ac putant Fanfani, n. 235 et Schafer, *De religiosis*, n. 320, cum isti religiosi, sicut observat Creusen, *Religieux*, etc. ei mere ut fideles vel clerici subdantur.

praecepta data sint. Quare votum violat qui regulam sub peccato obligantem transgreditur : videas tamen quomodo votum in religione communiter intellegatur. Violatio autem *iuris specialis* religiosorum seu legum quae pro religiosis, v. g. in Codice latae sunt, quamvis culpanda sit, voto contraria non videtur, nisi proprie dicta oboedientiae praecepta contineant (1).

4. *De aliis votis.* Tribus votis substantialibus paupertatis, castitatis, oboedientiae, alia vota vel sollemnia vel simplicia saepe accedunt : ut votum missionis, abstinentiae rigorosae, clausurae, humilitatis, serviendi infirmis, redimendi captivos, erudiendi iuventutem. In religionibus recentioribus, cavet S. Sedes, ut si quod votum additur, sit valde clarum, et ad perfectionem vitae religiosae vere conferat.

694. - B. Obligatio componendi vitam secundum regulas et constitutiones propriae religionis.

Regula est norma vivendi secundum perfectionem evangelicam, religiosis imposita ut communiter et efficaciter ad finem suae religionis tendant. Obligatio servandi regulam prudenter a Codice exprimitur, ita ut potius vita secundum regulas quam directa regulae observatio dicatur debita. Quamvis enim hodie nulla regula sit tota in consiliis, nihilominus regulae varie obligant, ita ut pleraeque hodie sint mere poenales. Et tunc quidem actus regula praeceptus, ex genere suo, manet indifferens ; sed practice, seu in concreto, violatio regulae, nisi locus sit epikeiae, raro immunis erit a culpa propter inordinationem motivi, vel detrimentum commune, vel inconstantiam in propositis. Sub gravi autem vetatur religiosus subiectionem regulae exuere. Ac gravis quoque manet obligatio ita componendi vitam secundum regulas et constitutiones, ut non detur Superiori iusta causa dimissionis ante elapsa vota.

Observes, secundum usum receptum in foro canonico, nomine *regulae* venire potius regulas antiquiores quae, cum propriis constitutionibus, a variis religionibus sunt adoptatae, ita ut, praeter proprium conditorem, alium habeant quasi patriarcham. Regulae recentiorum religionum vocantur constitutiones.

695. - C. Obligatio sectandi perfectionem. Obligatione *formaliter* a votis distincta, religiosi ad perfectionem caritatis contendere debent (2). Nam qui *statum* debent, simul debent ea quae ad veritatem istius status requiruntur. Status autem religiosus est sectandae perfectionis, et status iste a religiosis vi suae professionis ab Ecclesia acceptatae

(1) Cf. RAUS, C. SS. R., *De sacrae oboedientiae virtute et voto.* 1923.

(2) Ita communis sententia post S. THOMAM, 2, 2, q. 186, art. 2, c. « Qui statum religiosum assumit... tenetur ad hoc tendere et operam dare ut habeat charitatem perfectam. » — Secundum eam, in epistola Apostolica *Unigenitus*, 19 mart. 1924, S. Pontifex argumentatus est ex religiosi viri « conscientia officii quo, ex sua ipsius vocatione obstringitur, perfectae adipiscendae virtutis » ; ac de Fratribus conversis dixit : « non minus Deo obligantur et officio perfectionis assequendae devinciuntur ». Plura cf. novam editionem nostri operis *De religiosis*, etc.

debetur. Materialiter autem satis est *positive*, ut professus sectetur perfectionem per *vota* quae professioni suae coniunguntur et tolerantiam regiminis sui Instituti. Quod ipso **c. 593** declaratur, cum religiosos non simpliciter obliget ad sectandam perfectionem sed *ita*, i. e. ut ex contextu apparet, servatis votis, regulis et constitutionibus.

696. - III. Obligatio vitae communis. **C. 594**, § 1, haec ratio vitae communis praescribitur qua, salvis, ut perspicitur, necessitatibus medendi infirmitati, religiosi vitam regiminis satis uniformis ducant, ita ut moraliter idem sit omnium victus, vestitus et supellex. Supellectilem intellegas personalem. Manifestum enim est religioso astronomo vel physico praesto esse debere instrumenta quae in aliorum cubiculo forent superflua ; atque etiam pro ratione studiorum et muneris copiam librorum variare debere. Paragrapho 3 autem commendatur ut religiosorum supellex conveniat paupertati quam professi sunt. Verba ista opportune addita sunt, quia, etsi omnes religiones luxum et fastum fugiunt, exterior tamen paupertatis cultus severitate variat. Vult ergo Codex ut omnes religiosi sint fideles tum genericae omnium religionum tum specificae religionis suae paupertati.

Perfecta ista aequalitas vitae exterioris, evangelico spiritu abnegationis et caritatis informata, ex pulcherrimis est religionum ornamentis.

Paragrapho vero 2 haec altera vitae communis ratio urgetur, quae in 3° schemate *de Regularibus* quod pro Concilio Vaticano fuit praeparatum, ea esse describitur qua « bona quaecumque, emolumenta aliaque omnia quae quovis titulo religiosis obveniunt, in usum religiosae familiae plene conferantur, et ipsum victum, vestitum, aliaque necessaria a conventu in communi accipiant ». Id vult canon perfecte observatum, circa bona tamen quae in proprio religiosorum patrimonio non manent : quid de aliis praeceptum sit, supra, n. 683 vidimus. Simul iubet, quod iam, c. 2, s. XXV, *De Regularibus et monialibus*, Tridentinum iusserat, ut quaecumque bona ex industria religiosorum, etiam Superiorum, vel aliunde religioni acquisita esse debent, bonis conventus incorporentur. Et litteras 22 apr. 1851. 3°, nomine Pii IX scriptas confirmans (*De rel.* II, p. 127), vetat ne religiosi pecunias apud se servent : « pecuniae quaelibet omnesque *tituli* (i. e. nomina crediti) in capsa communi deponantur ». Canone isto expresse reprobatur *peculium*, non illud solum quod, potestati Superiorum subtractum, voto paupertatis, saltem sollemni, per se repugnat, sed etiam istud quo, dependenter a Superiore quaedam bona, maxime pecuniae, praeter ea quae ad usum moraliter praesentem necessaria sunt, a privatis religiosis serventur et administrentur. Non ideo tamen vetantur religiosi vitae apostolicae tenere modicam istam pecuniam, — si qua ad cotidiana

itinera per civitatem fuerit necessaria, — de qua valet illud : parum pro nihilo reputatur. Quamquam laudandi erunt Superiores qui, sine operum detrimento, modum inveniant ut omnem habitualem pecuniae asservationem apud privatos religiosos excludant.

Secundum mentem Codicis, qui ita consulere vult fervori et disciplinae religiosae ut nullam tamen violentam perturbationem adducat, verba « *accurate servetur,* » quae etiam ad § 2 referimus, hanc vim nobis habere videntur monendi Superiores ut prudenti sua vigilantia firment quidquid de utriusque vitae communis ratione in constitutionibus est praescriptum.

Contra religiosos qui in re notabili vitam communem qualis constitutionibus praescribitur violant, c. 2389 statuit ut, si moniti non resipiscant, puniantur etiam privatione vocis activae et passivae, et, si Superiores sint, etiam officii.

Art. II. - Non nullae obligationes speciales

§ 1. OBLIGATIO CULTUS DIVINI

697. - Ipso statu suo religiosi sunt formales Dei cultores. Id ipsis nominibus *religionis*, vitae *religiosae* declaratur ; demonstratur autem votis, quae ipsorum vitae quasi formam dant, et sunt actus virtutis religionis. Applicatio itaque ad actus cultus divini est religiosis essentialis ; pluribus praeterea, pars cultus publici ab Ecclesia demandatur. De utraque cultus ratione apud religiosos, privata et publica, habentur c. 595 et 610. Hoc loco de privata cultus ratione agendum est.

698. - I. Exercitationes religionis privatae, ex c. 595.

Canon 595, § 1 Superioribus immediate *curanda*, et per ipsos mediate religiosis praecipit :

1. *Annua exercitia spiritualia.* Tempus Codice non definitur. Consulendae igitur sunt constitutiones et Superiorum ordinationes.

2. *Cotidianam assistentiam sacro ; cotidianum usum orationis mentalis,* sedulam impletionem officiorum pietatis quae a regulis et constitutionibus praescripta sint.

3. *Hebdomadarium* saltem accessum ad *sacramentum paenitentiae.*

Ista cura Superioribus praecepta :

a) Ipsos obligat ut commodam occasionem subditis praebeant accedendi ad confessarios secundum normas can. 518 et ss. designatos vel oblatos ;

b) Ipsis ius tribuit et officium imponit prudenter inquirendi de regulari usu sacramenti paenitentiae a subditis facto. Quaerenti Superiori de ista re subditi sincere respondere debent. Potest quoque Superior subditos interrogare utrum necne soleant ad aliquem e designatis sibi confessariis pro confessione accedere. De extraordinario autem accessu ad confessarium ipsis non designatum, Superior subditos interrogare non potest. (Arg. c. 519 et 521.)

§ 2. Superiores promovere iubentur inter subditos frequentem, etiam cotidianam communionem. Directe autem canon vult ut frequens, immo « cotidianus accessus ad ss. eucharistiam religiosis rite dispositis libere pateat ».

De quibus verbis haec notanda sunt :

a) Si *libere pateat*, nullus Superioris consensus exquirendus est. Immo necessitas monendi Superiorem de facultate vel consilio confessarii, quae decr. *Quemadmodum* imposita erat, suppressa est.

b) Quia infirmitas dispositionem non tollit, infirmis aeque ac sanis divinus iste cibus cotidie praesto sit oportet.

c) Quinam sint dispositi, id, excepto casu § 3, iudicare non pertinet ad Superiorem, sed ad solum confessarium, ac proin res est fori stricte sacramentalis.

Et cum moraliter omnes religiosi cotidie accedere iam consueverint, positiva confessarii interrogatio iam non videtur requisita, nec amplius usitata. Cotidianam communionem censetur tacite ratam habere. Ipse caveat tamen ne facilitas ista locum det sacrilegiis. Quare, quamvis propter fragiliores religiosos, ferventiores isto cibo carere non debeant, haec tamen in qualibet communitate sedulo cavenda sunt : *a*) ut nemo miretur quod ex devotione vel alia causa quidam non communicet ; *b*) ut qui sacrilegio exponerentur, ab initio assuescant non cotidie communicare, sed aliqua die, eaque varia, communionem omittere ; *c*) ut copia detur accedendi ad confessarium, extra horas et dies consueto. Quare optandum est ut sacerdos qui missam monialibus dicere solet sit specialiter approbatus, vel saltem approbatus pro mulieribus, ita ut accedentem religiosam valide et licite absolvere possit.

§ 3 confirmatur facultas quam decr. *Quemadmodum* Superiori et Superiorissae concesserat, prohibendi usu s. communionis religiosum qui grave scandalum dederit communitati aut gravem et externam culpam patraverit, « donec ad sacramentum paenitentiae denuo accesserit ».

Grave scandalum, gravis culpa, non sunt theologice intellegenda de peccatis letalibus. Satis est ut tale quidpiam factum fuerit post quod publica aedificatio postulat ut sacramentalis reconciliatio communioni praeponatur. Casus fuerit: aperta inoboedientia, etsi non in re gravi ; seria contentio et rixa, mutua inhonoratio, quamvis verbalis tantum.

Vis talis prohibitionis eadem erit quae ceterarum prohibitionum, ita ut per se non sit facta sub peccato.

§ 4 statuitur, quod iam receptum erat, normas quibus communiones certis diebus assignantur esse mere directivas. Proinde : *a*) ne his quidem diebus est obligatio communicandi ; *b*) communio aliis diebus nullo pacto dissuadetur ; *c*) optandum est ut omnes tunc saltem accedant.

§ 2. OBLIGATIO FERENDI HABITUM

699. - Lex deferendi habitum religionis, quae sub gravi peccato et sanctione excommunicationis ex ipso c. 2 *Ne clerici vel monachi*, etc. III, 24 in VI° urgebat regulares votorum sollemnium, et ex propriis constitutionibus ceteros religiosos, nunc primum iure communi **c. 596** omnes religiosos afficit, sublata tamen pro omnibus

excommunicatione. Atque excusatio propter gravem causam formaliter admittitur. Gravem causam profecto praebet iter per infidelium regiones, quod in habitu religioso periculosum foret (1) ; atque etiam in quibusdam acatholicis Europae regionibus, delatio habitus foret nimis odiosa.

Nulla proprie dicta dispensandi potestas Superioribus conceditur, sed iudicium de gravi causa formaliter defertur Superiori maiori, aut, urgente necessitate, Superiori quoque locali.

Nulla autem communi lege praecipitur ut habitus noctu servetur. Nec legem violat qui ob aliquam praesentem necessitatem, habitum deponat.

§ 3. OBLIGATIO CLAUSURAE (2)

700. - I. Notiones communes. *Formalis* clausura dicit summam sanctionum canonicarum quibus religiosi prohibentur ne libere ipsi egrediantur, vel extranei ingrediantur definitum spatium quod *clausurae* materialiter sumptae nomine appellatur.

Origo istius obligationis repetenda est ex regulis et consuetudine, ad quas dein accesserunt decreta Conciliorum et SS. Pontificum, et, nuperrime cc. 597-607 Codicis iuris canonici.

Ante Codicem, commune ius clausurae solis religionibus votorum sollemnium statutum erat ; instituta votorum simplicium clausuram habebant qualis constitutionibus praecipiebatur et quam episcopi, saltem pro mulieribus, censura munire poterant (Cf. declarationem *S. C. Ep. et Reg.* in Parisiensi, 1 aug. 1839).

Praesenti autem clausurae iure, omnes religiones, etiam dioecesanae, afficiuntur.

Itaque, distinguenda nunc est, ex *sanctione*, clausura *communis* ; quae, saltem quod ad ingressum, nulla censura l. s. in Codice protegitur ; et clausura *papalis*, cui excommunicatio l. s. iure Codicis annexa est. Prior saepe vocatur *episcopalis*, quia, ante Codicem, saltem quod ad religiosas, ab episcopo ordinabatur, et nunc etiam episcopali censura muniri potest.

Clausura solis constitutionibus praescripta a non nullis. v. g. a Wernz, vocatur *statutaria*.

Pro vario *ambitu*, habetur clausura *totalis*, quae domum moraliter totam amplectitur, et *partialis*, quae solas quasdam partes reservat.

Ex *formali obiecto*, est clausura prohibens receptionem extraneorum, seu *passiva*, et clausura prohibens egressum religiosorum, seu *activa*.

Ex personis *directe subiectis*, distinguitur clausura *virorum* et clausura *mulierum*.

---

(1) Cf. in 1ª ed. *Collectanea S. C. de P. F.* resp. 1 iul. 1752, n. 279.

(2) De clausura monialium S. C. *De Religiosis*, die 6 febr. 1924 peculiarem edidit Instructionem *Nuper edito*. Cf. AAS, XVI, 1924, 96 ; *Per.* XIII, 58.

Valet adhuc in hac re quod scriptores monebant, satis deferendum esse consuetudinibus religionum, quae, in accidentalibus saltem punctis, legum vim rationabiliter temperare solent. Cf. v. g. REIFFENSTUEL, in l. 3, t. 35, n. 46 et 66 : et resp. S. C. Ep. et Reg. 24 ap. 1903 et 12 nov. 1904 (*Per.* I, 15 et 125).

Cum tamen leges de clausura simul incolumitati religiosorum et eorum profectui prospiciant, Superiores hortandi sunt ad leges communes et proprias firmiter urgendas.

701. - II. Clausura materialiter inspecta. 1. *Clausura papalis.*

a) Papalis clausura **c. 597** servanda indicitur « in domibus *regularium* sive virorum sive mulierum canonice constitutis, etiam non formatis ».

Domus regularium sunt domus Ordinis, i. e. religionis in qua vota sollemnia adhuc nuncupantur (c. 488, 2°, coll. cum 7°).

Sive *virorum* sive *mulierum*. Mulierum regularium nomine non continentur omnes moniales, sed eae solae quae in monasterio ubi vota sollemnia emittuntur professae sunt.

Canonice autem constituuntur domus formali erectione, quae decreto legitimi Superioris secundum constitutiones perficitur ; ad cuius decreti validitatem requiritur interdum beneplacitum S. Sedis et Ordinarii loci, interdum solius Ordinarii, ex c. 497.

Observes tamen in arbitrio religiosorum non esse ut habitent in domibus canonice erectis vel in aliis. Nisi enim adiunctis dispersionis vel muneris implendi in seminariis, vel alia iusta causa excusentur, stabilis domus religiosorum debet esse canonice erecta.

Observes quoque tacita ratihabitione suppleri posse beneplacitum quod ab initio defuit, ut PIUS IX declaravit. Cf. dicta supra, n. 560.

Clausura autem viget in domo etiam non formata, dummodo canonice erecta fuerit.

Immunis a clausura erit : conventus nondum exstructus : atque ad Superiorem pertinet definire momentum a quo obligatio clausurae initium habet ; — domus in qua temporalem sedem constituerunt religiosi aedibus expulsi, etsi speciem quandam habet domus religiosae ; — domus *rustica* ad quam subinde se conferunt religiosi relaxandi animi gratia.

Sed necesse non est ut domus sit in dominio proprietatis religionis, si contractus locationis sufficientem stabilitatem procuret.

Et quia omnes stabiles religiosorum domus canonice erectae esse debent, in c. 597 domus canonice erectae opponuntur domiciliis transitoriis, et etiam domibus secundariis quales sunt villae quo rusticatum tenditur.

b) « Lege clausurae papalis afficitur tota domus quam communitas regularis inhabitat, cum hortis et viridariis accessui religiosorum reservatis ; excluso, praeter publicum templum cum continente sacrario, etiam hospitio pro advenis, si adsit, et collocutorio, quod, quantum fieri potest, prope ianuam domus constitui debet » (c. 597, § 2).

De descriptione ista haec notanda sunt. Horti et viridaria non continentur

clausura nisi accessui religiosorum sint *reservata*, sive de se, ut cum a parte tantum interiore domus ad illa patet aditus, sive per formalem prohibitionem Superioris legitimi, cum alius aditus materialiter habetur.

Controversia de *sacristia*, quae ante Codicem movebatur, supprimitur distinctione quae communiore opinione admittebatur : prout publicam ecclesiam continuat vel ab ea separatur, sacristia est extra vel intra clausuram.

Hospitium pro advenis, si adsit. Pars igitur domus quae hospitibus excipiendis destinatur, extra clausuram est. Perspicitur hospitium ita exstrui debere ut sinat domum moraliter totam sub clausura esse ; sed non repugnat legi praesenti, attenta facultate facta pro scholis, atrium quoddam, quod secus deberet esse sub clausura, extra clausuram poni propter necessitatem hospitii, si loci adiuncta ita ferant

Confirmamur praescriptione de collocutoriis, quae non absolute, sed, quantum fieri potest, prope ianuam constituenda sunt.

Ex modo quo paragraphus ista conscripta est, temperatus demonstratur rigor iuris anterioris, quod, etiam quando agebatur de viris, postulabat ut clausurae obnoxium esset totum spatium intra saepta monasterii comprehensum, i. e. omnia loca ad quae non est aditus nisi per ianuam qua interiora conventus patent. Hoc dicimus de viris ; namque de monialibus observandus est quoque c. 602.

c) « Partes clausurae legi obnoxiae patenter indicentur ». Vult ergo § 3 ut de partibus subiectis clausurae certo constet. Id optime fit inscriptione verbi « *clausura* », vel « pars reservata religiosis » etc. Ac dixeris tale quidpiam praecipi, ut indicatio sit omnibus patens. Non liquet tamen appositionem huiusmodi signi exterioris esse praeceptam, cum expressa clausula id tam facile dicere potuerit, nec talis clausula habeatur, dum c. 836 de missis haec perspicua praecipiuntur : « moneantur fideles per tabellam in loco patenti et obvio positam ».

d) Monialium tamen clausura circumsaepta esse debet, ita ut nec personae externae in eam prospicere possint, nec ab ea prospici. His **c. 602** verbis severae sanctiones iuris anterioris confirmantur. Quia tamen hodie condicionibus huiusmodi difficile satisfit, additur hoc temperamentum : « quoad fieri potest ».

e) Plura, quae Codice non sunt definita, definienda committuntur sive Superiori maiori, sive Capitulo generali, prout constitutiones id exigunt. Si agatur de monasterio monialium, res semper episcopo tribuitur decidenda. — Idem qui praescribere potest, fines potest mutare, sive permanenter, sive etiam propter causam accidentalem. Cf. BIEDERLACK-FÜHRICH, n. 131. Id tamen non est leviter faciendum, sed propter legitimam causam, quae seria esse debet. Oportet enim ut fines clausurae sint stabiles.

702. - Clausurae papalis temperamentum. **C. 599** permittit ut propter opera religionis *propria*, praecipue institutionem iuventutis, clausura regularium *virorum* valde temperetur.

Condicio ista attendenda est. Oportet ut causam dent opera propria religionis : tunc, ipsa approbatione religionis in talem finem contine-

tur concessio tacita S. Sedis, qua, quantum necesse est, de lege clausurae remittit. Remissio tamen pro sola clausura virorum est concessa, et duae cautiones apponuntur :

a) Ut clausurae legi subiaceat separata aedis pars quae habitationi religiosorum reservetur. Id tamen praecipitur, « si fieri possit ». De re decernit Superior cuius est fines clausurae definire. Ac partialis ista clausura sanctione papalis clausurae munitur. Codex enim, cum agitur de clausura regularium non aliam admittit nisi papalem, de qua in c. 597.

In aedibus iam exstructis copia separandi partem domus facile deficere potest. Verum, in aedificandis aedificiis, Superiores vigilare debent ut partialis clausura sit possibilis.

b) Totum tamen aedificium late intellectae clausurae subiacet, quatenus personae alterius sexus admitti non possunt nisi aequa de causa et annuente Superiore. Superiorem accipe per se localem.

703. - 3. **De clausura communi, seu episcopali.** C. 604, § 1 clausuram omnibus religionibus servandam imponit. Eius ambitus, cum nulla specialis derogatio fiat, intellegendus est sicut ambitus clausurae papalis ; in qua sententia confirmamur § 2, quae ad domos Congregationum religiosarum sive virorum sive mulierum temperamentum applicat quod modo, n. 702, explicavimus.

704. - III. **De formali clausura passiva,** seu de vetita admissione extraneorum. Prohibitiones istae factae sunt ad maiorem castitatis custodiam, ut scandalorum occasio amoveatur ; et simul, ad fovendam quietem, pacem et recollectionem personarum Deo dicatarum. Hac posteriore ratione potissimum explicatur peculiaris rigor clausurae monialium. Itaque :

1. *In papalem Regularium clausuram,* c. 598, § 1, admitti prohibentur *mulieres omnes* : cuiusvis *aetatis,* ac proin etiam puellulae infantes, de quibus controversia sic suppressa est ; — cuiusvis *generis,* i. e. non sicut habet versio permissa, omnis classis, cum classis immediate postea nomine *condicionis* indicetur, sed *familiae,* ita ut excludantur quoque artissime coniunctae ; — cuiusvis *condicionis,* etiam nobilissimae, etsi sint benefactrices, fundatrices. Excipe privilegia quae a Benedicto XIV, C. *Regularis disciplinae,* 3 ian. 1742, non sunt revocata, aut quae isto Pontifice sunt posteriora. Contrariae autem consuetudines centenariae nullae hactenus prodesse possunt, cum sint omnes suppressae a Pio IX C. *Apostolicae Sedis,* nisi solas quasdam determinationes secundarias et accidentales respiciant, ut de loco collocutorii, etc. Cf. Biederlack-Führich, n. 134.

Omnis praetextus, etiam gravissimi morbi proprii filii excluditur.

2. *Eximuntur* ab hac lege « uxores eorum qui supremum actu tenent populorum principatum, cum comitatu » (c. 598, § 2). Exceptio qua fruebantur reginae, ad personas aequiperatas extenditur. Quare uxor praesidis rei publicae non minus quam regina admitti potest ; nec intellegimus scrupulum R. P. AUGUSTINE de uxore praesidis rei publicae americanae, quasi talis praeses non satis principetur. Sed oportet ut *actu* principatum teneant, exclusis iis qui officio functi sunt vel qui, iam electi, nondum tamquam praesentes praesides habentur.

Propter sectas acatholicas vel leges civiles, fieri potest ut vera uxor non sit ea quae passim pro tali consideratur. Supponas principem protestantem qui, facto divortio, aliam ducere uxorem tentarit. Quid tunc iuris ?

Arbitramur ad communem aestimationem respiciendum esse. Admitti poterit quae passim pro vera uxore habetur, secluso tamen scandalo vel admiratione popu-

Uxores istae admitti possunt cum comitatu quem re vera habent : is supponitur, sed iam non formaliter exigitur decens, i. e. qui reginae sufficiat.

3. *In clausuram papalem monialium*, « nemo, cuiusvis generis, condicionis, sexus, aetatis admittatur sine S. Sedis licentia » (c. 600). Novimus tamen clausura contineri non solum moniales professas, sed etiam novicias et aspirantes. Praeterea adduntur variae exceptiones :

a) Qui canonicam *visitationem* conventus legitime faciunt clausuram ingredi possunt, sed dumtaxat inspectionis causa ; et caveri debet ut unus *saltem* clericus vel religiosus vir maturae aetatis eos comitetur. Indirecte ergo permittitur ut duo vel tres visitatorem comitentur. Visitatores : isti sunt, Ordinarii locorum, Superiores regulares, alii ab ipsis delegati. Ac notes visitationem ab iis frequentius ordinari posse quam Codice exigitur. Pro sola autem visitatione *locali* ingressus in clausuram permittitur. Instr. *Nuper edito*, III, 2.

b) *Confessarius* vel *qui eius vices gerit*, — cum debitis cautelis, — ad ministranda sacramenta infirmis aut ad assistendum moribundis.

Confessarius ille est qui potitur speciali iurisdictione per se requisita ad audiendas monialium confessiones : ergo confessarius ordinarius, extraordinarius, supplementaris seu adiunctus. Eius vicem gerunt in primis cappellanus, dein etiam approbatus pro utroque sexu sacerdos quem in gravi morbo monialis requisierit ; in periculo mortis vero, omnis sacerdos vocatus. Praeterea, vi instr. S. C. *de Religiosis* 6 feb. 1924 III, 2 f *de clausura Monialium* (AAS, XVI, 96. *Per*, XIII, 61), « in horum defectu alius etiam sacerdos clausuram ingredi potest ». Nihil igitur prohibet Superiorissam quin, absente confessario vel cappellano, sacerdotem qui missam celebraverit vocet ad communionem ministrandam.

Debitae cautelae pro *confessione* sunt : « duae Moniales confessarium ad cellam infirmae comitentur ibique ante ostium cellae apertum exspectent, ut redeuntem ad monasterii ianuam » deducant. Pro *communione* : aliquot moniales (quattuor si fieri possit) sacerdotem comitentur qui pyxidem ferat plures continentem hostias et rubricas observet. (Ita instr. 6 feb. 1924, III, 2, h. i.)

Debitae cautelae in omni casu adhibendae sunt. Consistunt plerumque in comitatu duarum aliarum monialium.

c) Qui supremum actu tenent populorum principatum eorumque uxores cum comitatu, itemque S. R. E. Cardinales.

Comitatus qui negatur Cardinalibus estne principi concessus, an soli eius uxori? Ex loco ubi verba « cum comitatu » ponuntur, concessionem comitatus factam esse principi negaveris; sed cum ante Codicem comitatus regi permitteretur, et per se molestissimum sit sociis regis vel principis introitum negare, putamus comitatum regis non esse excludendum. Cf. FERRARIS, Verbo *Moniales*, art. 3, n. 53.

d) Medicis, chirurgis, aliisque quorum opera est necessaria (v. g. opificibus) Antistita ingressum permittere potest. Debitae cautelae adhibendae sunt; atque impetranda est saltem habitualis approbatio Ordinarii loci: haec tamen, urgente casu et deficiente tempore, iure praesumitur. In potestate Ordinarii loci est dare licentiam habitualem vel solum pro uno casu.

Habitualis licentia non est idem quod *generalis*. Episcopus non possit Superiorissae committere facultatem pro omnibus casibus et personis; namque id esset ad Superiorissam extendere arbitrium quod Codex ipsi reservat. Supponitur ergo aliqua cognitio sive casus sive personae admittendae; qua habita cognitione, episcopus permittit ut, v. g. pro tali morbo vocetur idoneus medicus, vel ut talis medicus pro occurrentibus morbis arcessatur.

« Hinc usu venit ut moniales in principio cuiuslibet anni in libro apposito recenseant eos omnes quorum opera ut plurimum.. occurret... quem librum Ordinario pro illa habituali approbatione obtinenda subscribendum praesentent » Instr. *Nuper*, III, 2, litt. o.

e) R. P. FANFANI, n. 312, subiungit, episcopum, non autem Superiorem regularem, posse, saltem vi consuetudinis, licentiam dare ingrediendi clausuram monialium propter rationabilem causam. Perinde erit dicendum de quasi-episcopo.

4. Ingressus *in clausuram non papalem sed communem*, ex c. 604 non est omni personae extraneae, sed tantum personis diversi sexus prohibitus. Exceptiones pro monialibus admissae confirmantur. Ac praeterea Superiores ex iustis ac rationabilibus causis alias exceptiones admittere possunt, v. g. ut mater filiam moribundam inviset.

Etiam e locis quae, propter opera propria religionis, extra clausuram posita sunt, personae alterius sexus arcendae sunt; minus severe tamen quam quando agitur de parte quae per se est reservata religiosis. Sufficit aequa causa et licentia Superioris quem constitutiones competentem faciunt; et, in casu urgente, licentia praesumi poterit.

Quaeres, quanam clausura utantur moniales Belgii et Galliae et aliae quae vota tantum simplicia emittunt?

Resp. Eadem disciplina utuntur qua moniales votorum sollemnium; papali tamen sanctione non muniuntur. Cf. Decr. 23 iun. 1923 *De Monialibus Belgii et Galliae. Per.* XII, 76 et 80.

Quaeres quid iuris, si moniales puellarum institutioni operam dare voluerint ?

Cum c. 599 et 604, § 2, nihil in hac re monialibus permittant, nec in exceptionibus c. 600 educandae comprehendantur, facultas a S. Congregatione impetranda est : haec varia servanda prudenter imponet.

705. - De accessu ad religiosas. Iure superiore, non solus ingressus in claustra, sed ipse accessus ad claustra monialium *per se*, sine licentia episcopi prohibebatur, et regulares severiore vetito arcebantur. Rigor iste, qui ad nostra tempora minus quadrat, variis indultis vel licentiis generalibus, in Urbe quoque mitigabatur.

Codex positivas istas leges silentio suo opportune suppressit, rem istam prudenti Superiorum discretioni committendo. Praecipit tamen c. **605**, atque hoc est vestigium pristinae severitatis, ut inutiles collocutiones abrumpantur, sive agatur de monialibus sive etiam de viris, qui in sua conversatione cum saecularibus, praesertim alterius sexus, discretionis et prudentiae immemores esse facile possint.

706. - IV. De formali clausura activa, seu de vetito egressu.

1. *De egressu virorum.* Nulla specialis lex regulares ab aliis religiosis hic distinguit. Canone **606**, § 1, Superioribus accurata observatio constitutionum de egressu e claustris, de excipiendis vel adeundis extraneis commendatur.

Ex § 2, reservatis legitimis quaestuationibus, commoratio extra claustra gravem et iustam causam postulat ; nec ultra tempus necessarium protrahi potest. Immo, excepta causa studiorum, absentia ultra sex menses *semper* veniam Apostolicae Sedis requirit.

Venia igitur ista petenda est, etiam si mentis vel corporis infirmitas commorationem in hospitio necessariam faciat. — Nec refert hospitium esse religiosorum, cum religiosi in *propriae* religionis domo habitare debeant.

Itaque per se a statu religioso alienum est ut religiosi per plures dies apud parentes *ferientur*. Difficultas tamen tollendi usum diu receptum causam gravem et iustam suppeditare potest, si valde brevis fuerit commoratio. De quaestuatione, cf. infra, n. 724. 725.

2. *De egressu monialium.* Canone **601**, severa regula iuris superioris confirmatur. Post professionem, nulli *moniali* e monasterio exire licet sine speciali S. Sedis indulto. Nullus admittitur praetextus. Excipitur tantum imminens periculum mortis vel alius gravissimi mali. Ac periculum ipsum, si tempus suppetat, a loci Ordinario scripto recognoscendum est.

Verba canonis fere ea sunt quibus C. Tridentinum utebatur s. XXV, *de Regularibus*, c. 5, nisi quod contentum erat causa legitima ab episcopo probanda. Verum S. Pius V tria tantum legitimae causae exempla agnovit : *incendium*, *lepram* et *epidemiam*. Pro exemplis istis canon posuit verbum generale : periculum mortis vel aliud gravissimum malum.

Casus esse poterit si, propter gravem causam, manus chirurgi patienda est nec vult chirurgus extra nosocomium, ubi cautiones asepticae praesto sint, operationem tentare. De rei gravitate episcopus decernet. Cf. AUGUSTINE, in c. 601.

Propter generalia verba « gravissimum malum », LEITNER, § 22, probante SCHAEFER, *de Religiosis*. n. 354, p. 424, existimat ab episcopo permitti posse ut moniales egrediantur e monasterio ad participandam politicam electionem, si quando necesse sit ad avertendum valde grave malum (commune).

Cum hic non agatur de sanctione poenali excommunicationis, sed de observanda clausurae lege qua, secundum c. 540, § 3, ipsae postulantes tenentur, existimamus, contra atque in priore editione scripsimus, egressum sine S. Sedis facultate etiam monialibus quae solam professionem triennalem fecerunt prohiberi. Immo, Secretaria S. C. *de Religiosis* respondit ipsis postulantibus opus esse venia S. Sedis ut e monasterio clausurae papalis legitime egrediantur (Cf. *Per.* VIII, 227). Atque idem e toto tenore Instructionis *Nuper* colligitur. Monet tamen eadem Instructio, II, 1°, e, nulla facultate opus esse ut postulantes, noviciae ante vota et etiam professae votorum temporariorum, elapso votorum spatio, saeculum repetant.

Quod autem, finito postulatu, postulantes ad horam discedant ut sollemniter habitum noviciarum in ecclesia recipiant et dein in clausuram qua noviciae recipiantur, mos iste aliquorum locorum videtur omnino rationabilis, quem potius praeter quam contra Codicem esse dixerim. Id tamen ab Instructione *Nuper*, non admittitur.

Monet Instr. *Nuper* facile a S. Sede concedi Superiorissae ut dum ecclesia vacua est et clausa, moniales ab ipsa selectae possint ad ecclesiae nitorem curandum in eam tunc descendere.

Monasteria autem ubi iam non fiunt nisi vota simplicia, non habent nisi clausuram quae episcopalis vocatur, quae proin, in casu speciali, ab episcopo dispensari potest. Observet tamen episcopus specialem causam rigorosae disciplinae clausurae in istis domibus.

3. *Egressus Sororum*. Egressus iste generali dispositione canonis **606**, §§ 1. 2 regitur, quo observandae dicuntur constitutiones, commoratio autem extra claustra sine gravi et iusta causa prohibetur, ultra vero sex menses, semper excepta causa studiorum, licentiam S. Sedis exigit.

Non desunt tamen qui exceptionem studiorum ad solas religiones clericales pertinere existiment. His enim solis titulum XII *De studiis* applicari posse. Verum observamus c. 606 qui, pro quaestuatione, remittit ad cc. 621-624, nullatenus ad tit. XII se referre ; ac studia quibus, v. g. praeparentur magistri et magistrae idoneae, hodie non minus religiosis laicis et sororibus quam clericis sedulo peragenda esse, si catholicam institutionem multorum adolescentium et puellarum salvare voluerimus. Quare, nisi severius quidpiam decernatur, probamus AUGUSTINE, in c. 606, qui exceptionem etiam in studia privata bibliothecae vel archivi cadere existimat, FANFANI (appellans c. 490), n. 319, et BASTIEN, n. 274, qui sorores ad beneficium exceptionis admittunt. Sane, non minus quam viris, opportunae cautiones adhibendae erunt.

Praeterea c. **607** praescribit Superiorissis et Ordinariis locorum, ut serio advigilent ne religiosae, citra casum necessitatis, *singulae* extra domum pergant.

Ante Codicem, CLEMENS VIII, C. *Nullus omnino*, § 18-21, hunc tantum ipsis viris permittebat egressum, qui fieret ob iustam *causam* et *speciali* licentia, cum *socio* a Superiore designato, et impertita benedictione. Non constabat tamen hanc constitutionem obligare extra Italiam. Nunc, ex Codice certum est haec religiosis viris lege generali non imponi.

707. - Quaeres, de *morali* aestimatione *egressus illiciti.*

Quatenus prohibitio legis seu Codicis violatur, egressus sine licentia est e genere suo *gravis*, admittit tamen excusationem levis materiae. Severius sane dicendum est de egressu monialium stricte talium extra clausuram, qui punitur excommunicatione. Scriptores, ante Codicem, delictum consummatum aestimabant per egressum momentaneum, toto saltem corpore factum. Id hodie nimis severe dictum fore, non immerito putant Biederlack-Führich, n. 136, nota, et transgressionem minimam a mortali excusari posse potius opinantur.

Et cum leges clausurae prudenter sint temperatae, videmur quoque satis miras hodie omittere posse interpretationes quibus excommunicata dicebatur, propter violatam clausuram, monialis quae supra tectum ambulaverit vel extra fenestram se suspenderit ; sed verum et proprie dictum egressum e claustris postulabimus. Accessus ad tectum rite cratibus protectum expresse admittitur. Instr. *Nuper*, III, c.

De aliis ac monialibus sic dicendum videtur. Omnis egressus quo lex communis violatur saltem sub levi peccato sancitur. Si vero sola violatur constitutio, aestimanda erit sicut alia violatio constitutionis, si interdiu et per breve tempus quis egressus sit.

Ad notabile tempus abesse sine licentia, grave erit quatenus religiosus dum se subtrahit Superiorum auctoritati, votum oboedientiae violat. Notabile tempus erit si quis ultra duos vel tres dies extra claustra commorari voluerit. At minus grave est absentiam permissam diutius protrahere quam sine licentia abire et extra claustra manere.

Egressus demum simul *furtivus* et *nocturnus*, seu qui fiat, Praelato inscio vel invito, eo tempore quo solent religiosi decumbere vel quo mirum sit saeculari religiosum obvium habere, certe materiam gravis praecepti oboedientiae offert ; immo iam per se, ratione scandali et suspicionum quibus locum dat, gravis pronuntiari debet, etiamsi nulla prava consilia inita sint.

Ante Codicem, communis sententia gravis peccati arguebat egressum noctu factum vel ad notabile tempus.

708. - V. De formali clausurae custodia. 1. Haec custodia in primis committitur propriis Superioribus et per eos designatis officialibus.

2. Clausura *monialium*, earum quoque quae regularibus subiectae sunt sub vigilantia ponitur Ordinarii loci, qui poenis quoque ac censuris corrigere et coercere potest delinquentes, regularibus viris non exceptis (c. **603**, § 1).

Eadem clausura etiam *Superiori regulari* custodienda committitur, qui moniales aut alios subditos, si quid, hac in re, deliquerint, poenis quoque punire potest.

3. Episcopus semper curet ut clausura congregationum religiosarum rite servetur, et quidquid in eam irrepat vitii corrigatur ; immo, nisi de religione clericali exempta agatur, potest, si peculiares gravesque causae intercedant, hanc clausuram censuris munire (c. **604**, § 3).

Mens igitur Codicis non est ut episcopus clausuram istam regulariter censuris protegat.

4. Iis omnibus quibus est clausurae custodia sedulo advigilandum

est « ne, alienis invisentibus, inutili collocutione disciplina perturbetur, et spiritus religiosus detrimentum patiatur » (c. 605).

709. - VI. Sanctiones latae sententiae. Titulo XIII libri V, *De delictis contra auctoritates, personas, res ecclesiasticas,* continentur in c. 2342, binae excommunicationes, Sedi Apostolicae simpliciter reservatae, quae, ad summam quod attinet, iam exsistebant.

1. Ea poena punitur violatio clausurae *monialium* per *ingressum.* Moniales accipe stricte dictas seu quae re vera habent vota sollemnia. Censura afficit omnes personas puberes, illicite ingredientes ; easdem introducentes vel easdem admittentes.

Censuram effugiunt quaeque personae quae impuberes introducant vel admittant, cum desint verba « cuiuscumque aetatis ».

Introducunt tum extranei qui vi vel dolo vel aliter personas immittunt, tum interni privati qui intra ducant vel libere recipiant.

Admittunt qui, cum ex officio ingressui obsistere debeant, ingressum vel positive concedunt vel non impediunt, quando id facile possunt (CAPPELLO, *De censuris*, n. 112).

Qui personam iam intra claustra versantem retinent, probabiliter censuram effugiunt. Severius dicit BIEDERLACK-FÜHRICH, n. 137, ex LEHMKUHL, II, 955.

Censuram non effugiunt hodie *Ordinarii* et *Superiores* qui illicite ingrediantur clausuram.

Praeterea clerici hanc clausuram violantes ab Ordinario suspendendi sunt.

2. Eadem poena punitur violatio clausurae *Regularium* per ingredientes *mulieres.* Censura afficit quoque alios, quicumque sint, qui eas introducant, vel admittant, *cuiuscumque sint aetatis.* Hic ergo introducentes puellas censuram non effugiunt. — Momentaneus ingressus potest esse levis.

Religiosi qui eas introducant vel admittant privandi sunt officio et voce activa et passiva.

3. Eadem poena tandem afficit quoque *moniales stricte tales, illegitime* contra praescriptum c. 601 e clausura *egredientes.*

Egressus *verus* requiritur quamvis modicus, ita tamen ut parvitatem materiae non excludamus. Contra ac R. P. CERATO, *Censurae vigentes* n. 83, putat, non requiritur egressus e monasterio : nimis contra finem legis esse videtur ut egressus e clausura hac sanctione privetur.

Plura cf. t. III, de his excommunicationibus.

§ 4. OBLIGATIO MINISTERIIS SACRIS COOPERANDI

710. - Canones 608. 609. 612, apostolicam concordiam et conspirationem inter utrumque clerum firmare intendunt. Quare :

1. C. 608 generali modo commendat ut cooperatio spiritualis religiosorum libenter admittatur et libenter praestetur. Ideo, Superiores

curare debent in suis subditis promptam ad sacrum ministerium voluntatem hac ratione : *a*) ut religiosi parati sint necessitati populi consulere, cum intra tum extra proprias ecclesias ; *b*) ut promptitudo ista maxime in dioecesi in qua degunt exhibeatur ; *c*) ut salva tamen sit disciplina religiosa : haec, pro religionis fine, plura ministeria excludere potest ; *d*) ut designatio personarum per quas opera praestanda sit Superiori prorsus reservetur.

2. Iubentur Ordinarii locorum et parochi libenter uti opera religiosorum. Atque iterum magis religiosis dioecesis favendum est. Inter ipsa ministeria, administratio sacramenti paenitentiae ut maxime conveniens religiosis commendatur. Religiosi enim, rebus paroeciarum extranei, magis liberam esse sinunt paenitentis accusationem ; et, prae condicione sua, maiorem copiam consiliorum spiritualium pro animarum directione habere praesumuntur.

3. **C. 609** totus est de *relationibus cum paroeciis*. § 1 generali modo indicatur quomodo rationes paroeciae et communitatis religiosae in eadem ecclesia componendae sint : ad communitatem religiosam pertinere censentur quae ad Capitulum pertinent ubi, in eadem ecclesia, est Capitulum et paroecia. Atque ad c. 415, qui haec distincte numerat remittimur.

§ 2, vetatur constitutio paroeciae in ecclesia religiosarum, etiam quae sola vota simplicia habeant.

§ 3, Superiores attendere iubentur ne, cum parochos iuvare debeant, celebratione officiorum in propriis ecclesiis *noceant* catecheticae instructioni aut evangelii explanationi in ecclesia paroeciali tradendae.

Canon iste prudentem explanationem requirit. Mens eius clara est. Parochus cuius munus est, post episcopum, catechismum docere et evangelio pascere populum suum, quin id cum fructu faciat a regularibus impediendus non est. Rursus autem integrum est religiosis fideles ad suas missas et praedicationes admittere, etsi, quo maior sit in una ecclesia frequentia populi, eo minor per se erit in aliis ecclesiis : quod tamen detrimentum multis bonis compensatur. Nam caput, tandem aliquando, est, ut populus devotione crescat, et audiat explicationem catechismi et evangelii. Secundarium est, utilitatem istam hic potius quam alibi procurari.

Sed in litteris *Etsi minime*, 7 febr. 1742, Benedicti XIV, unde praesens canon desumptus est, Pontifex narrat, in urbibus accidere ut propter sollemnes quasdam Regularium celebrationes, certis diebus vemo se conferat ad ecclesiam paroecialem. Agitur ergo de celebrationibus quae sic extraordinarie noceant ministerio paroeciali.

Iudicium de nocumento isto episcopo committitur, non quod inde acquirat in Regulares iurisdictionem repressivam. Sed monitus ab episcopo, Superior debet per se divina officia in propria ecclesia ita ordinare ut per se directe non noceant. Quod si Superior non fecerit, Ordinarius recurret ad S. Sedem, quae providebit

[709-710]

4. **C. 612** vult ut, si episcopus indicaverit *ob causam publicam, sonitum campanarum, preces* aliquas vel *sacra sollemnia*, religiosi oboediant, salvis tamen constitutionibus et privilegiis.

Haec intellegenda sunt de edicto generali, cui religiosi quoque se conformare debebunt. Namque etiamsi causa publica postulet ut specialis functio fiat in sola ecclesia regulari, R. P. Bondini, *De privilegio exemptionis*, p. 56, probante R. P. Fanfani, n. 353, p. 374, negat specialem functionem ecclesiae regulari stricte praescribi posse. Invitanti tamen episcopo decet ut Regulares facile obtemperent.

Salvae quoque manent constitutiones approbatae a S. Sede et privilegia quae speciali modo caveant ne talis functio celebretur in ecclesia regularium vel a regularibus.

Canone 612 simul remittimur ad c. 1345, quo obligatio imponitur religiosis, etiam exemptis, tradendi, in suis quoque ecclesiis, secundum instructiones episcopales, diebus dominicis et festis de praecepto, brevem evangelii aut alicuius partis doctrinae christianae explicationem.

§ 5. OBLIGATIO CHORI, MISSAE CONVENTUALIS ET OFFICII DIVINI

711. - 1. Obligationem chori **c. 610** non quidem imponit, sed explicat quomodo intellegenda sit in religionibus « quibus est chori obligatio ».

Religiones istae sunt, si militares excipias, *Ordines* regulares saec. XVI° anteriores omnes. Et his quidem chori obligationem gravem esse non ambigitur.

Moniales tamen, quae in quibusdam regionibus vota tantum simplicia emittunt, ut ipsa respondit S. *Paenitentiaria*, 26 oct. 1858, ex solis constitutionibus sunt ad chorum obligatae. Declaratum praeterea est, levem esse obligationem monialium quae, ex constitutionibus, solum officium B. M. V. recitandum habent.

Apud congregationes religiosas obligatio chori ex solis constitutionibus metienda est.

Sic, cum Biederlack-Führich, n. 140, dicimus tum ex mente Codicis, quae non est, ut receptam disciplinam sine expressis et perspicuis verbis graviter mutet, tum ex ipso textu, qui, ut ait ipse R. P. Fanfani, n. 265, chori obligationem non imponit sed supponit.

Nullatenus ergo inducenda est in omnes religiones quae ex constitutionibus choro obligantur, obligatio gravis, quae ex praesenti canone colligeretur (Contra R. P. Augustine, in h. l.).

Porro obligatio chori premit communitatem et Superiores. Singuli religiosi tunc tantum, ubi gravis est chori obligatio, graviter deliquerint si, quando actu non sunt impediti, sua absentia effecerint ut chorus non habeatur.

Porro chorus haberi debet in singulis domibus ubi sint quattuor

choro obligati et actu legitime non impediti (v. g. munere suo, sacro ministerio) ; immo ubi pauciores sunt, si constitutiones id ferant.

Non ideo tamen, contra atque habet FANFANI, n. 266, existimabimus *ubique* gravi chori obligationi satisfieri posse per duos qui officium psallant. — Sufficiens chorus non habetur per conversos fratres ; an per novicios, id controvertitur, sed benigna opinio est probabilis.

Superiores nulla speciali facultate ex iure communi donantur dispensandi in choro alios ac magistros et studentes, secundum dicta n. 690. Videndum autem si quid plus possint ex privilegio vel consuetudine, vel quando casus moram non patitur. PRÜMMER, q. 235, facultatem dispensandi a chori obligatione in singulis casibus Superioribus permittit.

Non in omni loco, sed *in ecclesia* chorus haberi debet, vel saltem in oratorio quod aperto muro vel accessu sit cum ecclesia coniunctum. Cf. resp, *S. R. C.* 12 dec. 1879 (*Decr. auth.* n. 3506).

Officium vero persolvendum est cotidie ad normam constitutionum, quae proin extensionem obligationis pressius definire possunt, addendo, v. g. parvum officium B. M. V., ut in Ordine Praemonstratensi.

2. De missa conventuali. Ubi et quatenus habetur chori obligatio, ac proin si sint quattuor non legitime impediti, missa officio respondens cotidie apud viros legi debet ; et etiam, prout copia habetur, apud mulieres. Missa ista dicitur conventualis, quia fit coram conventu monachorum. Eius obligatio, apud viros, gravis est, non autem apud mulieres, cum verba, « quoad fieri possit » obligationem imminuant. (FANFANI, n. 269) ; sed est communis etiam in domibus religiosarum vota simplicia habentium, quibus ex constitutionibus a S. Sede approbatis est obligatio chori. (Resp. *C. I. C.* 20 maii 1923. AAS, XVI, 1924, 113 ; *Per.* XIII, 79. Cf. de missa religiosis praescripta comment. P. PAUWELS, S. I. *Per.* XIII, p. (20) ss. ; resp. *S. C. R.* 2 maii 1924. AAS, XVI, 1924, 248.)

3 Sollemniter professi qui a choro afuerunt debent, exceptis conversis, ipso professionis titulo, horas canonicas privatim recitare (c. 610, § 3).

Simpliciter professi hanc obligationem non habent, nisi constitutionibus imponatur (Resp. 6 aug. 1858 ; Decr. *Perpensis*, 3 maii 1902, VII. *De relig.* II, 179 et 184). Eadem tamen ac sollemniter professi obligatione chori (in singulis levi) tenentur.

§ 6. DE SIGILLO LITTERARUM

712. - De commercio litterarum apud religiosos. Dominativa Superiorum potestas et eam consequens oboedientia religiosorum se extendit, salvis secreti legibus, ad litteras quas religiosi mittant vel

recipiant inspiciendas, admittendas et supprimendas. Quia tamen, in hac re, varia est disciplina religiosa, nec desunt religiones ubi quidam gradus privilegium conferunt habendi, quod vocant, sigillum litterarum, Codex argumentum istud committit constitutionibus, ac mere sancit quandam libertatem commercii litterarum cum selectis personis quae sua auctoritate vel tutela religiosos protegunt (c. 611). Itaque omni inspectioni subtrahuntur *mutuae* litterae religiosorum virorum vel mulierum et S. Sedis, intellectae ut in c. 7 (Cf. n. 53) ; — S. Sedis in natione Legati, quocumque nomine veniat, stabilis aut transeuntis ; in natione tamen, ac proin non legati apud aliam gentem ; — Cardinalis Protectoris ; — propriorum Superiorum maiorum ; — Superioris domus forte absentis, non ergo Superioris huic subordinati (Subprioris, Ministri) ; — Ordinarii loci cui subiecti sint : nihil ergo hic conceditur alumnis religionum clericalium exemptarum ; — Superiorum maiorum Ordinis, quibus moniales oboedire debent.

Ac perinde dicendum arbitramur, sive privilegio, sive concessione Ordinarii loci, id faciant, de Superioribus maioribus Ordinis qui visitent canonice moniales Belgii vel Galliae quae Ordinariis locorum subiectae sunt. Atque ea est vis c. 611, ut non solum litterae, si mittantur, aperiri non possint, sed etiam ut religiosis inviolabilem facultatem det litteras ad tales personas mittendi et ab iis recipiendi. In recentibus Constitutionibus non iam praecipitur Superioribus ut alias litteras legant, sed mere iis ius seu facultas prudenter utenda tribuitur.

Ac si constitutiones libertatem commercii litterarum ad alias quasdam personas extendant v. g. ad Consiliarios generales, id nullatenus Codici adversabitur ; non tamen approbatur, ut religiosae possint sine facultate commercium litterarum cum confessario inire.

De isto argumento, praecipue de ratione agendi cum litterae secreta conscientiae continere videntur, cf. scripta in *Per.* V, (53)-(55).

Caput II. - De privilegiis religiosorum

Ordo dicendi. — Praemisso generali canone de modo acquirendi privilegia, Codex distincte, addens opportunas determinationes et explicationes, religiosis in hoc capite concedit : *privilegia clericorum*, *exemptionem*, *usum indultorum communium*, *quaestuationem*. Postremum capitis canonem reservat *privilegiis Abbatum.*

Notiones autem de privilegiis, cf. n. 149, ss.

I. MODI ACQUIRENDI PRIVILEGIA

713. - Etsi c. 63 triplicem modum acquirendi privilegia agnoscat i. e. *directam concessionem*, *communicationem*, *consuetudinem* aut *praescriptionem*, Codex, c. 613 consuetudinem silentio praeteriens, excludit in posterum communicationem privilegiorum, et religionibus ea sola privilegia agnoscit, quae vel Codice continentur, vel quae a S. Sede directe concessa fuerint.

Sic enim habet c. **613**, § 1 : « Quaelibet religio iis tantum privilegiis gaudet quae vel hoc in Codice continentur, vel a Sede Apostolica directe

eidem concessa fuerint, exclusa in posterum qualibet communicatione ».

Verba canonis duplicem ferunt explicationem litteralem. Si ablativum absolutum « exclusa in posterum qualibet communicatione » sumas pro explicatione quae ante dicta temperantur, non negabis religionibus conservationem privilegiorum quae iam ante Codicem per communicationem sunt acquisita.

Contra, si eadem canonis verba adhibeas tamquam excludentia *etiam* in futurum communicationem cuius effectus anteriores prioribus canonis verbis sunt suppressi, tunc Ordines religiosos multis privilegiis quibus a saeculis pacifice utuntur spoliatos declaraveris.

Utra interpretatio praeferenda est ?

Separata inspectio c. 613 severiorem suadebit interpretationem, quam satis fuse tuetur R. P. BLAT, p. 601, cum R. P. BIEDERLACK-FÜHRICH, n. 145 et CHELODI, *De personis*, n. 280.

Si vero c. 613 cum aliis canonibus, praecipue cum c. 4 et generali legislatoris mente componere volueris, religionibus pacificum usum privilegiorum antea etiam per communicationem acquisitorum mitius permittes cum RR. PP. AUGUSTINE, in c. 613, PRÜMMER, *Man. iur.* p. 317 ed. 4 6 ; BRANDYS, n. 91 ; FANFANI, n. 334 ; CREUSEN, *Religieux*, n. 248 3, *etc.*

Etenim, ut cessent privilegia a S. Sede concessa et quae in usu sunt, c. 4 *expressam* postulat revocationem, quae, in casu praesenti, eo magis formalis et perspicua exspectanda esset quo de re graviore et generaliore quaestio agitur. Non satis ergo expressa videtur revocatio quae indirecte resultaret ex dispositione positiva c. 613, § 1, praesertim cum aliter intellegi queat. Atque a mente legislatoris prorsus alienum videtur, Ordines ab avita privilegiorum possessione (quae, eam pluries centenaria sit, per se sola praesumptionem privilegii induceret) deturbare, et sic non modicas dubietates et molestias creare : non modicum enim negotium est originem (quae triplex esse potest : concessio, possessio, communicatio) accurate distinguere singulorum privilegiorum quibus utuntur.

Id praecipue arduum fuerit, privilegia quae solo usu seu consuetudine nitantur ab iis quae a communicatione privilegiorum repetenda sunt secernere.

Iam vero, interpretatio ex contextu et ex mente legislatoris anteponenda est interpretationi quae inhaeret soli litterae, alterius expositionis capaci. Quare, nisi contraria intercesserit declaratio authentica, religiosi suis privilegiis omnibus tuto uti pergent. Quam sententiam in ipsa Urbe receptam esse novimus. *Monitore* 1918, p. 194 et 336, refert applicationem canonis 613, esse suspensam donec S. C. *de Rel.* privilegia singularum religionum non recognoverit.

714. - Exceptio in gratiam monialium eiusdem Ordinis. Suae regulae generali Codex statim, **c. 613**, § 2, apponit exceptionem in gratiam monialium eiusdem Ordinis. His enim, quatenus capaces sint communicantur privilegia Ordinis virorum.

Eiusdem Ordinis moniales sunt, cum eae quae, eadem regula utentes, stricte sunt eiusdem instituti : sic moniales Ordinis S. Benedicti ; tum eae quae, sibi accommodatam regulam ab eodem fundatore obtinentes, dicuntur secundi Ordinis : sic moniales Ordinum mendicantium. Ac canon applicatur etiam iis monialibus quae iam non nuncupant nisi vota simplicia et locorum Ordinariis, non autem Superioribus regularibus sunt obnoxiae. Quod ipsius S. Sedis declaratione firmatum est.

II. PRIVILEGIA CLERICALIA

715. - 1. Privilegia clericalia quae cc. 119-123 numerantur prosunt quoque religiosis, etiam laicis ac noviciis (**c. 614**). Sunt autem privilegium *canonis* (cum coniuncto iure obtinendae cuiusdam reverentiae), *fori*, *immunitatis* et *competentiae*.

2. Applicatio c. 123 id secum fert, *a*) ut istis privilegiis renuntiare nequeant; *b*) ut dimissi a religione eadem amittant; *c*) ut iure deferendi habitum religiosum in perpetuum privari possint et sic etiam privilegiis spolientur; *d*) ut remissione poenae vel nova admissione in religionem, eadem recuperent.

3. Religiosi qui primam tonsuram acceperunt eadem privilegia duplici titulo obtinent; ac praeterea fruuntur c. 118, quatenus capaces sunt potestatis sive ordinis sive iurisdictionis, et beneficia ecclesiastica ac pensiones ecclesiasticas (in genere, non dicimus omnia et singula) acquirere possunt.

Religiosi laici nullam ordinis vel iurisdictionis potestatem habere possunt; quaedam tamen potestas ecclesiastica ipsis competit, si sunt Superiores religiosi.

III. PRIVILEGIUM EXEMPTIONIS

716. - Notio. *Exemptio*, generice sumpta, dicit libertatem a dominatu Superioris immediati, qua fruitur is qui speciali tantum vel maiori praelato oboedientiam praestare debet. Itaque religiosorum exemptio *est eorum libertas a iurisdictione episcopi seu Ordinarii loci*, qua propriorum tantum praelatorum et Summi Pontificis regimen ferre cogantur.

Exemptio ista est *personalis*, *localis*, *mixta*. Personalis liberat ipsas personas ubicumque versentur, sed nullatenus loca ubi consederint; *localis* directe afficit loca, personas autem quatenus in eo sunt loco, ita ut simul cum adventu et discessu, initium vel finem habeat personarum exemptio; *mixta* simul personas et loca eximit iurisdictione Ordinarii, qui, exceptis quibusdam casibus, neque in personas neque in locum quicquam possit.

Rursus exemptio localis seu mixta potest esse mere *passiva*, quo casu loca manent in territorio alieno, sed iurisdictioni Ordinarii subtrahuntur; et *activa*: quo casu, locus iam fit *nullius dioecesis*, et Praelato competit iurisdictio in omnes personas, etiam religioni extraneas, quae in isto loco versantur.

Ipsa demum exemptio passiva potest esse *plena*, ita ut aeque principaliter personae et loca sint donata exemptione qua etiam extranei, in isto loco versantes, fruuntur; vel semi-plena seu partialis, si exemptio localis iis tantum personis prodest propter quas est concessa.

Demum, hodie interdum nomine exemptionis *late dictae* vocant partialem exemptionem qua fruuntur religiosi iuris pontificii, qui tamen proprie non sunt exempti. Cf. PRÜMMER, q. 239, nota 2.

717. - Exemptio regularium. Ex c. 615, « *Regulares, noviciis non exclusis, sive viri sive mulieres, cum eorum domibus et ecclesiis, ab Ordinarii loci iurisdictione exempti sunt, praeter quam in casibus iure exceptis.* »

Itaque, cum agitur de Regularibus, statuitur principium quod, contra quosdam adversarios, v. g. in nostris commentariis de *Prohibitione et censura librorum* defendere debuimus, i. e. regulam esse exemptionem, quae proin praesumenda

et late interpretanda est, subiectionem vero esse probandam. Quare, cum agitur de regularibus, exemptio a iurisdictione etiam exemptionem a visitatione complectitur.

Regulares, sive viri sive mulieres, ii sunt qui pertinent ad Ordinem vel ad monasterium sui iuris, ubi emittuntur vota sollemnia ; non sunt igitur moniales quae ad vota simplicia sunt redactae. Excipiuntur quoque moniales votorum sollemnium quae Superioribus regularibus non subsunt. Hae enim subduntur Ordinario loci qua tali, vel qua vices agenti S. Sedis.

Exemptio ista a personis ad domos et ecclesias protenditur, ita ut mixta sit dicenda. Constat quoque eam plerumque (si excipias abbatias *nullius*) non esse activam sed tantum passivam. Estne autem ita plena ut laici ibi effugiant auctoritatem et censuras episcopales ? Id aliquatenus controvertitur. Et, vigente Codice, id admittunt NOLDIN, 1, 151 ; GENICOT-SALSMANS, *Instit. moralis*, 1, 124 ; CAPPELLO, *De censuris*, n. 9, ita ut sententia ista extrinsecus saltem probabilis dicenda sit. Nobis tamen praefertur sententia quam, post SUAREZ, *De censuris*, 5, 4, 6, tuentur plerique canonistae, v. g. CHELODI, *De Personis*, n. 281 ; CREUSEN, *Religieux* etc. n. 254 ; PRÜMMER, q. 230 ; BIEDERLACK-FÜHRICH, n. 35 ; AUGUSTINE, in c. 615. Codex enim non simpliciter domus eximit sed *Regulares cum domibus suis*, ita ut loca sint tantum ratione personarum exempta. Et cum extranei, etiam in monasterio, praelati regularis iurisdictioni non sint obnoxii, cur personae istae omnem iurisdictionem proprii territorii effugere debeant, non apparet.

Ipse canon tamen casus exceptos esse memorat, qui hic breviter videntur indicandi, etsi eorum explicatio proprio loco data vel danda sit.

718. - In primis monemur ipso canone non alios esse exceptos casus, praeter eos qui iure expressi sunt.

Qui casus, seu proprie dictae exceptiones, distinguendi sunt ab aliis, improprie dictis exceptionibus, in quibus certae personae vel certa loca non satisfaciunt condicionibus pro beneficio exemptionis prudenter requisitis. I. e. non sunt casus excepti, casus personarum vel domorum quibus non competit ipsum exemptionis beneficium.

Ut casus exceptos ordine numeremus :

Alia sunt quae ipse episcopus apud regulares facere potest ;

Alia sunt quae episcopo facienda regulares linquere debent, ipsi autem facere non possunt ;

Alia sunt quae, iubente episcopo, ipsi regulares facere vel praestare debent ;

Alia demum sunt quae sine episcopi interventu regulares facere prohibentur. Itaque :

1. *Quae episcopus dioecesanus apud Regulares facere potest :*

a) In ecclesiis Regularium exemptorum contionari (c. 1343, § 1), pontificalia exercere (c. 337, § 1) ; sacramentum confirmationis ministrare (c. 792).

b) Visitare eorum ecclesias vel publica oratoria, ad urgendas leges quas de divino cultu tulerit (c. 1261, § 2) ; scholas, non internas pro professis religionis exemptae, oratoria, recreatoria, patronatus, etc. in iis quae religiosam et moralem institutionem spectant, visitare (c. 1382).

2. *Quae episcopo territorii facienda linqui debent :*

a) Consecratio (non item benedictio) loci sacri (c. 1155), et campanarum (c. 1169, § 5) ; consecratio altaris immobilis (c. 1199, § 2).

b) Iudicia de causis spectantibus ad *S. Officium* (c. 1555) ; et de causis inter religiosas personas physicas vel morales diversae religionis (c. 1579, § 3) ; controversiae de praecedentia collegiali, in casibus urgentioribus (c. 106, 6º).

c) Examen voluntatis puellarum vel sororum, ante noviciatum, primam professionem temporariam et perpetuam (c. 552).

3 *Quae, iubente episcopo, ipsi regulares facere vel praestare debent :*

a) Preces recitare publica causa imperatas (c. 612).

b) Collectas seu orationes imperatas, in missa dicendas, recitare et episcopum in canone nominare (ex lege liturgica).

c) Sollemnia generaliter praescripta celebrare (c. 612).

d) Campanam ob publicam causam, iubente Ordinario, sonare (c. 612).

e) Catecheticam institutionem populo tradere (c. 1334).

f) Diebus festis brevem evangelii vel doctrinae christianae explanationem facere (c. 1345).

g) Ordinationes observare ad divinum cultum tutandum (c. 1261).

h) Processiones publicas ab Ordinario indictas participare, nisi ultra tria millia a civitate ubi indictae sunt distent (cc. 1291. 1292).

i) Observare taxas dioecesanas pro stipendiis missarum manualium (c. 831, § 3), non tamen pro missis fundatis (c. 1550).

k) Abstinere divinis officiis quae, iudicio Ordinarii loci, catecheticae instructioni aut evangelii explanationi in ecclesia parochiali tradendae nocumentum afferant (c. 609, § 3).

l) Nisi solis eleemosynis vivant aut actu habeant collegium discentium vel docentium ad commune Ecclesiae bonum promovendum, tributum solvere pro seminario (c. 1356) ; aut, qua beneficiarii, extraordinariam et moderatam exactionem praestare (c. 1505).

4 *Quae sine interventu vel consensu episcopi ab ipsis fieri nequeunt :*

a) Erigere domum religiosam et aedes quoque separatas (c. 497).

b) In certo ac determinato loco erigere ecclesias vel oratoria publica (c. 1162, § 4).

c) Audire confessiones saecularium et religiosarum (c. 874, § 1, 876).

d) Contionari coram aliis ac religiosis vel contubernalibus qui in hac re religiosis assimulantur (cc. 1338. 1339. 514).

e) Custodire ss. eucharistiam in oratorio principali, non publico (c. 1265, § 1, n. 2).

f) SS. Sacramentum publice, i. e. cum ostensorio exponere (c. 1274, § 1).

g) Exponere in ecclesiis aut locis sacris imagines insolitas (c. 1279, § 1).

h) Orationes in publica ecclesia vel in oratorio publico, et pietatis exercitia non approbata peragere (c. 1259, § 1).

i) Nominare rectorem ecclesiae non annexae conventui (c. 480, § 2).

k) Indulgentias novas, ecclesiae concessas, quae Romae promulgatae non sint, pervulgare (c. 919, § 1).

l) Ordines suscipere, si Superiores ordinationes facere nequeant (cc. 956-959. 964).

m) Associationes pias erigere (cc. 686, § 2-4 ; 703, § 2) ; iis peculiares vestes praescribere in publicis functionibus deferendas, vel habitum confraternitatis mutare (cc. 713, § 2 ; et 714) ; moderatorem vel cappellanum e clero saeculari praeficere associationi in propria ecclesia erectae (c. 698, § 1).

n) Processiones publicas extra ecclesiae ambitum, extra octavam Corporis Domini, peragere (c. 1291, § 2).

o) Publici iuris facere libros, ephemerides vel scribere in diariis (cc. 1385. 1386,

p) Professionem fidei (cum abiuratione modernismi) facere qua confessarii, contionatores, beneficiarii curati (c. 1406, § 1, 7°).

q) Quaestuationes facere, nisi ex instituto vocentur et sint mendicantes (c. 621 et 622).

r) Collocare pecuniam datam paroeciae vel missioni aut religiosis intuitu paroeciae vel missionis (c. 533, § 1, 4° et § 2).

s) Bona fiduciaria recipere quae attributa sint loci seu dioecesis ecclesiae, incolis aut piis causis iuvandis (c. 1516, §§ 1 et 3).

N. B. De his utiliter adeuntur opera R. P. Bondini, O. F. M. Conv., *De privilegio exemptionis* ; et RR. PP. Biederlack-Führich, n. 148-155.

Plura, hic memorata, temperanda sunt propter peculiaria privilegia variarum religionum.

719. - Personae regulares exceptae exemptione. Exemptione non fruuntur regulares : 1. Illegitime extra domum degentes, etiam sub praetextu accedendi ad Superiores (**c. 616**, § 1).

Degere supponit protractam quandam commorationem. Exemptus ergo manet regularis qui illegitime extra claustra actu versatur ad horam, v. g. quia illicite exiit ambulatum, vel etiam ad unum vel alterum diem.

2. Qui extra domum commiserint delictum quod Superior, praemonitus, punire neglexerit. Tunc ab Ordinario loci puniri possunt, etiamsi legitime e domo exierint vel domum reversi fuerint (c. 616, § 2).

Regulares dispersi vel quos persecutio cogit extra claustra commorari non versantur illegitime extra claustra ; atque miseranda eorum sors peculiari consideratione digna est. Quocirca, etiam seposita iuridica quaestione, practice aequiparantur regularibus qui intra claustra se contineant. Quod in relatione causae Mechoacan. *Crediti*, agnitum est coram S. Rota, 1 iun. 1911 (AAS, III, 1911, 432).

720. - Domus regulares exceptae. — Domus non formatae *non sunt plene exemptae*, quatenus : *a*) peculiari vigilantiae Ordinarii loci committuntur ; *b*) atque is, si abusus irrepserint et fidelibus scandalo fuerint, non tantum S. Sedem monere debet, sed per se providere interim potest. De abusibus quos in aliis domibus Superiores moniti corrigere neglegant, S. Sedem statim certiorem facere debet (**c. 617**).

Observes discrimen cum superiore iure. Ante Codicem, sola monasteria quae legitimum numerum religiosorum habebant (quem numerum alii ad 12, alii ad 6 definiebant) exemptione fruebantur (Cf. nostrum *De religiosis* I, 365). Nunc, vi c. 615, omnes regularium domus exemptae statuuntur. Erga domus tamen non formatas, committitur locorum Ordinariis officium, non quidem visitationis vel introspectionis, sed *vigilantiae*, seu magis attentae sollicitudinis, qua facilius deprehendant abusus, si qui innotescant. Praeterea, si abusus isti fidelibus scandalo sint, tunc Ordinarius per se providere potest, non quidem definitive, sed *interim*, donec S. Sedes, quam certiorem reddere debet, de negotio statuerit.

721. - Exemptio religionum votorum simplicium. 1. *Exemptio proprie dicta.* Privilegium exemptionis ipsis non est sine speciali concessione, qualem, v. g. habent Presbyteri SS. Redemptoris et Congre-

gatio Passionistarum. Et si de ista concessione constet, non est ultra eius terminos extendenda. Attamen, quamvis exemptio a iurisdictione exemptionem a visitatione per se non contineat, nihilominus « religiosos exemptos episcopus visitare potest in casibus tantum in iure expressis » (c. 344, § 2). Casus expressus habetur c. 512, § 2, 2°, quo Ordinario loci officium assignatur ut domos Congregationis clericalis iuris pontificii etiam exemptae, visitet « in iis quae pertinent ad ecclesiam, sacrarium, oratorium publicum, sedem ad sacramentum paenitentiae ».

2. *Exemptio late dicta, seu partialis.* Hac fruuntur omnes Congregationes iuris pontificii ; canone autem **618**, § 2, sic definitur : *a*) Constitutiones nullatenus immutari possunt. Quod, ex hodierno stylo Curiae, iam valet de Constitutionibus nondum approbatis, sed quibuscum religio decretum laudis obtinuit. — *b*) Ordinarius loci non potest de re oeconomica cognoscere, excepto interventu pro collocatione et alienatione, de quo dictum est nn. 607-609. — *c*) Nec potest « sese ingerere in regimen internum ac disciplinam, exceptis casibus in iure expressis ; nihilominus in religionibus laicalibus ipse potest ac debet inquirere num disciplina ad constitutionum normam vigeat, num quid sana doctrina morumve probitas detrimenti ceperit, num contra clausuram peccatum sit, num sacramenta aequa stataque frequentia suscipiantur ; et si Superiores de gravibus forte abusibus admoniti opportune non providerint, ipse per se consulat ; si quae tamen maioris momenti occurrant quae moram non patiantur, decernat statim ; decretum vero ad S. Sedem deferat » (c. 618, § 2, 2°).

722. - Ius annexum potestati Ordinarii loci. « In omnibus in quibus religiosi subsunt Ordinario loci, possunt ab eodem etiam poenis coerceri » (c. **619**).

Non tamen revocantur privilegia quorundam Ordinum qui etiam tunc a poenis Ordinarii sunt immunes. Cf. nostrum *De religiosis*, I, n. 380.

Itaque laicales religiones, quo nomine, praeter plures virorum, veniunt omnes religiones mulierum, sunt magis quam clericales obnoxiae potestati Ordinarii loci ; et, in re certe oeconomica, moniales magis quam Congregationes sororum ab eius arbitrio pendent : quod ipso minore numero et strictiore clausura, quae experientiae negotiorum obstat, facile explicatur.

Omnes autem Congregationes religiosae, quae non fruuntur privilegio proprie dictae exemptionis, obnoxiae sunt Ordinario loci quod ad censuras, casus reservatos, dispensationes a votis non reservatis et a legibus communibus.

IV. USUS INDULTI COMMUNIS

723. - Dispositione c. **620**, generaliore modo quam rescriptis S. *Officii*, 20 dec. 1871 et 20 ian. 1892, limitatis ad abstinentiam, vis

indulti quo ab Ordinario loci obligatio legis communis legitime tollitur, ad regulares et religiosos utriusque sexus extenditur.

Quare non parum confirmatur sententia, hodie communis, quae episcopo permittit usum in gratiam Regularium suarum facultatum dispensandi, ne privilegium exemptionis in detrimentum cedat ipsorum religiosorum. Cf. SANCHEZ, *Decal.* l. 4, c. 39, n. 27 ; PIAT, I, p. 422. Consensus proprii Superioris est saltem ad liceitatem necessarius. Sententiam praelaudatam nunc certam dicit PRÜMMER, q. 241, nota 1. Cf. quoque AUGUSTINE, in c. 620; SCHAFER, *De religiosis*, 425, qui etiam putat parochum posse sua facultate dispensandi a iure communi uti erga religiosum separatum a Superioribus suis.

Porro haec est quoque vis istius canonis, ut si Superior usum talis indulti prohibuerit, vel si ipsae constitutiones obligationum imponant indulto suppressam, violatio prohibitionis vel constitutionis iam non materialiter legi communi adversatura sit, ita ut gravitas culpae ex Superioris praecepto et vi constitutionum eruenda sit.

V. PRIVILEGIUM MENDICANTIUM, SEU QUAESTUATIO

724. - Quaestuationis notio et ius. — 1 *Quaestuatio*, seu collectio eleemosynarum dicit *personalem et satis generalem quaesitionem eleemosynarum.*

Personalem : non ergo eam quae litteris fit, ut constat ex ipso decreto *Singulari*, 27 mart. 1896, n. IV, quo materia ista est ordinata et ad quod c. 624 remittimur. — *Sat generalem :* non ergo eam quae fit apud paucos vel selectos et iam notos religionis benefactores.

Itaque non quaestuant qui necessitates suas per nuntios seu schedam exponunt ; vel qui, pro magno aliquo opere, divitem quendam singulatim adeunt qui illud suscipere velle probabiliter existimatur ; vel qui, invitati, se conferunt ad domos eorum qui ipsos invitarunt. Nec quaestuant missionarii, qui benefactores suos visitant, etiam sub spe novi beneficii. Quaestuant vero ii qui, quamvis non ostiatim mendicent, informatione capta vel adeo, pretio soluto, catalogum sibi comparant personarum quae nomen habent propensae et liberalis voluntatis in pias causas easque personas dein adeunt, petendae eleemosynae causa.

Nec quaestuant qui in propria ecclesia eleemosynas ad pios fines colligunt. In ecclesia exempta Ordinarius loci, neque suo praevio consensui subordinare nec vetare huiusmodi pecuniarum collectionem potest.

2. Canones de quaestuatione distinguunt *regulares*, quorum privilegio favent, ceteros *religiosos* et *Orientales.*

a) *De Regularibus.* Dispositio c. 621 illos solos Regulares spectat qui ex instituto mendicantes *vocantur* et *sunt.* Et, ex responso 16 oct. 1919 *Commissionis I. C.*, ad 10, canon 621, § 1, intellegendus est tantum de religiosis mendicantibus stricte dictis, et nequaquam de illis qui latiore sensu tales appellantur, ut sunt Fratres Ordinis Praedicatorum. Iam vero quotquot ex instituto stabiles reditus in communi excludunt, nomen mendicantium merentur ; actu autem seu in praesenti sunt mendicantes, qui etiamnum reditus istos sibi prohibent.

Improprie sunt mendicantes qui, sine exclusione stabilium redituum

privilegia mendicantium participant. Sic etiam BIEDERLACK-FÜHRICH, n. 155, 1; FANFANI, n. 358; SCHÄFER, *De religiosis*, 429, p. 480.

Non ergo requiritur ut re vera eleemosynas quaeritare soleant. Quocirca Societas Iesu, ratione domorum professarum et residentiarum aequiperatarum, est stricto sensu Ordo mendicans. Codex tacet de *monialibus*, propter strictam earum clausuram. Non tamen desunt v. g. Collettinae seu Clarissae pauperes, quae per sorores, extra clausuram degentes, quaestuationem exercent. Canonem de ipsis valere non est ambigendum.

Iam vero, in dioecesi ubi tantum domus constituta est, cum quaerere eleemosynas ad propriam eorum disciplinae rationem pertineat, Ordinarius loci et ipsa S. Sedes, permittendo domus erectionem, tacitam quaestuandi licentiam dedisse videntur. Quare, in dioecesi ubi domum habent, ex sola propriorum Superiorum licentia, eleemosynas quaerere possunt.

Extra vero talem dioecesim, opus praeterea habent *scripta* licentia Ordinarii loci ubi eleemosynas colligere cupiunt.

Arbitrio istius Ordinarii licentia dari vel negari potest. Si tamen religiosa domus sine mendicatione vivere nullatenus possit, monentur Ordinarii, praesertim dioeceseum finitimarum, ne licentiam sine gravibus et urgentibus causis denegent, vel revocent. Decr. *De eleemosynis*, S. C. *de Religiosis*, 21 nov. 1908, unde praesens canon desumptus est, hoc exemplum addit : si conventus in parva dioecesi exsistat.

b) *De ceteris religiosis. Religiosi iuris pontificii*, sine peculiari S. Sedis indulto, stipem petere prohibentur. Obtento indulto, opus praeterea habent licentia scripta Ordinarii loci, nisi aliter in ipso privilegio cautum sit. Cf. **c. 622**, § 1. Ordinarium loci intellege eum qui regit territorium in quo eleemosynas quaerere cupiunt.

Religiosi iuris dioecesani opus habent scripta licentia Ordinariorum tum loci in quo sita est eorum domus, tum loci in quo eleemosynas colligere velint (c. 622, § 2).

Idem c. 622, § 3 statuit ne Ordinarii licentiam concedant, nisi quatenus sibi constet de necessitate domus vel pii operis cui alio modo occurri nequeat ; ac licentiam circumscribant loco vel districtu vel dioecesi ubi sufficientia subsidia obtineri possint.

Specialis autem severitas postulatur in locis ubi sunt conventus regularium qui nomine et re mendicantes sint : ne his noceatur.

c) *De Orientalibus.* Sine authentico et recenti rescripto S. C. *pro Ecclesia Orientali*, Ordinarii latini nec sinant Orientalem ullum cuiusvis Ordinis vel dignitatis, in proprio territorio stipem colligere, nec suum subditum in Orientales dioeceses in eundem finem mittant (c. 622, § 4).

Posterior casus vix unquam eveniet. Dispositio tamen istud commodum habet,

parcendi Orientalium nomini. Si Latinis liceret apud Orientales quod his apud Latinos vetatur, sanctio nimis odiosa videretur, et suspicionem in Orientales iniceret.

Observes ergo non tantum facultatem dari non admittendi Orientales, n... debita facultate muniti sint, sed etiam positive iuberi ut tales ab Ordinariis repellantur. Nimis saepe accidit ut, in hac re, quaedam piorum timiditas insigniter a furibus decipiatur, non sine detrimento bonorum operum.

Recens rescriptum istud est cuius tempus ad quod datum est, nondum est elapsum. Si indefinite datum videatur, iam antiquitas ultra annum aliquam suspicionem fraudis afferre potest. Ac prudens investigatio identitatis personae mendicantis et personae cui rescriptum datum est minime neglegenda est.

725. - Quaestuationis modus. 1. Solis professis aetate animoque maturis, maxime si de mulieribus agitur, quaestuatio committi potest ; numquam autem iis qui studiis adhuc incumbunt. Ita ipse **c. 623.**

2. De *modo* autem quaeritandi eleemosynas et disciplina a quaestuantibus servanda, religiosi utriusque sexus stare debent instructionibus a Sede Apostolica hac de re datis. Potissimae duobus decretis continentur : *De eleemosynis*, 21 iun. 1908, quod viros respicit, et *Singulari quidem*, 27 mart. 1896, de sororibus.

Quae tamen decreta in iis tantum partibus ubi modum et disciplinam definiunt confirmata sunt ; ita ut, v. g. dispositio pro missionibus exteris iam non vigere dicenda sit.

Itaque : *a) de viris* haec potissimum notanda sunt. Per seipsos, non per personas saeculares Ordini extraneas stipem colligant. — Scriptas facultates parochis ultro, Ordinariis si requirantur, exhibere debent. — Quantum fieri potest, sint bini : si quaestuans unicus sit, debet esse bene notus et apprime commendatus. — Extra locum conventuum, divertant apud parochos, clericos, vel, his deficientibus, apud pium benefactorem christiana honestate et virtute conspicuum. — In propria dioecesi non ultra mensem : in alia, non ultra duos menses extra propriam domum maneant, nec iterum mittantur iidem, nisi elapso uno vel altero mense, prout per unum mensem vel per duos afuerint. - In loco conventus quaestuantes, se noctu domum recipiant. — Commendatur humilitas, modestia, mundities, cura propriae dignitatis, pietas, regularis observantia. — Ipsi Superiores opportunas instructiones addere debent.

Quae de religiosis Congregationum praescribebantur specialia, cum in Codice paulo aliter ordinentur, videntur omitti posse, dummodo observent quae de mendicantibus statuta sunt.

b) De mulieribus. Sorores binae mittendae sunt ; intra dioecesim non ultra mensem ; nec ultra duos menses extra dioecesim. — Semper pecunia instructae sint qua possint domum redire. « Singulae numquam incedant, neque ab invicem separentur nisi necessitate impellente. »

De suo adventu futuro illum praemoneant cui datae sunt episcopi litterae ; apud illum se sistant et ab eo securum hospitium petant. Praescribuntur exercitia spiritualia, humilitas, modestia.

VI. PRIVILEGIA ABBATUM

726. - *Abbates de regimine,* i. e. qui communitatem actu regunt, intra tres menses a legitima electione benedictionem accipere debent ab episcopo dioecesis in qua monasterium situm est ; recepta ista

benedictione, et non aliter, possunt tonsuram et minores ordines conferre promovendo qui saltem ex simplici professione sit eorum subditus. Extra istas condiciones, ordinatio foret invalida, nisi Abbas esset episcopus ; et quodlibet contrarium privilegium revocatur (cc. **625** et 964, 1°).

AUGUSTINE, in h. c. censet subiectionem ratione professionis per se circumscribi Abbate communitatis cui vota facta sunt et promissa oboedientia, ita ut, sine privilegio vel indulto, nec Abbas praeses Congregationis monasticae nec Abbas Primas monachum tuto ordinarent.

Non solebant ante Codicem benedici Abbates non perpetui. Nunc omnes benedicendi sunt. Atque, ut tuta sit ordinatio postea facta, Abbatibus qui, ex privilegio, formalem benedictionem recipere non debebant, sed ipsa legitima « installatione sua » censebantur benedicti, benedictio ab episcopo petenda est.

Iidem quoque, accepta benedictione, possunt ex privilegio pontificalia adhibere hac ratione : ubique deferre possunt crucem pectoralem et anulum cum gemma, excluso pileolo violaceo, nisi sint Ordinarii locorum. In proprio autem territorio, i. e. in propriis ecclesiis, insignia pontificalia cum throno et baldachino adhibere et officia divina pontificali ritu peragere possunt.

Ut id extra ecclesias suas possint, etiam annuente Ordinario loci, oportet ut privilegio muniti sint vel immemorabili consuetudine niti queant.

APPENDIX DE QUIBUSDAM ALIIS PRIVILEGIIS

727. - Utile videtur hic non nulla alia privilegia memorare quae in aliis Codicis locis allegantur vel ex alio fonte constant. Itaque :

1. **De oratoriis.** Ordinarii religiosorum possunt in suis domibus erigere oratoria semi-publica (c. 1192) ; immo, ex c. 822, § 4, in casibus extraordinariis, permittere per modum actus missam in quolibet decenti loco, non tamen in cubiculo. Atque ex speciali privilegio possunt etiam, non solum in domibus proprie religiosis sed etiam in villis seu granciis, erigere oratoria, in loco decenti, ita ut fideles ibi praecepto missae dominicalis audiendae satisfacere possint.

2. **De hora missae.** Ex privilegio, regulares, et plures religiosi possunt celebrare duabus horis ante auroram et post meridiem. Missionariis S. I. facultas a Praeposito generali fieri potest ut, sive itineris sive devotionis causa, celebrent iam duabus horis post mediam noctem. Atque ALEXANDER VI concessit Benedictinis privilegium ut toto anni tempore duabus horis post mediam noctem litarent. Privilegium istud esse revocatum existimat S. ALPHONSUS, l. 6, n. 342 ; BALLERINI-PALMIERI (IV. 1050) diversimode opinantur.

3. **De Benedictionibus.** Omissis hoc loco variis benedictionibus propriis religiosorum, ut rosariorum, scapularium, viae crucis : Superiores religionis clericalis exemptae possunt per se vel per alium delegatum (etiam habitualiter) pro usu proprio vel monialium subiectarum, benedicere ecclesias, oratoria, campanas, primarium ecclesiae lapidem, sacram supellectilem (cc. 1155. 1156. 1163. 1169, § 5 ; 1305. 1304, § 5 . Possunt quoque ecclesiam *consecratam*, quae violata fuerit, reconciliare (cc. 1176, § 2 ; et 1156).

4. **De ordinationibus.** Habent privilegia ordinationis extra tempora regulares ; immo PRÜMMER admittit esse Societati Iesu, cum Dominicanis et Redemptoristis, privilegium quo subditi possint omnibus fere diebus festis anni sacros ordines suscipere (PRÜMMER, q. 246, fine. In ed. altera legebatur « omnibus diebus anni » Cf. *Epitome*, II, n. 269).

5. **De dispensationibus.** *Ordinarii* (i. e. Superiores maiores in religionibus clericalibus exemptis) subditos dispensare possunt : a legibus pontificiis in quibus S. Sedes solet dispensationem concedere, si difficilis sit recursus ad S. Sedem et simul in mora periculum est gravis damni (cc. 81. 82). — In dubio facti, dummodo agatur de legibus in quibus R. Pontifex dispensare solet (c. 15). — A temporibus sacris, in casibus singularibus et iusta de causa (c. 1245) — In votis non reservatis (c. 1313), illaeso tamen iure tertii quaesito. — A iuramentis (c. 1320). — Ab irregularitatibus ex delicto occulto provenientibus, excepto homicidio voluntario et fetus humani abortu, aliave deducta ad forum iudiciale (c. 990). — A poenis latae sententiae, iure communi statutis, exceptis censuris specialissimo vel speciali modo S. Sedi reservatis, et in solis casibus occultis. Immo etiam in casibus publicis poenas latae sententiae iure communi statutas remittere possunt, exceptis casibus ad forum contentiosum deductis, censuris S. Sedi reservatis, et quibusdam aliis, enumeratis canone 2237. — Pro singulis libris, in casibus urgentioribus licentiam, quod attinet ad libros a S. Sede proscriptos dare possunt (c. 1402). Ipsi autem ecclesiastica librorum prohibitione non astringuntur (c. 1401). — Praeterea facultates dispensandi exercere possunt quae ex non revocatis suae religionis privilegiis, in sua potestate versantur. Et cum agitur de dispensatione a temporibus sacris, a votis et iuramentis, subditi esse intelleguntur non soli religiosi, professi vel novicii, verum etiam personae quae « in religiosa domo diu noctuque degunt », causa famulatus aut educationis aut hospitii aut infirmae valetudinis (c. 514).

Superiores religionis clericalis exemptae, etiam non maiores, possunt sicut Ordinarii dispensare a temporibus sacris servandis, a votis et iuramentis subditos intellectos sicut modo dictum est (cc. 1245. 1313. 1320).

Confessarii regulares, ex privilegiis religionis, dispensare possunt personas etiam saeculares in votis non reservatis ; immo, in quibusdam religionibus etiam a votis reservatis (exceptis semper votis quae publica dicuntur quia ab Ecclesia acceptata), et in iuramentis.

Dispensare quoque possunt pro foro interno in irregularitatibus, sicut Ordinarii, ita ut dispensatio valeat etiam ad ordines suscipiendos (Cf. Prümmer, q. 245, 2, b). Atque absolvere possunt a casibus *iure communi* reservatis episcopo (non autem a casibus quos episcopus sibi reservarit).

N. B. Ad proprietatem verborum attendendum est. Sic Ordinarius non est ullus Superior, praeter maiorem in religione clericali exempta.

Caput III. - De religioso promoto ad ecclesiasticam dignitatem vel parochiam regularem

728. - I. Principia. Generalis religiosorum habilitas exercendi munia sacra conciliandа est cum communi status religiosi condicione, cum speciali exigentia peculiaris Instituti, et sanctionibus iuris positivi. Inde, **c. 626**, Codex statuit haec quasi principia :

1. Sine Sedis Apostolicae auctoritate, religiosus nequit ad dignitates, officia aut beneficia promoveri quae cum statu religioso componi non possint.

Ex praesenti disciplina, ad Summum Pontificatum, ad Cardinalatum, ad episcopatum, ad munus Vicarii apostolici et Praefecti apostolici, religiosi aeque ac saeculares promoveri possunt. Ex c. 367, munus Vicarii generalis committendus est saecularibus, ubi dioecesis non fuerit religioni cuipiam commissa.

Aliae dignitates saecularibus destinantur. De officiis et beneficiis valet regula : praesumuntur esse saecularia ; et saecularia saecularibus, regularia regularibus

sunt conferenda, Canonici tamen *Praemonstratenses*, ex privilegio, paroeciis saecularibus praefici possunt.

2. Ob dependentiam a Superioribus, religiosus legitime ab aliquo collegio electus, nequit suae electioni assentiri sine licentia Superioris (c. **626**, § 2).

Haec licentiae petitio, quae fiebat ab electoribus, vocabatur ante Codicem postulatio *simplex*, opposita *sollemni*, quae fit de persona proprie impedita (Cf. WERNZ, II, 193). Hodie igitur electio significari potest religioso, qui ipse debitam licentiam sibi providere debet (BIEDERLACK-FÜHRICH, n. 159).

Manifestum est perinde dicendum esse, seu licentiam esse necessariam ut religiosus quodlibet munus ab alio atque a suo Superiore praesentatum acceptet.

3. Si voto tenentur non acceptandi dignitatem, licentia Superioris non sufficit ; sed speciali Romani Pontificis dispensatione tunc opus est (c. 626, § 3).

729. - II. **De Cardinali et episcopo, etiam titulari.**

1. **C. 627** haec generalia statuit quae iam ante Codicem communiter tradebantur ; i. e. eos manere religiosos, participes privilegiorum suae religionis ; teneri votis, ceterisque obligationibus suae professionis esse astrictos, exceptis iis quae cum sua dignitate ipsi prudenter iudicent componi non posse. De bonis tamen servanda est peculiaris dispositio **c. 628**.

Assumpti canonici vel clerici regulares simili saecularium Cardinalium et episcoporum vestitu utuntur, nisi quod sericis vestibus abstinent. Ceteri servant in vestibus propriae religionis signum. Omnes tamen gestant rubrum vel violaceum pileolum. Assumpti episcopi propriam Ordinis tonsuram servant.

Quia voto paupertatis astricti sunt, expensas superfluas facere prohibentur.

A potestate Superiorum exempti, vi voti oboedientiae soli R. Pontifici obnoxii manent (c. 627, § 2).

Die 2 dec. 1920, in audientia S. Pontificis, declaratum est c. 627, § 2, valere quoque, durante munere, de Praefecto Apostolico.

2. Quod ad bona : *a*) Qui per professionem dominium bonorum amiserint, bonorum quae ipsis obveniunt habent usum, usumfructum et administrationem. Proprietatem episcopus residentialis, Vicarius Apostolicus et Praefectus Apostolicus acquirunt dioecesi, vicariatui, praefecturae ; ceteri Ordini vel S. Sedi. Cardinalis disponit libere de reditibus etiam beneficiariis (c. 239, § 1, 19°).

b) Qui dominium bonorum non amiserint, eorum recuperant usum, usumfructum et administrationem ; bona quae postea ipsis obveniant sibi plene acquirunt. De dispositione tamen sacrae supellectilis, observandi sunt cc. 1298 et 1299.

Sive autem dominium amiserint sive servaverint, quaecumque ipsis obveniant non intuitu personae, ab ipsis secundum offerentium voluntatem sunt administranda et destinanda.

3. Dimisso Cardinalatu vel episcopatu, aut expleto munere extra religionem sibi a S. Sede commisso, debent ad religionem redire (c. 629, § 1).

Cardinales tamen vel episcopi religiosi quamlibet suae religionis domum eligere possunt in qua degant; sed carent voce activa et passiva (c. 629, § 2).

Non in sola domo sed in tota religione ipsos voce activa et passiva carere ex generalibus verbis canonis colligitur, et confirmatur C. Pauli IV *In sacra*. 15 iul. 1599 (Bull. Rom. Taurinense, VI, p. 55) de eligibilitate. De voce activa et passiva eorum qui actu gerunt episcopatum vel sunt Cardinales, Codex nihil expresse statuit. A mente tamen legislatoris alienum videtur ut personae quae tanta auctoritate extra religionem donantur Capitula participent cum periculo libertatis ceterorum. Atque vocem passivam regularibus episcopis absolute negavit Paulus IV in allegata Constitutione. Sunt tamen Congregationes quae episcopos et Vicarios apostolicos ad sua Capitula generalia admittunt. Nihil in textu habemus unde haec prohibeamus. Quamquam satis mirum videatur, quod, resignato officio, episcopi et Cardinales, privatione vocis activae et passivae quam, dum officium gerebant, possidebant, aliquam capitis diminutionem patiantur. Tempore tamen Pauli IV exstabat haec ratio peculiaris, impediendi ne ad ambiendam Ordinis dignitatem, dissolutionem vinculi cum sua ecclesia postularent.

730. - III. De parocho religioso. Cf. R. P. Clemente Carmignani (O. F. M.), *Il piccolo Codice dei parroci regolari*. 1. *Nominatio.* Ad paroecias religiosis concreditas Superior cui ex constitutionibus id competit sacerdotem suae religionis praesentat Ordinario loci; qui eidem institutionem concedit (c. 456).

Si paroecia pleno iure fuerit domui religiosae unita, constituitur vicarius, qui actualem curam gerat animarum. Is quoque a Superiore religioso praesentatur, et ab Ordinario loci instituitur (c. 471).

2. *Amotio.* Parochus vel vicarius religiosus est amovibilis ad nutum tam loci Ordinarii, monito Superiore, quam Superioris, monito Ordinario, aequo iure, non requisito alterius consensu; nec alter alteri causam iudicii sui aperire et multo minus probare tenetur, salvo recursu in devolutivo ad Apostolicam Sedem (cc. 454, § 5 et 471, § 3).

3. *Officium.* Animarum cura per se tota pertinet ad solum parochum vel vicarium, cum omnibus parochorum iuribus et obligationibus, salva congruenti dependentia a Superiore et ab Ordinario loci.

« Si ecclesia religiosa est simul parochialis, functiones Superioris et parochi debent amice conciliari. Nisi aliud ferat aut S. Sedis indultum aut particularis conventio a loci Ordinario legitime probata, haec observantur : *a*) Ad parochum spectant ea omnia quae solent fieri a parochis saecularibus in ipsorum ecclesiis, nempe : applicare missam pro populo ; debito tempore praedicare ac doctrinam christianam fideles edocere ; custodire libros paroeciales ; functiones proprie paroeciales peragere, ut sunt baptizare, funera peragere, etc., eleemosynas in bonum paroecianorum colligere, administrare, rite distribuere. — *b*) Ad Superiorem religiosum eiusve vices gerentes spectant omnia alia, nempe : custodire ss. eucharistiam, sed altera tabernaculi clavis a parocho servari debet ; ecclesiae

curam habere eiusque bona administrare cum piis legatis ; servitium chorale, si quod incumbit, peragere » (PRÜMMER, q. 250, 5).

4. *Status religiosus.* Parochus vel vicarius religiosus servat obligationes religiosas quae cum officii sui muneribus consistere possunt (c. 630, § 1). Arbitrium autem rei, quod gerebat Cardinalis vel episcopus, non iam penes parochum est, sed potius in causis dubiis, penes Superiores et Ordinarium loci.

Qua religiosus autem, non minus quam antea, Superiorum iussionibus et correctioni est obnoxius.

Nec aliqua iuridica capacitas, si quam per professionem amiserit, ipsi restituitur. Quae tamen intuitu paroeciae ipsi obveniunt acquiruntur paroeciae, non monasterio.

Intuitu paroeciae ea sola acquiruntur quae ipse parochus saecularis paroeciae servare deberet ; sed stipendia missarum, iura stolae, et quaecumque patrimonium parochi saecularis intrarent, acquiruntur, pro varia ipsius parochi capacitate, vel ipsi parocho vel religioni, aut S. Sedi, sicut de Cardinalibus et episcopis religiosis dictum est (c. 628, 1° et 2°).

Ipsi tamen, ex generali iuris facultate, « licet eleemosynas in bonum paroecianorum, vel pro scholis catholicis aut locis piis paroeciae coniunctis, quovis modo oblatas accipere aut colligere, et acceptas sive collectas administrare, itemque, servata offerentium voluntate, pro prudenti suo arbitrio, erogare, salva semper vigilantia sui Superioris ; sed eleemosynas pro ecclesia paroeciali aedificanda, conservanda, instauranda, exornanda accipere, apud se retinere, colligere aut administrare pertinet ad Superiores, si ecclesia sit communitatis religiosae ; secus ad loci Ordinarium » (c. 630, § 4).

Hoc alterum punctum AUGUSTINE, in h. c. existimat fore difficilis exsecutionis. Sed, ni fallimur, canon ius definit, non prohibens quin, quantum expediat, delegatio seu commissio parocho a Superiore vel ab Ordinario tribuatur.

5. *Subordinatio et obligationes.* Qua parochus, licet ministerium exerceat in domo seu loco ubi maiores Superiores religiosi ordinariam sedem habent, subest immediate omnimodae iurisdictioni et correctioni Ordinarii loci, regulari observantia unice excepta (c. 631, § 1).

Si suo muneri defecerit, cumulativa competentia ad decernendum et ad puniendum tribuitur Ordinario loci et Superiori, « ita tamen ut si aliter a Superiore, aliter ab Ordinario decerni contingat, decretum Ordinarii praevalere debeat » (c. 631, § 2).

Pro pecuniae collocatione, si data sit paroeciae vel intuitu paroeciae, consensum Ordinarii loci habere debebit (c. 533, § 4) ; de qua pecunia eidem rationem dare debebit, sicut de administratione fundorum et legatorum tributorum ad Dei cultum beneficientiamve eo ipso loco impendendam.

Si est beneficiarius, sicut omnis beneficiarius suum beneficium administrabit (c. 1472), servata debita Superiorum auctoritate. Id enim voto paupertatis non adversatur.

Communes cum aliis parochis habet obligationes residendi, etc.

Antiqua lex assignandi parocho religioso socium eiusdem Ordinis, quae parum observabatur, non est Codice confirmata.

731. - Vacante paroecia, Superior domus religiosae assumit paroeciae regimen, nisi aliter provisum fuerit ; statim autem Ordinarium loci monere debet, a quo quam primum idoneus vicarius oeconomus de consensu Superioris constituendus est (c. 472).

TITULUS XIV

DE TRANSITU AD ALIAM RELIGIONEM

(cc. 632-636)

Scriptores : Augustine, O.S.B., *A Commentary*, in hos canones. — Biederlack, Führich, S. I., *De religiosis*, n. 162 164. — Braneys, O. F. M., *Kirchliches Rechtsbuch*, etc. n. 100-104. — Chelodi, *De Personis*, n. 285. — Creusen, S. I., *Religieux et Religieuses*, n. 270-272. — Fanfani, O. P., *De iure religiosorum*, n. 474-476. — Leitner, R. D. Dr., *Handbuch*, III, *Das Ordensrecht*, § 26. — Prümmer, O. P., *Manuale*, q. 251. — Schäfer, O. M. C., *Das Ordensrecht*, p. 334-338 ; *De religiosis*, 515-517.

732. - Praenotanda. Cum transiens, ne per momentum quidem, a vita religiosa deficiat, noluit Codex transeuntes ad aliam religionem cum iis ponere qui religioni voluntarie vel coacti valedicunt, de quibus in duobus sequentibus titulis agetur.

Ante Codicem, soli sollemniter professi proprie transibant. Aliis providebatur per dimissionem aut dispensationem votorum, qua obtenta, noviciatum alius religionis ingrediebantur.

Ex iure communi anteriore, excepto transitu ad Ordinem militarem vel hospitalarem, qui, ex C. *Licet sacra*, 13 febr. 1716, Benedicti XIII, § 2-4, licentiam S. Sedis semper postulabat, fas erat religiosis qui recto fine movebantur ad Ordinem strictiorem transire ; transitus ad Ordinem aequalem requirebat consensum utriusque Superioris ; ad religionem laxiorem solus Praepositus generalis Societatis Iesu transitum permittere poterat.

Sed plerique Ordines regulares habebant privilegia vi quorum religiosus non poterat transire ad alium Ordinem, etiam strictiorem, sine assensu Superioris religionis vel indulto S. Sedis. Ipsa exceptio, aliquamdiu facta in gratiam Carthusianorum, privilegiis suppressa est.

Moniales ipsa clausura impediebantur transitu sine facultate Apostolica.

Transitus a Congregatione religiosa ad Ordinem regularem videbatur permissus ; ab una autem ad aliam Congregationem, deficiente iure communi, non videbatur fieri posse sine consensu utriusque Superioris vel indulto S. Sedis.

733. - **Transeundi facultas.** Hodie universalis regula ponitur : « Religiosus nequit ad aliam religionem etiam strictiorem, vel e monasterio sui iuris ad aliud transire sine auctoritate Apostolicae Sedis » (c. 632).

Universalis ista regula valet quoque de transitu ab una religione dioecesana ad alteram ; et applicanda quoque est ad professos votorum temporariorum, durantibus votis.

Auctoritate rursus S. Sedis, omnis transitus fit possibilis, etiam ab Ordine regulari ad religionem dioecesanam.

Nulla tamen clausula privilegia revocat. Subsistit itaque facultas ex privilegio concessa Superiori generali permittendi transitum ad alias religiones.

734. - **Transeuntis regimen.** Distinguendus est transitus ad aliam religionem a transitu ad aliud monasterium eiusdem Ordinis.

1. Transiens *ad aliam religionem* : *a*) noviciatum, non tamen postulatum repetere debet ; — *b*) durante noviciatu, servat vota sua, et Superioribus, immo magistro noviciorum etiam ratione voti oboedientiae parere debet (c. 633, § 1). Ipse igitur magister noviciorum, nisi constitutiones aliter rem decernant, praecepta in virtute s. oboedientiae ei imponere poterit. Habitum vero aliorum noviciorum sic transiens assumit. (Cf. S. C. *de Religiosis*, 14 maii 1923. AAS, XV, 1923, 289 ; *Per.* XII, (19 et 67.) — *c*) suspensa manent iura et obligationes speciales religionis quam dereliquit (c. 633, § 1). *Iura*, v. g. mittendi sigillatas litteras ; *obligationes*, v. g. specialis ieiunii ; — *d*) si fuerit iam professus sollemniter aut votis perpetuis ligatus, et ad religionem cum votis perpetuis transierit, professionem temporariam post noviciatum omittit. Ipse tamen noviciatus ei prorogari potest, non tamen ultra annum (c. 634) ; ac suffragium Capituli vel Consilii, in eo admittendo est deliberativum (*Resp. Comm. Pont.* 14 iul. 1922, ad VI. AAS, XIV, 1922, 526 ; *Per* XI, 164) ; — *e*) ab edita nova professione amittit omnia iura et obligationes prioris religionis et alterius iura et officia suscipit (c. 635, 1°) ; — *f*) quod ad *bona* : Priori religioni manent bona iam acquisita. Bona deinceps religioso obvenientia, pro varia votorum ratione, is acquiret vel sibi vel religioni ad quam transit, aut S. Sedi. Emissa professione, dos religioni ad quam transit tradenda est. Si constitutiones religionis ad quam transit exigunt ut summa solvatur pro impendiis noviciatus, vel si id expresse conventum sit, ipsi fructus dotis vel iusta quae convenit retributio religioni ad quam transit debentur. Secus, fructus dotis manent inter noviciatum priori religioni ; et bonorum personalium reditus destinationem quam habebant servant (Cf. c. 635, § 2 ; 551, § 2 et 570, § 1) ; — *g*) si qui

erat sollemniter professus fecerit vota simplicia, sollemnitas reipsa exstinguitur, nisi aliud in Apostolico indulto expresse cautum fuerit. (c. 636).

Exstincta haec sollemnitas efficit ut *in futurum* capacitas religiosis votorum simplicium communis illi professo transeunti reddatur. Quod vero ad praeterita nulla restitutio in integrum ei conceditur. Nullum igitur ius sive Ordini unde discessit sive tertio quaesitum ista nova professione adimitur. Bona tamen hereditatis nondum iacentis quando ista vota simplicia emissa sunt nondum censentur tali iure acquisita. Hanc ergo hereditatem adire poterit, etiam si ante suam professionem sollemnem illi in favorem cuiuspiam renuntiaverit.

2. Transiens *ad aliud monasterium eiusdem Ordinis* : *a*) nec noviciatum peragit nec novam emittit professionem (c. 633, § 3) ; — *b*) a die transitus omnia iura et obligationes prioris monasterii amittit, et alterius iura et officia suscipit (c. 635, 1°) ; — *c*) monasterium *a quo* servat omnia bona quae ipsius religiosi ratione iam ei quaesita fuerunt ; de aliis bonis monasterium *ad quod* transiit omnia iura acquirit quae priori monasterio obtigissent (*De legato annui reditus*, cf. B. LOPEZ, O. S. B., *Comment. pro religiosis*, 1928, p. 217 ss).

Si monasterium non fuerit eiusdem Ordinis seu religionis, recurrunt dicta de transeunte ad aliam religionem. *Eiusdem Ordinis* sunt monasteria quae eadem regula vel constitutionibus utuntur et eodem Superiore supremo reguntur. Eiusdem Ordinis censentur monachi Benedictini qui, quamvis ad varias Congregationes monasticas pertineant, eundem tamen habent abbatem Primatem ; non sunt eiusdem Ordinis, quod ad praesentes effectus, *Fratres Minores*, Fratres *Minores Conventuales* et Fratres *Minores Cappuccini*.

735. - Transeuntis inconstantia vel dimissio. Qui in nova religione non perseveraverit, ante professionem in nova religione, ad priorem redire debet nisi votorum tempus interea expiraverit (c. 633, § 2). Si post professionem recesserit, versatur in saeculo sicut is qui numquam ad aliam religionem pertinuerit.

Ut redeat ad prius monasterium vel ut, post professionem in posteriore religione, redeat ad priorem, novum indultum transeundi necessarium est.

TITULUS XV

DE EGRESSU E RELIGIONE

(c. 586. 637-645. 2385-2387)

Scriptores : AUGUSTINE, O. S. B., *A Commentary*, in hos canones.—BIEDERLACK-FÜHRICH, S. I., *De religiosis*, n. 161. 165-170. — BRANDYS, O. F.M., *Kirchliches Rechtsbuch*, etc. n. 63. 105-113. — CHELODI, *Ius de Personis*, 286-288. — CREUSEN, S. I., *Religieux et religieuses*, n. 273-282. — FANFANI, O. P. *De iure religiosorum*, n. 373-388. — LEYTNER, R. D. Dr., *Handbuch. Das Ordensrecht*, § 27. — PRÜMMER, O. P., *Manuale*, q. 252 256. — SCHAFER, O. M. C., *Das Ordensrecht*, p. 339-354 ; *De religiosis*, 538-572.

736. - **Ordo dicendi.** Egressi e religione alii sunt *liciti*, alii obiective

illiciti. De prioribus agit Codex in c. 637-643 ; de aliis, c. 644. 645 et 2387. Ac simul tractat de licito et illicito egressu non e religione sed e claustris, quod fit obtenta *exclaustratione* aut per fugam. Eundem ordinem sequemur, nisi quod primo agemus de casu egredientis propter nullitatem professionis, quem obiter tantum tangit Codex, in c. 586.

I. DE EGRESSU LICITO

737. - I. Egressus propter nullitatem professionis.

Sub iure anteriore, peculiaris ratio processus a C. BENEDICTI XIV, *Si datam*, 4 mart. 1748 (1), ordinata erat ad impugnandam validitatem professionis sollemnis ; et variae nullitatis causae variis legibus regebantur. Ex ipsa autem iussione Tridentina, s. XXV, c. 19. *De Regularibus*, actio contra professionem non poterat nisi intra quinquennium ab emissa professione moveri ; sed S. Sedes solebat restitutionem in integrum ad causam agendam concedere. Negata restitutione in integrum, vel si professio, certo nulla, non poterat in foro exteriore demonstrari invalida, alii concedebant ut, praeciso scandalo religiosus discederet et nuberet, alii, contra, ipsum lege ecclesiastica obligatum dicebant ad religiose vivendum intra claustra.

Simplicius hodie, c. 586 vult ut ad S. Sedem deferatur causa professionis contra cuius valorem gravia sint argumenta, si religiosus nolit sive professionem renovare sive sanationem petere. Perinde dicendum est, si ipsa religio professum conservare nolit, nisi quod haec plerumque causam eum dimittendi habebit.

Quid autem si nullitas sit manifesta, ita ut nec Superior nec professus eam dubiam existiment ? Tacente iure positivo, solo iure naturali uti licet, ex quo is qui nulla professione est astrictus, cavendo a scandalo, saeculum repetere potest, nisi malit vitiosae professioni suae remedium quaerere.

Canon autem 2387 hanc sanctionem poenalem edicit : « Religiosus clericus cuius professio ob admissum ab ipso *dolum* nulla fuerit declarata, si sit in minoribus ordinibus constitutus, e statu clericali abiciatur ; si in maioribus, ipso facto suspensus manet, donec Sedi Apostolicae aliter visum fuerit ».

738. - II. Expleto votorum tempore, professus religionem libere deserere potest (**c. 637**) : i. e. actus e genere suo est honestus ; de motivis quibus moraliter infici potest, ius canonicum curare non debet.

739. - III. Indulto exclaustrationis (c. 638). Indulto isto indulgetur professo ut, ad definitum tempus vel donec causa subsistat, manere extra claustra, et extra oboedientiam propriorum Superiorum vitam agere possit. Perdurante tempore indulti, professus iste servat obligationes quae cum suo statu componi possunt ; loco Superiorum propriae religionis, Ordinario territorii ubi commoratur, subditur, etiam ratione voti oboedientiae ; quare etiam providentiae propriorum Su-

(1) *De religiosis institutis*, etc., II n. 60.

periorum, ni fallimur, eripitur, ita ut nec alimenta ab ipsis exspectare possit; caret voce activa et passiva, sed privilegiis mere spiritualibus suae religionis frui pergit. Exteriorem sui habitus religiosi formam deponere debet (c. 639). Repetere claustra ipsi integrum manet.

In religionibus iuris pontificii sola Sedes Apostolica; in religionibus iuris dioecesani, etiam loci Ordinarius indultum istud concedere potest (c. 638).

Ordinario a quo indultum obtinetur potestas est « concedendi exclaustrato ob rationes particulares facultatem retinendi habitum religiosum » (1).

Qui exclaustratus moratur, ius ad suffragia religiosorum habere non videtur: haec enim non sunt privilegia spiritualia, sicut indulgentiae, sed pertinent potius ad peculiarem illam religionis providentiam, cui exclaustratus sponte sua renuntiavit. Sic etiam FANFANI, n. 482, vel in opere italico-gallico, n. 299.

Res tamen controvertitur. P. CREUSEN et BASTIEN, *Directoire*, p. 123, note 1, existimant exclaustratis manere ius ad suffragia religiosorum. Ac ratio facilis afferri potest: manent professi; canon 639 eos sola voce activa et passiva privat. Sed si consideres ab exclaustrato omnem sui utilitatem Instituto suo voluntarie negari, ita ut exclaustratio plerumque veluti inchoata censeatur saecularizatio, ratio canonicae aequitatis suadet ne omne suffragiorum debitum communitati imponeres. Verum si nobis constaret de usu quem appellat P. BASTIEN, l. c. si re vera Instituta religiosa solent suis exclaustratis beneficium suffragiorum non negare, tunc etiam nos in partes severiores inclinaremus.

Cum religiosus maneat, exclaustratus per se de quaerendo episcopo receptore non debet esse sollicitus; sacra ministeria exercere pergit: nec prohibetur officiis quae saecularizatus ex c. 642 gerere non potest. Sic PRÜMMER, q. 253 et in altera ed. FANFANI, n. 482. Namque praeter quam quod incapacitates strictae sunt interpretationis, ipse c. 642, initio, agere se demonstrat de professis quibus c. 641 applicatur, qui non sunt nisi saecularizati. Contra CREUSEN, 187 allegans paritatem rationis.

740. - Ut optime observant laudati scriptores, PRÜMMER, Q. 253, FANFANI, n. 480, BIEDERLACK-FÜHRICH, l. c., SCHAEFER, *De religiosis*, n. 544, *exclaustratio* apprime distinguenda est *a licentia manendi extra domum ultra sex menses*, quam, nisi fiat studiorum causa, c. 606 expresse reservat S. Sedi, nihil ipsis Ordinariis loci permittens. Exclaustratio enim dicit iam aliquam separationem a religione; non raro viam sternit saecularizationi, et dependentiam a Superioribus suspendit. Contra, optimae rationes, ipsis Superioribus probatae, exigere possunt ut religiosus ultra sex menses a domo religiosa absit. Sic infirmitas aegrotum coget ut maneat in sanatorio, usque dum convalescat; sic dementia necessariam reddit inclusionem in peculiaria hospitia quae miseris istis destinantur. Licentia ista religiosum nullatenus curis et obedientiae Superiorem subtrahit. Quare, recedens a priore severitate, S. Congregatio de Religiosis, dum hanc licentiam concedit, utitur formula prorsus distincta ab exclaustratione et quae per se non exigit ut vestes propriae religionis deponantur.

(1) *Comm. I. C.*, Resp. 12 nov. 1922, III. AAS, XIV, 1922, 662.

417. - IV. **Indultum saecularizationis** (cc. **638, 640**). Per indultum saecularizationis, quod vel S. Sedes, vel in religione iuris dioecesani ipse Ordinarius loci concedere potest, religiosus plene a sua religione separatur; atque hodie, a votis et obligationibus proprie religiosis prorsus liberatus, saecularibus sive laicis, sive clericis, complete assimulatur. Si fuerit in sacris, ad propriam dioecesim redire debet; si hanc, propter professionem suam perpetuam, ex c. 585 amiserit, nequit, salva alia dispositione S. Sedis, sacros ordines exercere donec episcopum benevolum receptorem non invenerit. Episcopus autem residentialis *quilibet* religiosum recipere potest, sive pure et simpliciter, sive pro experimento, ad triennium; quod tempus semel prorogare potest. Elapso altero triennio, saecularizatus ipso facto dioecesi incardinatus manet non minus quam ille qui pure et simpliciter acceptus fuerit (c. **641**).

Episcopus competens ad concedendum indultum saecularizationis religioso iuris dioecesani, is est in cuius dioecesi sita est domus cui religiosus erat ascriptus.

Dubitari possit utrum ipse religiosus iuris dioecesani professione sua perpetua dioecesim propriam amittat. Et id affirmandum videtur. Religiosi enim iuris dioecesani saepe ex aliis dioecesibus originem trahunt; praeterea, in religionibus quae in variis dioecesibus exsistunt, religiosi non manent necessario in dioecesi cuius episcopus eosdem ordinavit. Quare, nisi propriam dioecesim amitterent, saepe ius haberent se imponendi tamquam de proprio clero, antistiti qui in eorum ordinatione sacerdotali nullam partem habuit. Ratio ergo cur propriam dioecesim perpetuo professi amittant, etiam in ipsos cadit. Addas, verba c. 585 esse omnino generalia.

Quid faciendum restat professo saecularizato quem, elapso altero triennio, episcopus dimittit, non quod ipse professus se male gesserit, sed quia obligationes proprii episcopi antistes assumere renuit? Saecularizatus iste ab alio episcopo etiam ad experimentum recipi potest, vel a S. Sede impetrare, ut, sine formali incardinatione, ex sola licentia Ordinarii loci, ministeria sacra exercere permittatur. Ad vitanda huiusmodi incommoda, S. C.. *De religiosis*, saecularizationem sacerdoti professo iam concedere non solet sed exclaustrationem quae viam paret saecularizationi, quatenus manet saecularizatus, si Episcopus eum ultra triennium admiserit, vel etiam antea eum definitive ratione cooptare annuerit.

Vi responsi S. C. *de Rel.* 1 aug. 1922, religioso integrum manet recusare saecularizationem vel dispensationem cum a Superiores locali ipsi offert decretum exsecutionis iam a Sup. Gen. subscriptum. Si Superiores graves rationes contrarias habuerint, eas S. C. *de Rel.* proponant.

Ante Codicem, exclaustratio dicebatur saecularizatio *temporalis*, *perpetua* autem fere reservabatur sollemniter professis: aliis consulebatur potius per dispensationem a votis religiosis. Saecularizatus autem professus votorum sollemnium, separabatur quidem ab Ordine suo, sed, per se, manebat regularis, voto oboedientiae erga Ordinarium domicilii sui ligatus. Magna nunc iuris mutatio facta est, cum ipsa votorum sollemnitas tam facile ipso iure tollatur. **Quaeri** igitur potest, utrum sollemniter professi qui ante vigentem Codicem saecularizati sunt, maneant regulares, necne. Ipsos, nisi ad S. Sedem recurrant, manere regulares respondemus. Excidere enim statu religioso ipsis non modicum detrimentum afferret, quod, dum petebant saecularizationem, praevidere nequaquam poterant. Si ergo, sine voluntate sua, nunc beneficium status religiosi amitterent, lex re vera ius quaesitum tolleret, quod Codex, ex c. 4 facere noluit. Quare, si denuo admittantur nec noviciatum nec professionem iterare debebunt. (Cf. rescr. subsecretarii S. *Cong. de Religiosis*, 25 ian. 1923. *Per.* XIV, 78.)

742. - Ne spe cuiuspiam honoris ecclesiastici vel commodi officii a vita religiosa removeantur, **c. 642** variis beneficiis et officiis, sine novo et speciali S. Sedis indulto, prohibet *constitutos in sacris* (non alios), tum professos *saecularisatos*, tum *dispensatos* a votis temporariis, vel a iuramento perseverantiae, vel a peculiaribus promissionibus sui Instituti, si ultra sex annos iis ligati fuerint (cf. n. 765).

Attentis verbis canonis, quae meram prohibitionem sonant, non agitur de proprie dicta inhabilitate, ita ut valide, quamvis illicite ista beneficia vel officia obtinerent. Neque ii qui, elapso votorum spatio, sine dispensatione saeculum repetere potuerunt, immo neque ii qui inviti dimissi fuerunt (aliter FANFANI, 488), his prohibitionibus afficiuntur.

Cadunt autem etiam in saecularizatos ante Codicem, ut respondit *Pont. Commissio*, 24 nov. 1920.

Prohibentur autem : « 1° Quolibet beneficio in basilicis maioribus vel minoribus, et in ecclesiis cathedralibus ; — 2° Quolibet magisterio et officio in seminariis maioribus et minoribus, seu collegiis in quibus clerici educantur, itemque in Universitatibus et Institutis quae privilegio Apostolico gaudent conferendi gradus academicos ; — 3° Quocumque officio vel munere in curiis episcopalibus et in religiosis domibus sive virorum sive mulierum, etiam si agatur de Congregationibus dioecesanis. »

743. - **Quaeres a quanam S. Congregatione** professi saecularizati varias gratias impetrare debeant. Atque ipsius materiae ratione, a S. Congregatione *de Religiosis* sane impetrandum est indultum vel repetendi claustra vel ingrediendi aliam religionem, vel obtinendi officium quo prohibentur, vel exercendi ministeria sacra extra condiciones c. 641 praescriptas.

De ceteris autem gratiis res ambigi poterat, stante iure superiore, quo manebant vere regulares ; nunc autem, cum perfecte saecularibus aequiperentur ad easdem ac saeculares viri Congregationes recurrere debere videntur.

744. - De bonis temporalibus. Religiosus mere exclaustratus, nisi dignitatem vel officium obtineat quod speciali iure regitur, religioni acquirere pergit quae in ipsis claustris eidem acquisivisset, et omnes suas paupertatis religiosae obligationes et incapacitates conexas servat. Contra, saecularizatus, etiam ante Codicem (saecularizatione perpetua) non acquirebat religioni nisi quae ratione bonorum in egressu acceptorum acquisierat. In reliqua bona succedebat Camera Apostolica. Hodiernus autem saecularizatus, plenam recuperat capacitatem acquirendi sibi, ita ut ea sola bona maneant religioni quae haec iam acquisierat, et renuntiatio bonorum, etiam in gratiam religionis facta, iam nullos effectus pro bonis nondum acquisitis producat.

C. 643 autem statuitur nec ab iis qui expleto votorum temporariorum tempore, aut obtento saecularizationis indulto egrediantur, nec ab ipsis dimissis, quidpiam repeti posse « ob quamlibet operam religioni praestitam ». — « Si tamen religiosa sine dote recepta fuerit nec ex propriis bonis sibimet providere valeat, religio ex caritate eidem dare debet ea quae requiruntur ut modo tuto ac convenienti domum

redeat, ac providere ut, naturali aequitate servata, per aliquod tempus, mutuo consensu vel, in casu dissensus, ab Ordinario loci determinandum, honeste vivere possit » (c. **643**, § 2).

Quod in priore editione menti legis consentaneum dicebamus, et caritate immo aequitate veluti imperari, nunc expresso et promulgato responso S. C. *de Religiosis*, 2 mart. 1924, firmatur : i. e. si dos non pertingat ad rationabilem subsidii caritativi aestimationem, religio supplere tenetur id quod, secundum c. 643, § 2, defecerit ad aequum subsidium caritativum constituendum (AAS, XVI, 1924, 165, *Per.* XIII, 65). Aequum istud subsidium non videtur per se infra mille libellas haberi posse. Determinatur autem mutuo consensu vel, in casu dissensus, ab Ordinario loci (c. 943 § 2). Saepe etiam, ultra haec, solent religiones discedenti religiosae restituere bona quae religioni dedit, etsi nulla lege naturali vel positiva ad id obligantur. Sunt quoque ex-religiosi qui omnino irrationabiliter velint etiam fructus annuos pecuniae quam religioni dederant obtinere. Rursus autem interdum Superiores regulas in dimissione observandas neglexerunt. Nihil mirum tunc, si a S. Congregatione de religiosis severius obligentur.

745. - Non nulla **privilegia**, ante Codicem etiam quibusdam religionibus votorum simplicium concessa, Superiori generali permittunt ut, id postulanti professo, regressum in saeculum, suppressis votis, concedat, ita ut ad rem quod attinet, Superior iste verum saecularizationis indultum dare queat. Privilegia ista non sunt Codice suppressa ; atque istud, in casu particulari a S. C. *de Religiosis* responsum fuisse novimus.

In speciali quoque condicione versantur religiosi qui militari coguntur : quae specialis condicio ab inchoato servitio militari usque ad professionem sollemnem vel perpetuam protrahitur. Attentis igitur Decr. *Inter reliquas*, S. C. *de Religiosis*, 1 ian. 1911 (*Per.* V, 284), resp. 1 febr. 1912 (*Per.* VI, 199), responsis 15 iul. 1919 (AAS, XI, 1919, p. 222), haec dicenda veniunt : Qui, ante vigentem Codicem, astricti votis simplicibus perpetuis in Ordinibus religiosis, vel temporariis in Congregatione religiosa, stipendia meriti sunt, si nuntium vitae religiosae dare cupierint, a Superioribus liberi a votis dimitti possunt. Ideo, si agitur de institutis clericalibus, facultas fit Superioribus generalibus, tamquam Apostolicae Sedis delegatis, vota solvendi ; si vero agitur de laicalibus, vota ipso iure soluta censentur per litteras Superiorum generalium quibus licentia iis fit ad saeculum redeundi. Sic D. *Inter reliquas*, ad VIII, quod posteriorem formam solvendi vota elegit, ne iurisdictionem Superiori laico tribuere cogatur.

Qui vero, vigente Codice, militiam agere debuerunt, sive ad Ordinem, sive ad Congregationem pertineant, perdurante servitio militari, nullis votis ligantur. Itaque integrum ipsis est religioni valedicere. Iis tamen, decreto 15 iul. 1919, praecipitur ut Superiores praemoneant per declarationem in scriptis vel coram testibus, quae declaratio caute in archivo religionis servanda est.

II. DE EGRESSU ILLICITO

746. - **Discessus illicitus** est duplicis rationis, cum fiat per apostasiam et per fugam.

1. Per apostasiam a religione (c. **644**, § 1). Delictum istud a solo professo votorum *perpetuorum* committitur, qui e domo religiosa illegitime egreditur cum animo non redeundi, vel qui, etsi legitime egressus, non redit, eo animo ut religiosae oboedientiae se subtrahat. Ac *praesu-*

mitur apostata qui intra mensem non redierit, nec Superiori animum revertendi manifestaverit.

Simplex haec praesumptio probatione contraria, directa vel indirecta ex adiunctis, elidi potest.

Ipse quidem professus votorum temporariorum, sine animo revertendi domum religiosam illegitime deserere potest. Verum in iure, cum post elapsum votorum spatium, libertatem iuridicam recuperet, non censetur apostata, et fugitivis aequiperatur.

2. Per fugam (c. 644, § 3). Hanc committit qui, sine Superioris licentia, domui religiosae valedicit cum animo ad religionem revertendi. Fugitivus tamen non censetur qui mere ambulatum exit sine licentia : oportet ut aliquamdiu, utputa per duos vel tres dies, sui iuris esse voluerit : sive id clam, sive, quod frequentius accidet, id palam fecerit.

747. - Effectus iuridici. 1. Delicta ista, ut patet, nullam solvunt obligationem religiosam. Apostatae et fugitivi quam primum ad religionem redire debent ; sollicite requirendi sunt, et paenitentes recipi debent (**c. 645**, § 2).

2. *Apostatae* contrahunt ipso facto *excommunicationem* proprio Superiori maiori, vel, si religio sit laicalis aut non exempta, Ordinario loci in quo *commorantur*, reservatam. Itaque, competens Ordinarius pro absolutione variabit, si ipse delinquens sedem mutet. Praeterea, est exclusus ab actibus legitimis ; omnibus privilegiis suae religionis v. g. exemptione, est privatus ; et, si redierit, voce activa et passiva in perpetuum est privatus. Propriae religionum constitutiones alias sanctiones addunt. De bonis ab ipso relictis, nihil speciale dicendum occurrit.

3. *Fugitivi* ipso facto incurrunt in privationem officii, si quod in religione habeant, et in suspensionem proprio Superiori maiori reservatam. Praeterea puniendi sunt secundum constitutiones vel a Superiore maiore. Is, cum agitur de Instituto cuius Superior non sit sacerdos, videtur esse Ordinarius loci vel, si religio sit exempta, S. Sedes.

Nomine actuum legitimorum veniunt actus qui c. 2256, 2° numerantur : supponunt quandam fiduciam quae certis delictis vel factis tollitur, vel quam solis catholicis Ecclesia exhibere potest.

TITULUS XVI.

DE DIMISSIONE RELIGIOSORUM
(cc. 637. 646-672)

Scriptores : BIEDERLACK-FÜHRICH, S.I., *De religiosis*. nn. 171-178. — BLAT, O.P., *Commentarium textus*, ed. 2, II. nn. 725-758. — BRANDYS, O.F.M., *Kirchliches Rechtsbuch*, nn. 50. 63. 114-122. — CHELODI, *De Personis*, 289-294. — CREUSEN, S. I., *Religieux et Religieuses*, n. 283-298. — FANFANI, O. P., *De iure religiosorum*, n. 495-519. — LEITNER., R. D. Dr., *Handbuch*, etc. *Das Ordensrecht*, § 28. — PRÜMMER, O. P., *Manuale*, q. 257-264. — SCHAFER, O. M. C., *Das Ordensrecht*, 354-374 ; *De religiosis*, n. 573-598.

Ordo dicendi. Post communem omnibus causam dimissionis (c. 646), Codex ordine agit, c. 1, De dimissione religiosorum qui *vota temporaria* nuncuparunt ; c. 2, De dimissione religiosorum qui *vota perpetua* nuncuparunt *in religione clericali non exempta* vel *in religione laicali* ; c. 3, De *processu iudiciali* in dimissione religiosorum *qui vota perpetua* sive sollemnia sive simplicia nuncuparunt *in religione clericali exempta* ; c. 4, De *religiosis dimissis* qui vota *perpetua nuncuparunt*. Ut nostra expositio fiat brevior et distinctior, argumentum totum in duo capita dividemus, ita ut in priore *de causis et forma dimissionis*, in altero *de effectu dimissionis* et de *condicione iuridica religiosi dimissi* agamus.

Caput I. - De Causis et forma dimissionis

Visum est rem omnem prius quasi uno conspectu sub oculis ponere, ac dein varia puncta successive attingere quae dubiis locum dant.

§ 1. BREVIS SUMMA REI

748. - Dimissio alia *ipso iure*, alia *decreto* vel *sententia Superioris* pronuntiatur. Quo Superioris nomine veniunt quoque Ordinarius loci et S. Sedes.

Ipso iure, tamquam legitime dimissi habentur : publici *apostatae a fide* catholica ; — religiosus qui *cum muliere* aut religiosa quae *cum viro fugam* arripuerit ; — *attentantes* aut *contrahentes matrimonium* aut etiam *vinculum*, ut aiunt, *civile* (c. 646, § 1).

Sufficit tunc ut Superior maior, cum suo Capitulo vel Consilio, factum declaret et probationes servet (c. 646, § 2).

749. - Decreto Superioris. 1. *Elapso votorum tempore*, professi ab emittenda nova professione excludi possunt ob iustas ac rationabiles causas, non tamen propter infirmitatem, nisi probetur eam ante professionem dolose reticitam aut dissimulatam fuisse (c. 637).

Exclusio ista videtur ab ipsa antistita monialium decerni posse. — Infirmitas

autem est proprie male affecta valetudo. Non raro *aequitas* postulabit ut pari modo nemo propter iam notam antea mentis hebetudinem invitus dimittatur.

Exclusio ista a facienda nova professione non est formalis *dimissio*. Quare, nova professio negari potest ob leviorem causam quam causam propter quam dimissio licite pronuntietur. Fit tamen ut post dilatam diu (per sex, per decem annos) perpetuam professionem, haec demum negetur : quod non parum damnosum est personae religiosae quae, post tot annos in religione transactos, nesciet saepe quo se vertat in saeculo. Quare, S. C. de Religiosis quando, propter peculiares rationes concedit ut perpetua vota diu vel indefinite differantur, exigere solet ut huiusmodi soror iam dimitti nequeat nisi propter causas quae dimittendae professae perpetuae sufficientes forent.

Atque optare licebit ut huiusmodi norma imponatur etiam iis Institutis laicis quae, sine indulto, professionem perpetuam diu - (ultra sex annos) -, differre permittuntur.

2. *Durantibus votis temporariis*, religiosi propter graves causas, sive ex parte religionis sive ex parte religiosi, dimitti possunt. In Ordinibus vel Congregationibus *iuris pontificii*, dimittit Superior generalis vel Abbas monasterii sui iuris, cum consensu sui cuiusque Consilii, per secreta vota manifestato ; si agatur de *monialibus*, dimittit Ordinarius loci, accedente, si sunt regularibus obnoxiae, assensu Superioris regularis : in utroque casu, postquam antistita cum suo Consilio fidem de causis dederit ; in Congregationibus *iuris dioecesani*, dimittit Ordinarius loci in quo religiosa domus sita est : is monetur ne suo iure utatur, moderatoribus insciis aut iuste dissentientibus.

Causae Superiori certo innotescere debent : professio enim confert ius quaesitum quo arbitraria dimissio impeditur. Quia tamen religiosus in tempore probationis versatur, nullum formale iudicium requiritur. Verum religioso de quo agitur causae manifestandae sunt, plenaque respondendi licentia ei linqui debet. Ac responsiones religiosi dimittendi Superiori ad quem dimissio pertinet fideliter subiciendae sunt. Superior igitur ex informata conscientia procedere potest, sed conscientia prudenter informanda est (cf. c. 647).

750. - 3. Post *vota perpetua* (cc. 649-672) :

a) Vel agitur de *viro professo*. Tunc necesse est ut praecesserint tria delicta gravia externa, certa, tria numero formaliter aut virtualiter, ex obstinatione post duas monitiones quae, si de continuato delicto agitur, spatio saltem trium dierum integrorum separari debent, et semper faciendae sunt additis opportunis monitionibus et dimissionis comminatione.

Dein, in *religione clericali exempta*, processus *iudicialis*, omni privilegio contrario sublato, instituendus est, et a moderatoris generalis tribunali iudicandus, ita tamen ut sententia expulsionis a S. C. *de Religiosis* confirmanda sit, ante quam exsecutione compleatur. Pro

dissitis tamen regionibus, Superior generalis, cum consensu sui Consilii, iudicium tribus probis ac prudentibus viris committere potest.

In *aliis religionibus*, postquam in deliberatione Superioris generalis cum suo Consilio maior suffragiorum numerus pro dimissione steterit, si est religio *non exempta iuris pontificii*, supremus moderator decretum fert expulsionis, quod S. Sedes, ante exsecutionem, confirmare debet ; si est religio *iuris dioecesani*, res Ordinario loci omnis committitur.

Libera expositio rationum suarum reo semper permittenda est, eiusque responsiones in actis fideliter referendae sunt.

Si tamen agitur de iis qui ante Codicem, in Ordinibus regularibus, professionem perpetuam fecerant qua sollemnis praeparabatur, eorum dimissio iure ante Codicem regi pergit, sive quod ad modum, sive quod ad effectus, ut ipsa respondit *Commissio I. C.*, 16 oct. 1919, ad 2.

Praeterea, decreto *Inter reliquas*, S. C. *Religiosorum*, 1 ian. 1911, quod responsis 15 iul. 1919 adhuc vigere declaratur, Superiores peculiari facultate donantur dimittendi religiosos qui militiam agunt. Etenim, si, ex iure Codici anteriore, votis astricti sint, qui « dubia perseverantiae signa dederint, vel praescriptis cautelis, militiae tempore non obtemperaverint, aut a morum vel fidei puritate deflexerint, a Superiore generali de consensu suorum consiliariorum seu definitorum dimittantur, eorumque vota ipso dimissionis actu soluta habeantur » (Decr. *Inter reliquas*, ad VIII).

Si vero nullis votis tenentur, religio potest eos ob iustas et rationabiles causas dimissos declarare (Decr. 15 iul. 1919). *Religio*, i. e. Superiores qui professos, elapso votorum tempore, dimittere possunt : in ea enim condicione, religiosi isti versantur.

b) Vel agitur *de muliere professa*. Graves quoque causae exteriores et incorrigibilitas, experimento probata, praerequiruntur. De hac re iudicat antistita ; et locus liberae defensionis religiosae culpandae dandus est.

Antistita autem numquam sententiam pronuntiat vel decretum fert expulsionis ; sed, si agitur de religiosis *iuris dioecesani*, *Ordinarius* fert decretum dimissionis ; si agitur de monialibus vel de sororibus *iuris pontificii*, acta transmittenda sunt ad S. Congregationem, quae quod magis expedire videatur decernet. *Monialium* acta ab Ordinario loci cum voto tam suo quam Superioris regularis, si quis sit, transmittuntur ; Sororum acta mittuntur a suprema moderatrice.

c) Sive agatur de *viro* sive *de muliere*, in casu gravis scandali exterioris vel gravissimi nocumenti communitati imminentis, religiosus vel religiosa statim expelli potest. Si agitur de professo religionis *clericalis exemptae*, Superior maior, vel, si res nimis urgeat, Superior localis,

sed is cum consensu sui Consilii, reum ad saeculum remittit, habitu religioso ilico deposito; et statim fit processus, si nondum institutus sit.

Si agitur de professo vel de professa religionis *iuris pontificii*, Superior maior, cum consensu sui Consilii, vel, re nimis urgente, Superior localis cum assensu sui Consilii et Ordinarii loci, reum vel ream dimittit, habitu religioso ilico ablato, ita tamen ut per Ordinarium vel Superiorem maiorem, res S. Sedis iudicio sine mora subiciatur.

Si agitur de professo vel de professa *iuris dioecesani*, res ab Ordinario loci dirimi posse videtur.

§ 2. VARIAE DE HOC IURE QUAESTIONES EXPENDUNTUR

751. - Ex verbis c. 647, § 1, monialem votorum temporariorum dimittere potest « Ordinarius loci et, si monasterium sit regularibus obnoxium, Superior regularis ».

Hinc, si monasterium sit regularibus obnoxium, potestas dimittendi monialem a PRÜMMER, q. 258, *soli* Superiori regulari addicitur ; dum BIEDERLACK-FÜHRICH, n. 172, et BLAT, p. 633, volunt ut Superior regularis simul cum Ordinario loci agat, ita ut neuter possit solus monialem dimittere, et, si dissentiant, monialis dimitti nequeat. Priori sententiae favet latinitas. Si enim Superior regularis et Ordinarius loci concurrere debeant, scribi debuit : dimittere *possunt*, numero plurali, dum habemus semper *potest*, numero singulari. Exspectaveris quoque ut bis nominetur Ordinarius, qui semel solus et semel cum alio ponitur agens. Sat efficaciter tamen altera sententia appellat decretum *Cum singulae*, S. C. *Religiosorum*, 16 maii 1911, in cuius n. 21 (*Per.* VI., 46) causae ad expellendam monialem (votorum tamen perpetuorum) probandae dicuntur *etiam* a Superiore regulari, si monasterium sit regularibus subiectum ; fortiorem quoque rationem affert usus satis constans ponendi regimen huiusmodi monialium sub simultanea actione Ordinarii et Superioris regularis. FANFANI n. 501, allegat c. 525, de confessariorum designatione ; 535, de administrationis ratione (verum hic separatim agunt Ordinarius loci et Superior regularis) ; 549, de collocatione dotis. Magis valet quod in ipsa dimissionis causa, cum agitur de moniali quae professionem perpetuam fecit, votum tum Ordinarii loci tum Superioris regularis ad S. Sedem transmitti debet. Immerito autem PRÜMMER ascribit BIEDERLACK et BLAT sententiam quam solus tenet AUGUSTINE, secundum quam possint ambo separatim monialem expellere. Etsi structura grammaticalis hanc interpretationem fert, eam tamen improbabilem habemus. Cum FANFANI, in sententiam BIEDERLACK et BLAT propendemus, optando tamen ut authentica declaratio omne dubium tollat.

752. - Causae graves, necessariae ut religiosus votis temporariis astrictus legitime dimittatur, quaenam sunt ?

Ipso c. 647, § 2, excluditur infirma valetudo, nisi certo constet eam ante professionem fuisse dolose reticitam aut dissimulatam ; admittitur autem ut *sufficiens*, defectus spiritus religiosi qui aliis scandalo sit, « si repetita monitio una cum salutari paenitentia incassum cesserit ».

Spiritus autem religiosus in eo deficit qui nullum affectum ad vitam religiosam eiusque officia demonstrat, sed potius aliquo taedio talis vitae captus videtur ; qui non ex accidentali fragilitate, sed potius ex habituali acedia, regulas violat, praescripta neglegit, Superioribus aegre obedit, Fratribus molestus est, et quasi supernaturali inclinatione spoliatus apparet. Dispositio ista tam aliena a studiis personae Deo consecratae, iam per se scandalosa est, cum in aliis existimationem et amorem vitae religiosae minuere soleat, difficilioremque ipsis reddat observantiam regularem. Praeterea saepe accedit directa provocatio ad transgressionem officiorum.

In afferendo exemplo, Codex simul indirecte inculcat necessitatem correptionis paternae et remediorum poenalium.

Sicut supra iam monuimus, quemadmodum infirmitas ipso iure e causis sufficientibus excluditur, sic, ex quadam aequitatis ratione, excludenda quoque est, ut causa iusta coactae dimissionis, minor aptitudo ingenii quae ante professionem bene nota erat.

Ceterum, quaenam causa sufficiat, S. C. *super statu regularium*, 15 dec. 1893, magis explicare noluit, « cum agatur de re ab Apostolica Sede commissa indicio et conscientiae Superiorum ».

Haec possit esse formula generalis : Salva aequitate, dimitti potest is de quo Praelatus prudenter pronuntiat : ad bonum religionis refert talem non servari ; — vel : non est exspectandum ut laudabiliter ad religionis institutum vitam exigere quondam possit.

Etenim, contra ac *dispensatio*, quae propter utilitatem dispensati plerumque conceditur, dimissio potius regitur consideratione boni communis.

Quocirca, 19 nov. 1886, S. C. *Ep. et Reg.* negavit pro dimissione per se sufficere declarationem ipsius religiosi, etiam pertinaciter repetitam, qua declaret se non habere vel amisisse animum vocationemque ad vitam religiosam (Cf. *de Religiosis*, etc. II, n. 130).

Nec sufficit causa quae satis esset ad negandam novicio professionem, cum post professionem res iam non sit integra. Suffragium negativum maioris partis Consilii praeiudicium quidem creat, sed, sine alia rei cognitione, id causam sufficientem non praebet.

Causae autem, ex ipso c. 647, § 2, 2°, possunt se habere sive ex parte religionis, sive ex parte religiosi. Ex parte *religionis* se habent causae conexae cum ipsis adiunctis in quibus religio versatur, ut si alendis religiosis impar fiat ; vel cum qualitatibus quas, pro speciali sua ratione, exigere debet, ut si *experientia* demonstraverit, subiectum carere prudentia vel talento requisitis. Ex parte *religiosi*, erit vel infamia quam etiam sine propria culpa, v. g. propter parentes patitur, vel defectus bonae voluntatis. PRÜMMER, q. 258, has allegat : « Si professus malo suo exemplo identidem scandalum dederit et vix ulla spes emendationis adest ; si laborat habitu vitioso radicato, si parvi pendit regulam, eam saepissime transgrediendo ; si iam una alterave vice grave scandalum dedit in domo, vel, quod gravius est, extra domum religiosam, et adest suspicio quod tale scandalum iterum accidat ».

753. - Ad dimittendum professum votorum perpetuorum :

1. Istud *communiter* requiritur, ut graves causae exteriores, professo

imputabiles, praecesserint, una cum incorrigibilitate, *post habitum experimentum*. Praeterea religiosus vel religiosa copiam habere debet suas rationes libere exponendi ; et rationes istae in actis fideliter referendae sunt (cc. **649**. **650**, § 3 ; **651**).

Sed ad dimittendas *religiosas*, non est opus ut sint proprie *delicta* : et nulla peculiaris forma experimenti exigitur. Culpae igitur non debent esse theologice graves. Eae sufficiunt quas supra, n. 752, dedimus pro professis votorum temporariorum, dummodo spes resipiscentiae, iudicio antistitis, evanuerit.

Contra, *viri* professi votorum perpetuorum, ut expelli possint, debent :

a) Commisisse *delicta*. Delictum autem dicit moraliter imputabilem violationem legis cui sanctio canonica saltem indeterminata adiuncta sit (c. 2195, § 1). Et quia quaecumque a gravi imputabilitate excusant, pariter excusant a qualibet poena canonica, delictum non erit transgressio regulae non obligantis sub peccato gravi, nisi accesserit praeceptum sub gravi obligans (Cf. c. 2195, § 2).

Sed sive de iure communi, sive de speciali iure religiosorum, sive de particulari iure talis religionis agatur, delictum in omni casu habetur quo lex canonica sanctione munita violata sit. Sic etiam Blat, ed. 2, n. 741.

b) « Delicta debent esse saltem *tria* eiusdem speciei ; vel si diversa, talia ut simul sumpta manifestent perversam voluntatem in malo pervicacem ; aut unum tantum permanens, quod ex repetitis monitionibus, virtualiter triplex fiat » (c. **657**).

c) *Duae monitiones* faciendae sunt. « Ad monitionem faciendam, necesse est ut delictum sit notorium, aut de eodem constet ex rei confessione extra-iudiciali, vel ex sufficientibus probationibus quas praevia inquisitio suppeditaverit » (c. **658**).

Monitio fieri debet ab immediato Superiore maiore, per se vel per alium de eius mandato ; quod mandatum ne det nisi praevia informatione facti. Datum vero mandatum pro prima monitione valet etiam pro altera (c. **659**).

Singulae pro singulis duobus primis delictis monitiones faciendae sunt ; in delictis autem continuatis seu permanentibus, tres saltem dies (24 horarum a media nocte ad mediam noctem, ex c. 32, § 1) inter primam et alteram monitionem intercedere debent (c. **660**).

Monitionibus opportunae exhortationes et remedia poenalia addenda sunt. Ac tenetur Superior occasiones relabendi removere, etiam per translationem ad aliam domum (c. **661**, § 1. 2).

Singulis monitionibus *dimissionis comminatio* addenda est (c. 661, § 3).

d) Religiosus debet se demonstrasse incorrigibilem, quatenus, post secundam monitionem, novum delictum commiserit vel in eodem per-

[753]

manenter perstiterit ; et post ultimam monitionem sex saltem dies frustra exspectatum sit (c. 662). Qui dies iterum spatia sunt 24 horarum, a media nocte ad mediam noctem supputandarum.

754. - Extra tamen religionem clericalem exemptam, processus proprie iudicialis non requiritur. Sed, postquam in deliberatione supremi moderatoris cum suo Consilio maior pars pro dimissione steterit, dimissio, pro varia condicione religionis, sicut dictum est in brevi summa, vel ab Ordinario loci vel a supremo religionis moderatore *decernitur*. Decretum tamen quod a supremo moderatore fertur suos effectus sortiri non potest, antequam ab Apostolica Sede confirmatum fuerit (c. 650, § 2, 2°). Ideo, quamvis nihil huiusmodi expresse canonibus exigatur, necesse erit ut Superior ad S. Sedem transmittat documenta quae prudenti confirmationi requiruntur.

Religioso reo ius conceditur suas rationes libere exponendi eiusque responsiones fideliter in actis referendae sunt.

Rationes suas per se vel per alium exponere quidem potest ; strictum tamen ius non habet constituendi sibi defensorem.

755. - Cum agitur de monialibus vel de sororibus iuris pontificii, acta et documenta *omnia* ad S. Congregationem deferenda sunt (c. 652, § 2. 3).

Acta ista referre debent culpas exteriores quae religiosae obiciuntur, ac probationes culparum ; tentata experimenta ; iudicium antistitae de incorrigibilitate ; facultatem quae religiosae data sit suas rationes libere exponendi, eiusque responsiones ad ea quae sibi obiciebantur. Non est ergo satis, conclusionem Superiorissae vel eius Consilii narrare ; sed necesse est ut communicentur quae conclusioni faveant vel adversentur, et omnia quae demonstrent praescripta Codicis fuisse servata.

756. - Quandonam occurrit casus exceptus c. 653, gravis scandali exterioris vel gravissimi nocumenti communitati imminentis ?

Duplex casus canone distinguitur : scandali et nocumenti imminentis.

Per se sufficit grave scandalum exterius. Istud habetur, quotiescumque commissa sit culpa infamans infamia facti, quae *extra religionem* passim nota sit, vel cognita a paucis quidem, sed talibus qui rem non celaturi sint.

Verum cavendum est ne divulgatio et consequens infamatio imputari possint Superioribus qui religiosum dimittere cupiant. Nefas enim fuerit per iniustitiam reparandam legitimae dimissioni viam sternere.

Nocumentum debet *imminere,* seu, cum morali certitudine proxime instare. Voce *imminentis* excluditur periculum sive remotum sive incertum. Imminebit plerumque nocumentum, si iudicialis accusatio delicti adhuc occulti et de se infamantis mox futura prospiciatur. Delictum

istud generis moralis aut politici esse potest. Ac notes in [illegible] civili, actus quosdam minus pudicos gravius corripi et puniri quam peccata consummata luxuriae, quae saepe impunita manent.

Ratio quoque peculiaris instituti hic haberi potest. Sic, etiamsi ex qualitate personarum quae laesae vel offensae sint, actio iudicialis non sit timenda, fieri facile potest ut religio quae instituendae iuventuti operam dat, nequeat sine proximo infamiae periculo sontem in sinu suo servare, si res pluribus innotuerit.

Verum etiam in casu extraordinario scandali vel imminentis periculi, dimissio nequit pronuntiari sine consensu Consilii. Locus igitur est suffragationi, ita tamen ut pluralitas suffragiorum ex ipso suffragio Superioris resultare queat.

Denique casus talis scandali vel imminentis nocumenti, ex ipsa rubrica generali sub qua c. 653 est positus, pertinet etiam ad *religiosas*, moniales vel sorores. Itaque poterit tunc Superiorissa maior, cum consensu sui Consilii vel, si res nimis urgeat, ipsa Superiorissa localis, cum consensu sui Consilii et Ordinarii loci religiosam statim, habitu religioso deposito, ad saeculum remittere ; sed res erit vel per Superiorissam maiorem vel per Ordinarium S. Sedis iudicio submittenda. Si agatur de monialibus, attento c. 647 de dimissione monialis votorum temporariorum, dimissio spectabit ad Ordinarium loci et, si moniales sunt regularibus subiectae, ad Superiorem regularem.

757. - **De processu iudiciali, in religione clericali exempta necessario, ut professus votorum perpetuorum dimitti possit (c. 654).**

1. Competens ad ferendam sententiam est supremus religionis vel monasticae Congregationis moderator, cum suo Consilio seu Capitulo quod saltem quattuor religiosis constet. Si non sint quattuor, praeses, de consensu aliorum consiliariorum, deficientes suppleat. Consensus iste sine suffragatione dari potest. In serio dissensu, suffragia dari debebunt. Itaque exigitur tribunal collegiale quinque iudicum (c. 655).

Contra atque scribebat R. P. Blat, p. 642 in priore editione sua (errorem n. 740 ed. 2 correxit) supremus moderator apud *Benedictinos « atratos »* non est Abbas Primas, sed est unusquisque Praeses seu Generalis singularum Congregationum benedictinarum.

Canon iste moderatori supponit proprios consiliarios, quos, ex c. 516, § 1, habere iubetur. Nequit ergo, ut bene monet Augustine in h. c., esse Capitulum vel Consilium proprium abbatiae cui Praeses Congregationis simul tamquam Abbas praeficitur. Consiliarii isti in generali Capitulo eligendi sunt. Non tamen opus esse videtur ut apud ipsum commorentur, dummodo commode accedere possint.

Si monasterium quodpiam ad nullam Congregationem pertineat, peculiaris a S. Sede provisio exspectanda est. Sic enim statuitur in decr. 16 maii 1911, unde praesentes canones desumpti sunt, et ad quod propterea, in dubiis, vi c. 6, 2°. 3°, recurrendum est.

2. Praeses, de aliorum consensu, ut modo dicebamus requisito, nominare debet in propria sua religione, virum integrum et peritum in iure, qui sit *promotor iustitiae*, nisi iam, vel ab ipso praeside vel ex constitutionibus Ordinis, quispiam generale mandatum ad istud munus habeat (Cf. c. 1588, § 2). Promotor iustitiae is est cui accusatio criminalis reservatur (c. 1934).

3. Ad processum deveniri nequit nisi praecesserint :

a) Gravia *delicta* externa sive contra ius commune sive contra speciale religiosorum ius (c. 656).

Biederlack-Führich, n. 176, patere existimat « omnia peccata contra ius divinum simul esse contra ius commune ». Verum res ita non se habent, cum non omne peccatum sit in foro humano delictum, sed illud tantum cui sanctio canonica est additum (c. 2195).

Delicta ista, ut iam diximus, debent esse formaliter vel virtualiter tria numero (c. 657) ; ac necesse est, ut, ante monitionem, delictum sit notorium aut de eodem constet ex rei confessione extraiudiciali, vel ex aliis probationibus sufficientibus quas *praevia inquisitio* suppeditaverit (c. 658).

Inquisitio ista fit a Superiore maiore per se vel per alium specialiter delegatum. Est secreta ; ius inquisitori tribuitur aliquos arcessendi et adigendi ad iuramentum de veritate dicenda et de secreto servando.

Inquisitor promotoris iustitiae consilium quaerere et cum eo acta communicare potest. Expleta inquisitione, inquisitor omnia, addito suffragio suo, refert ad Ordinarium, si fuit ipse delegatus. (Plura cf. dicenda in l. IV cap. 2, cc. 1939-1946).

b) Monitiones duae faciendae sunt a Superiore maiore immediato, per se vel per alium de eius mandato (c. 659). Quae monitiones qualitates supra, n. 753, relatas habere debent (cc. 660. 661).

Quid, si religiosus *fugitivus* monitione vel citatione attingi nequeat ?

De hac re interrogata, Pontificia *Commissio de Codice interpretando*, privatim respondit satis provisum esse per canones qui contra fugitivos et apostatas poenas statuunt. Inde colligimus fugitivos, qui citatione non attinguntur, regulari expulsioni nullum dare locum. Ceterum Codex vult ut fugitivi requirantur, non ut expellantur. Ubi expulsio necessaria videatur, S. Sedes pro dispensatione a formis consuetis adeunda erit.

Debentne fieri monitiones *in casu c. 635* (gravis scandali, etc.) ? Fieri non debent. Monitiones enim requiruntur antequam processus institui possit ; dum hic ipso c. 663 processus post eiectionem instruendus dicitur. Itaque soli cc. 663-666 applicandi sunt.

c) *Defectus emendationis*, qui eo modo quem supra n. 753 diximus, haberi censetur (c. 662).

Paenitentia intra sex dies ab ultima monitione causa esse potest cur promotor iustitiae accusatione facienda abstineat.

4. Immediatus Superior maior omnia acta et documenta diligenter collecta ad supremum moderatorem transmittat (c. 663). Is eadem tradere debet promotori iustitiae, qui ulteriores inquisitiones peragere potest. Si promotor iustitiae accusationem proponendam iudicaverit,

processus instituendus et instruendus est secundum praescripta in prima parte libri IV (c. 664). (Cf. tom. 3 istius Epitome.)

Hic ergo reus semper habere debet *defensorem* aut a se electum aut a praeside ei datum (c. 1655, § 1). Etiam constituendus est *actuarius*, qui omnia diligenter referat et accurate relata esse testetur.

Si praeter Superiorem Generalem, nullus alius sit immediatus Superior maior, ipse Generalis omnia per se vel per delegatum praestare debebit.

Praescripta in prima parte libri IV volunt ut processus fiat praesente reo (nisi sit contumax). Quare ipse citandus erit. Si distantia itineri obstare videatur, utendum erit c. 667, qui permittit ut processus committatur selectis religiosis regionum dissitarum; vel etiam poterit eius interrogatio facienda delegari in loco ubi reus degit. Ipsa enim canonum dispositio, qua acta ad curiam Generalis, quae Romae esse solet, transmittenda dicuntur, delegationem istam tacite permittit.

5. Tribunal, omnibus perpensis, si iudicaverit satis probata esse tria quae ex processu constare debent : delicta patrata, praemissam duplicem monitionem et defectum emendationis, sententiam dimissionis pronuntiet (c. 665). Ad maiorem suffragiorum partem sententia ferri debet (c. 1577, § 1).

6. Nequit sententia exsecutioni mandari nisi fuerit a S. Congregatione confirmata (c. 666).

Excipe extraordinarium tamen casum de quo n. 756 (c. 653, coll. cum 668).

7. Ex c. 666, *omnia* acta processus a tribunalis praeside ad S. Congregationem quam primum transmittenda sunt.

Oportet enim ut ipsa S. Congregatio cum de servata forma, tum de causae merito iudicare possit.

Attento isto fine, transmittenda sunt : *a*) documenta quibus constat de praeviis ad processus instructionem requisitis canone 656 ; de legitima tribunalis constitutione ; de legitimo mandato dato instructionis faciendae ; de legitima nominatione promotoris iustitiae, defensoris, actuarii ; — *b*) omnia ipsius processus acta ; ac proin non solae allegationes accusatoris et defensoris, sed etiam testimonia, interrogatoria, probationes et instructio tota, ac sententia. Atque haec omnia in forma, seu subscripta ab actuario, ita ut fidem faciant.

Si quid completae transmissioni obstare videatur, addita ratione, dispensatio peti potest. Atque integrum quoque est S. Congregationi, ubi res satis aliunde constent, actis incompletis contentam esse et sententiam confirmare.

N. B. In isto processu iuvabit non parum ea secernere quae ad valorem et quae ad solam liceitatem requiruntur.

Ad valorem requiruntur : *a*) tribunal competens, rite constitutum ; — *b*) ut ante processum praecesserint tria delicta sine quibus, ex c. 656, ad processum deveniri nequit ; — *c*) quae, ex prima parte l. IV, in inquisitione, in instructione processus, et in prolatione sententiae, censentur esse essentialia. Cf. tom. III.

Ad valorem non requiruntur exhortationes et cautiones praescriptae c. 661 ; sed eorum omissio causa esse potest cur S. C. sententiam non

confirmet. Comminatio tamen dimissionis est canonicae monitioni essentialis, cum, sine ea, reus vim monitionis cognoscere nequeat (Cf. BIEDERLACK-FÜHRICH, n. 176, d).

Curandum quoque est, ut, sicut in decr. 16 maii 1911 inculcabatur, varia quae facienda sunt ita fiant ut iuridice facta probari queant ; v. g. ut monitiones fiant coram duobus testibus vel per inscriptam tabulis epistolam.

758. - In dissitis regionibus, c. 667 permittit ut dimittendi facultas demandetur a supremo moderatore cum consensu sui Consilii seu Capituli, probis ac prudentibus religiosis, qui saltem tres esse debent, « firmo praescripto c. 663-666 ».

Dissitae regiones sunt in primis transoceaneae ; sed etiam aliae dissitae prudenter aestimari possunt ; ac res iudicio Consilii supremi moderatoris permittitur.

Dimittendi facultas estne facultas instruendi totum processum, an tantum perficiendi, peracta quadam investigatione, sententiam veluti condicionate latam a tribunali supremi moderatoris? Rem non ita constare putant BIEDERLACK-FÜHRICH ; sed ipsi et alii, ut PRÜMMER, Q. 262, communiter admittunt totum processum per mandatum generale vel speciale his religiosis committi posse. Sed, ut nobis videtur, etiam partialis delegatio pro quibusdam actibus indicialibus a tribunali supremi moderatoris vel a Consilio eiusdem Superioris committi possit.

Observandi a delegatis dicuntur cc. 663-666, quatenus acta tradi debent promotori iustitiae, cuius partes eaedem sint quae apud tribunal supremi moderatoris ; — quatenus eaedem constare debent ; — quatenus sententia in forma pronuntianda est ; et acta ad S. Congregationem mittenda sunt. Quod plerumque fiet per ipsum procuratorem generalem Ordinis vel religionis.

759. - Quaeres a quonam momento religiosus vere sit dimissus? In casibus ordinariis, vere per sententiam tribunalis vel per decretum Superioris religiosus dimittitur; excepta religiosa votorum perpetuorum in religione iuris pontificii : huius enim causa a S. Congregatione dirimitur.

Confirmatio S. Congregationis mere vim exsecutionis addit, seu implet condicionem cui exsecutio subordinata est, sicut in foro quoque civili sollemnitates quaedam requiruntur ut sententia, quae vere ius dixit, effectus suos obtineat. Id tamen interest, quod in foro civili sollemnitates istae negari non possunt, dum auctoritas S. Sedis, quae valet ad tollenda iura quaesita religionum, confirmationem negare potest, ita ut sententia dici possit obnoxia condicioni resolutoriae.

Diversus autem videtur esse casus extraordinarius cc. 653 et 668. Hic, si verba attendamus, Superior « ad saeculum remittit » ; et res S. Sedis iudicio subicienda dicitur, vel processus iudicialis dicitur instituendus. Decretum igitur Superioris potius hic comparandum est cum ordinatione provisoria quam, in casu urgente, praeses tribunalis facere potest, reservata quaestione iuris. Quare, in isto casu, iuridica

dimissio non videtur haberi ante iudicium S. Sedis vel tribunalis supremi moderatoris religionis clericalis exemptae.

760. - Iure ante Codicem, indultum saecularizationis interdum dabatur loco decreti expulsionis. Cf. nostrum *De religiosis*, etc. I, 329. 330. Nihil prohibere videtur quin, in casu speciali, Superiores hac via mitiore utantur, et supplicem libellum, a subdito in hunc finem S. Congregationi porrectum, sua commendatione confirment. De vero tamen rerum statu oportet ut S. Congregatio edocta sit.

761. - **De Societate Iesu.** VERMEERSCH-FÜHRICH, *De religiosis*, n. 175 nota, referunt declarationem Pontificiae Commissionis *de Codice interpretando*, 29 iun. 1918, secundum quam dimissio religiosorum a votis simplicibus in Societate Iesu, sicut antea, iure Societatis regitur, ita tamen ut *a*) servetur praescriptum c. 647, § 2, quod ad causas dimissionis ; *b*) ut dimittendo plena detur respondendi licentia (c. 650, § 3) eiusque responsa fideliter referantur ad Praepositum Generalem ; *c*) ut pateat recursus, etiam intra decem dies, in suspensivo, ad Apostolicam Sedem. In dimissione autem professorum votorum sollemnium, Societas Iesu iure communi regitur.

Caput II. - De iuridica condicione religiosi dimissi

762. - 1. Qui, elapso spatio votorum temporalium dimittuntur, seu, ut accuratius dicamus, a novis votis excluduntur (c. 635), perfecte liberi sunt atque immunes manent a prohibitionibus **c. 642**, ita ut unus effectus iuridicus assignari possit, quem patiuntur quoque ii qui voluntarie post vota religioni valedicunt, i. e. impedimentum ingressus in religionem contrahunt. Qui in sacris sunt, ut patet, ad suum antistitem redire debent (**c. 641**).

2. Dimissi ante vota perpetua : sive ipso iure, sive decreto Superioris, atque ii etiam qui ante Codicem in Ordinibus religiosis vota perpetua emittebant quibus sollemnia praeparabantur, omnibus votis soluti sunt.

Qui vero durantibus votis temporariis, dimissi sunt, si tamen per sex annos iis ligati fuerint, incurrunt in prohibitiones c. 642, ita ut saecularizatis assimulentur. Si clerici fuerint in minoribus, eo ipso ad statum laicalem redacti sunt.

3. Ii qui ab Ordine regulari dimissi sunt dum habebant vota perpetua quibus sollemnia praeparabantur, in eadem condicione iuridica versantur quam ante Codicem habuissent. Itaque votis religiosis sunt soluti ; prohibitiones c. 642 effugere videntur ; namque hae erant propriae eorum qui post sollemnem professionem obtinebant indultum saecularizationis, vel qui a votis perpetuis Congregationis religiosae dispensabantur decreto S. Sedis (Cf. decr. *Cum minoris*, 15 iun. 1909. *Per.* V, p. 41). Ceterum, iure communi Regularium, soli professi votorum sollemnium sacris ordinibus augeri poterant.

N. B. Ex resp. Commissionis *I. C.*, 24 nov. 1920, prohibitionibus c. 642 etiam ii attinguntur qui iam ante Codicem in saeculo versabantur (AAS, XII, 1920, 575 vel *Per.* X, 25). Quare fieri quoque potest ut S. Sedes easdem quoque ad eos traducat qui per sex annos ligati erant votis perpetuis, quae sollemnia praeparant ac proin temporariis aequiperantur.

763. - Dimissus post vota perpetua, votis astrictus manet nisi constitutiones (1) vel indulta S. Sedis aliud ferant. Si clericus fuerit in minoribus constitutus, ipso facto ad statum laicalem est redactus (c. 669). Si autem in sacris fuerit et delictum commiserit propter quod ipso iure est dimissus (c. 646), vel quod infamia iuris aut depositione prohibetur, ipsum in perpetuum esse suspensum, per se patet (c. 670).

Si vero ob minora delicta dimissus fuerit, canones honori Ecclesiae et expulsi emendationi sollicite prospiciunt. Suspensus quidem manet, donec a S. Sede absolutionem obtinuerit (c. 671).

S. Congregatio, si id expedire iudicaverit, dimisso praecipit ut, habitu cleri saecularis indutus, commoretur in certa dioecesi, indicatis Ordinario causis ob quas dimissus fuit. — Cui praecepto si non paruerit, religio ad nihil tenetur et dimissus eo ipso privatus est iure deferendi habitum ecclesiasticum. — Ordinarius dioecesis pro eius commemoratione indicatae, religiosum in domum paenitentiae mittat, vel (quod saepe magis utile) eum committat curae et vigilantiae pii ac prudentis sacerdotis : si dimissus non paruerit, redeunt sanctiones modo dictae. Secus religio, quae eum sibi perpetuo mancipavit, per manus Ordinarii loci commorationis, caritativum subsidium dimisso suppeditet pro necessariis ad vitae sustentationem, nisi ipse aliunde sibi providere queat. — Si dimissus vitae rationem ecclesiastico viro dignam non ducit, transacto anno aut etiam prius, iudicio Ordinarii, privetur caritativo subsidio, eiciatur e domo paenitentiae vel sacerdotis cui commissus erat, eique auferatur ius deferendi habitum ecclesiasticum ab ipso Ordinario, qui statim opportune de re referet ad S. Sedem et ad religionem. — Si vero ita dimissus se gerat ut vere emendatus haberi merito possit, Ordinarius eius preces apud S. Sedem commendabit pro absolutione a censura suspensionis, qua obtenta, eidem prudenter permittat missae celebrationem et etiam aliud sacrum ministerium unde honeste vivere queat ; quo in casu, religio subsidium caritativum intermittere potest (c. 671).

Quod si agatur de *diacono* vel de *subdiacono*, res ad S. Sedem deferatur.

Observes c. 670. 671 et 672 § 2 in solos clericos in sacris cadere.

Laico saepe utilius per dispensationem a votis providebitur.

764. - Quilibet dimissus cuius vota non sunt soluta, ad claustra redire debet.

Si per triennium argumenta plenae emendationis dederit, religio eum recipere debet. Si tamen graves obstent rationes, sive ex parte religionis, sive ex parte religiosi, res iudicio Sedis apostolicae subiciatur (c. 672, § 1).

Etiam ex iure anteriore eiectus qui, plene emendatus, suam in integrum restitutionem petierat, a proprio Ordine recipiendus erat. Si tamen in causa expulsionis intercesserat S. Sedes, huius requirebatur facultas, ut paenitens

(1) Sic in *Societate Iesu*, vota omnia, praeter vota sollemniter professorum, ipsa dimissione solvuntur.

religiosus iterum admitti posset. Quod adhuc valere putamus de iis qui ante Codicem, interveniente S. Sede, sunt expulsi.

Receptus professus non debet per se iterum novitiatu probari et iterum profiteri, quamvis non a die professionis, sed reditus, locum inter professos obtineat. Cf *De religiosis*, etc. I, 333.

Quoties vero vota religiosa cessaverint, si dimissus episcopum benevolum receptorem invenerit, sub eius iurisdictione et speciali vigilantia maneat, servato praescripto c. 642 de prohibitis muneribus magis speciosis (c. 672, § 2).

Si episcopum non repererit, res ad S. Sedem deferatur.

Haec religioso satis emendato saepe concedit indulta limitata celebrandi et exercendi ministeria sacra.

Religioso dimisso integrum est petere quoque indultum saecularizationis.

765. - Quaeres, utrum necne prohibitiones c. 642 cadant etiam in religiosum qui, ante quam esset in sacris, dimissus vel egressus sit, et dein, receptus in dioecesim, tamquam saecularis ordines sacros susceperit. Cui quaestioni **negative** respondendum esse censemus. C. 642 supponit religiosos in sacris : versamur in dispositionibus odiosis ; et ipsa ratio canonum in Religiosos antea egressos non convenit : iis enim deerat spes proxima muneris speciosi quae esset occasio valedicendi religioni. Sic etiam SCHAFER, *De religiosis*, n. 556 ; FANFANI, 488 ; PRÜMMER, q. 254.

APPENDIX

SANCTIONES POENALES OBLIGATIONUM STATUS RELIGIOSI

---

766. - I. In libri V titulo XVII, *De delictis contra obligationes proprias status clericalis vel religiosi*, cc. 2385-2387 et 2389 ad religiosos proprie pertinent, et hoc loco, una cum aliis sanctionibus poenalibus quibus bono ipsi communi religiosorum providetur, non tam explicandi quam breviter proponendi videntur.

1. C. 2385. Religiosus apostata a religione ipso iure incurrit in excommunicationem proprio Superiori maiori, vel si religio sit laicalis aut non exempta, Ordinario loci in quo commoratur reservatam ; — ab actibus legitimis ecclesiasticis est exclusus ; — privilegiis omnibus suae religionis privatus ; — et si redierit, perpetuo caret voce activa et passiva, ac praeterea aliis poenis pro gravitate culpae a Superioribus puniri debet ad normam constitutionum.

Quisnam sit *apostata* a religione, diximus n. 746. Supra quoque notionem dedimus actuum legitimorum : sunt actus iuridici qui simul personam honoratam, fiducia dignam demonstrant : sic munus patrini.

Absolutioni ab excommunicatione nullus locus esse potest quam diu duret contumacia ; i. e. plerumque, quam diu apostata in domum religiosam redire nolit.

Exclusio ab actibus legitimis, privatio privilegiorum, v. g. exemptionis, eundem tenet, quam diu non est cum sua religione reconciliatus.

Privatio autem vocis activae et passivae etiam post reditum et paenitentiam ipsum afficit.

2. C. 2386. Fugitivus ipso facto incurrit in privationem officii, si quod in religione habebat ; et in suspensionem proprio Superiori maiori reservatam, si sit in sacris ; et, cum redierit, puniendus est secundum constitutiones, vel a Superiore maiori, pro gravitate culparum.

Superior maior cui reservatur suspensio, iurisdictione ecclesiastica pollere debet. Hoc est privilegium Superioris sacerdotis exempti. Quare, in religionibus laicalibus vel non exemptis, redibit, per analogiam, dispositio canonis anterioris, ita ut suspensio reservata dicatur Ordinario loci commorationis.

3. C. 2387. « Religiosus clericus cuius professio ob admissum ab ipso dolum nulla fuerit declarata, si sit in minoribus constitutus, e statu clericali abiciatur ; si in maioribus, ipso facto suspensus manet, donec Sedi Apostolicae aliter visum fuerit. »

De ista nullitate egimus n. 627. Declaratio debet esse authentica, sive per sententiam iudicialem, sive per decretum S. Congregationis.

Observes poenam clerico minoris gradus non esse latae sententiae, contra ac suspensio qua plectitur clericus in sacris.

Sive autem quis ingressus iam sit clericus, sive in religione ordinatus fuerit, poena eum pari ratione tenet.

4. C. 2389. Graviter puniendi dicuntur, post frustraneam monitionem, religiosi qui, in re notabili legem vitae communis constitutionibus praescriptae violant. Puniendi dicuntur privatione vocis activae et passivae, et, si Superiores sint, etiam privatione officii.

767. - II. C. 2388, communis, in § 1, clericis qui in sacris constituti sunt et regularibus vel monialibus post votum sollemne castitatis, excommunicatione S. Sedi simpliciter reservata plectit eos qui matrimonium etiam civiliter tantum contrahere praesumant, omnesque qui cum aliqua ex praedictis personis huiusmodi matrimonium contrahere praesumpserit.

Si sint professi votorum simplicium perpetuorum, tam in Ordinibus quam in Congregationibus religiosis, omnes, ut supra, excommunicatione l. s. Ordinario reservata plectuntur.

Quia praesumptio requiritur, ignorantia etiam crassa, non tamen affectata, ab ista excommunicatione excusat. Et qui non sunt votis perpetuis astricti, poenam istam effugiunt. Ordinarius erit Ordinarius vel loci vel religionis clericalis exemptae.

768. - III. Titulus XIX, *De abusu potestatis vel officii ecclesiastici* quinque postremos Codicis canones Superioribus religiosis reservat.

1. C. 2410. Superior religiosus qui, contra canones, subditos suos ad episcopum alienum ordinandos remittere praesumpserit, per mensem a missae celebratione, ipso facto suspenditur.

Generatim remitti possunt tantum ad episcopum loci domus religiosae cui sunt ascripti. Sed cf. *De sacramento Ordinis*, in t. 2.

2. C. 2411 poenas ferendae sententiae, non exclusa officii privatione, decernendas edicit contra Superiorem religiosum qui candidatum impeditum canone 542 ad noviciatum, vel novicium ad professionem contra praescriptum c. 571, § 2 admiserit.

Poenae istae vel a Superiore vel ab Ordinario loci cui subiecti sint, vel a S. Sede pronuntiabuntur.

3. C. 2412. Antistitae ab Ordinario loci puniendae dicuntur, *a*) quae dotes puellarum quoquo modo impendere praesumpserint et sic c. 549 violaverint ; — *b*) quae, contra praescriptum canonis 552, Ordinarium loci certiorem facere omiserint de proxima alicuius personae admissione ad noviciatum vel ad professionem.

4. C. 2413. Privandi dicuntur ab officio Superioris vel Antistitae et inhabiles declarandi ad assequenda officia quae aliorum regimen secumferunt, Superiores vel Antistitae quae efficacem visitationem canonicam his rationibus impediunt : *a*) transferendo, post indictam visitationem, religiosos in aliam domum, sine Visitatoris consensu ; *b*) inducendo directe vel indirecte, per se vel per alios, religiosos ut interrogati a Visitatore taceant vel veritatem quoquo modo dissimulent aut non sincere exponant ; — *c*) iisdem, ob responsa data, molestiam inferendo.

In casu *b*) et *c*) puniuntur quoque religiosi non Superiores, qui reatus istius culpandi sint.

5. C. 2414 vult ut Antistita quae egerit contra canones 521, § 3, de confessariis supplementaribus vel extraordinario vocandis ; 522, de confessario occasionali non impediendo ; 523, de vocando sacerdote approbato ad mulierum confessiones quem religiosa graviter aegrota petierit et quotiens talem petierit : ut Antistita ista, inquam, a loci Ordinario moneatur ; si iterum deliquerit, ab eodem Ordinario, privatione officii puniatur, lico tamen certiore facta S. Congregatione de Religiosis.

Quod etiam de religione iuris dioecesani valere arbitramur, sicut de exempta.

TITULUS XVII

DE SOCIETATIBUS SIVE VIRORUM SIVE MULIERUM IN COMMUNI VIVENTIUM SINE VOTIS

(cc. 673-681)

Scriptores : AUGUSTINE, O. S. B., *A Commentary*, in hos canones. — BIEDERLACK-FÜHRICH, S. I., *De religiosis*, c. X, — BLAT, O. P., *Commentarium*, etc. II, nn. 759-767. CHELODI. *De Personis*, 295. 296. — CLAEYS BOÚÚAERT-SIMENON, *Instit. iur. can.* — FANFANI, O. P., *De iure religiosorum*, n. 521-531. — PRÜMMER, O. P., *Manuale*, q. 265. — SCHAFER, O. M. C., *Das Ordensrecht*, p. 374-378; *De religiosis*, n. 599-610.

Art. I. - Notio et varietas istarum societatum

769. - Notio et origo. Primum nunc communibus religiosorum legibus respiciuntur quoque Societates quae, quamvis votis religiosis careant, religiones tamen vita communi et studio vitae perfectioris imitantur.

Nota igitur negativa et positiva societates istae dignoscuntur. Nota *negativa* : carent votis, non semper omnis rationis, sed saltem votis publicis seu nomine Ecclesiae aliquo modo acceptatis (c. 673, § 1). Nota *positiva* : vitam habent communem, eamque ex obligatione, aliquo titulo servandam ; namque alumni constituti sunt sub Superioribus verae rationis (c. 673, § 1) ; et perfectionem christianam sectantur.

Omissis asceteriis quae, sine votis saltem expressis, in primordiis vitae religiosae exstiterunt, iam a s. XIV huiusmodi societates exstitisse memorat BIEDERLACK-FÜHRICH, et indicat celebrem societatem, primo virorum, dein etiam mulierum, quam in Hollandia condidit GERARDUS GROOT, et quae ibidem floruit usque ad novas res saec. XVI. A quo saeculo tamen non pauca instituta sine votis publicis fundata sunt.

770. - Divisio. 1. *Iuridice*, ex ipso Codice, c. 673, § 2, societates istae esse possunt clericales vel laicales, iuris vel pontificii vel dioecesani. Et quae iuris pontificii dicuntur etiam beneficio exemptionis frui possunt : sic *Pia Societas Missionum*, seu Pallotinorum, quae praeterea ampla donata est communicatione privilegiorum etiam cum regularibus stricte dictis.

2. Ex *interiore constitutione*, societas huiusmodi potest habere tria vota per se substantialia : sic *Presbyteri missionis*, quos condidit S. VINCENTIUS A PAULO, confirmavit vero URBANUS VIII, 1632, habent quattuor vota paupertatis, castitatis, oboedientiae, stabilitatis, et quidem reservata S. Sedi ; sed non acceptata nomine S. Sedis. — Alia habet unum votum : sic *Beguinae* Gandavenses temporario voto castitatis ligantur. — Alia nulla vota habet : sic *Congregatio Oratorii* quae auctorem habet S. PHILIPPUM NERI et a PAULO V, anno 1612, probata

est. — Pro votis autem in non una societate alia ratio vinculi est introducta, sive iuramenti, ut iuramentum oboedientiae quod faciant *Missionarii Africae*, Card. LAVIGERIE, sive promissionis stabilitatis seu vitae communis, cum paupertate, castitate et oboedientia, qua vinciuntur dicti « *Pallottini* ».

Art. II. - Erectio et suppressio instituti, vel eius partium

771. - « Circa erectionem et suppressionem societatis eiusque provinciarum vel domorum, eadem valent quae de Congregationibus religiosis constituta sunt » (**c. 674**).

Omnia igitur applicanda sunt quae diximus in tit. IX, n. 553-566.

Art. III. - Regimen societatis

772. - Haec duo, canone **675** statuuntur : servanda esse quae cc. 499-530 dicuntur « congrua congruis referendo »; ac dein considerandas esse determinationes particularium constitutionum.

Ius commune exposuimus n. 567-601.

Superiores tenentur emittere professionem fidei ad normam c. 1406, § 1, n. 9. Cf. resp. *Comm. I. C.* 25 iul. 1925, ad III (AAS., XVIII, 1926, 393) ; et tempus eorum muneris regitur c. 505.

773. - Quare valent quoque dicta c. 501 de potestate Superiorum et Capitulorum. Cf. n. 572-581. *a*) Omnibus igitur communis est potestas dominativa : re vera enim sodales, qua tales, ab Ecclesia saltem mediate probatos habent Superiores quibus subduntur vi iuramenti, vel promissionis, vel saltem tacitae pactionis. Personalis autem mancipatio Superiori legitimo huic tribuit potestatem dominativam (1). *b*) In Societate exempta clericali, habent Superiores iurisdictionem tam pro foro interno quam pro externo.

Poterunt igitur Superiores, vi potestatis dominativae, praescripta regularum vel constitutionum sub peccato urgere, sive appellando votum oboedientiae, ubi tale exsistat, sive alium titulum quo potestatem istam habent. Et cum obligatio sit suscepta ad colendam Deum, pertinebit ad virtutem religionis, ita tamen ut, ubi nulla sint vota, violatio praecepti malitiam sacrilegii non habeat. Id dicimus per se, nisi constitutiones praecepta ipsa excludant.

Poterunt quoque Superiores irrita reddere vota subditorum. Atque hi videntur etiam habere domicilium necessarium sicut religiosi. Ratio enim istius domicilii rationem subiectionis sequi videtur. Cf. GOYENECHE, C. M. F., *Commentarium pro religiosis*, I, p. 178.

Ex c. 514, Superiores in societatibus clericalibus poterunt sacramenta ministrare non solis sodalibus, sed etiam aequiperatis contubernalibus.

(1) Quando tamen nulla est obligatio perseverantiae, ita ut qualibet hora integrum sit sodalibus societati valedicere, subiectio non est nisi condicionata, seu « quam diu perseveravero » : satis similis est subiectionis noviciorum. Id tamen interest, quod novicii nulla promissione formali mancipantur. Sunt Congregationes in quibus vota emittuntur sub condicione « donec in Congregatione vivam ». Cf. resp. *Comm. I. C.*, 1 mart. 1921, quo declaratur in iisdem vota temporaria perpetuis praemitti non debere (AAS, XIII, 1921, 177. *Per.* X, 325).

Ac societates istae, si sint iuris pontificii et virorum, debebunt quoque procuratorem generalem apud S. Sedem habere.

774. - Specialis quoque iurisdictio postulatur ad audiendas confessiones sororum quae ad ista instituta pertinent; et repetenda sunt quaecumque diximus de confessariis et cappellanis, nn. 588-600.

775. - De bonis temporalibus acquirendis et administrandis. C. 676, § 1, pronuntiat modo universali, tum ipsam societatem, tum eius provincias, tum eius domos, capaces esse acquirendi et possidendi bona temporalia.

De gestione bonorum traducit idem canon, § 2, ad istas societates canones 531-537 de religiosis, seu cap. 3 tit. X. Hos exposuimus, nn. 601-612.

De singulis sodalibus, § 3 id unum edicit, societati acquiri quidquid eiusdem intuitu sodalibus obvenit; cetera autem bona a sodalibus retineri, acquiri et administrari, secundum constitutiones.

Constitutiones autem istae regimen magis paupertati religiosorum simile inducere non prohibentur, ut, v. g. fructus industriae cedant omnes societati; ut de reditibus debeant ante suam cooptationem in societatem disponere, vel etiam eosdem cedere. Verum nihil huiusmodi imponitur iure communi.

Art. IV. - De singulis sodalibus

776. - De admissione in Societatem. Canon **677** vult ut in admittendis candidatis, constitutiones serventur, nisi quod ad istas societates quoque transfert impedimenta c. 542, quae proin alia erunt irritantia, alia mere prohibentia ingressum in societatem. Cf. nostros nn. 624-641.

Cum Codex de re sileat, canones de litteris testimonialibus ad Instituta sine votis traduci non debent.

777. - **De studiis et suscipiendis ordinibus.** Canone **678**, qui proprius est societatis clericalis, sodales istarum societatum aequiperantur saecularibus, salvis peculiaribus praescriptionibus S. Sedis, si quae datae sint.

Astringuntur igitur, non collationibus in propriis domibus ex c. 591, sed collationibus imperatis c. 131, pro clero saeculari; non debebunt per quinque annos post absoluta studia peragere examina a Superioribus suis ordinata, secundum c. 590, sed per triennium subire examina cleri saecularis, secundum c. 130, § 1. Integrum tamen erit Ordinario loci, haec ordinanda permittere propriis Superioribus.

Potissimae leges ordinationis saecularium huc redeunt, ut ordinentur ab episcopo proprio aut per litteras dimissoriales ab ipso profectas; — ut episcopus proprius sit episcopus dioecesis in qua ordinandus habeat domicilium una cum origine vel domicilium cum animo iurato ibidem perpetuo permanendi; — ut nomina promovendorum ad singulos sacros ordines in paroeciali cuiusque candidati

ecclesia publice denuntientur ; — ut varia testimonia afferantur ; — denique ut promovendi ad ordines maiores habeant titulum canonicum : qui titulus est beneficii, eoque deficiente, patrimonii aut pensionis ; suppleri tamen potest titulo servitii dioecesis (Cf. c. 955. 956. 976. 979. 981. 993).

Inde perspicitur peculiares S. Sedis praescriptiones frequenter esse necessarias. Potissimum usu venit indultum tituli specialis, atque etiam indultum concedendi litteras dimissoriales. Ac privilegio exemptionis haec omnia contineri possunt.

Quid ergo dicemus de sodali in sacris qui societatem, non quidem dimissus, sed sponte sua deserat, vel cum debita facultate, vel utens iure sui instituti ? Amisitne dioecesim an non ? R. P. Goyeneche nobis refert, pluries, dum Codex praeparabatur, petitum fuisse ut c. 585, de dioecesis amissione, istis societatibus applicaretur ; hoc tamen constanter repudiatum fuisse (*Commentarium pro religiosis*, I, 178). Ac revera nullus canon praesentis tituli ad ipsos transfert canonem 585.

Stando igitur principiis, applicatio c. 585 neganda est. Utcumque res incommodo carebit. Si enim ordinantur iure saecularium, eorum promotio ipsum episcopum habebit auctorem. In litteris autem quibus S. Sedes concedit privilegium dimittendi, poterit cavere ut ordinatus qui societatem relinquat benevolum receptorem quaerere debeat. Si autem indultum sine tali cautione concessum sit, nascetur sane istud incommodum, episcopum obligari ad recipiendum clericum in sacris a cuius promotione omnino alienus fuit. Haec sunt quae fortasse suadent authenticam declarationem extensivam, quae ad huiusmodi ordinatum in sacris c. 585 traducendum esse dicat. Atque, in casu particulari, S. Congregatio *de Religiosis*, declaravit c. 585 valere de sodali qui ad societatem sine votis, sed exemptam pertinuerat.

778. - Obligationes. Ex. c. **679**, sodales societatis, praeter obligationes proprias suae societatis, tenentur communibus clericorum obligationibus, nisi ex natura rei vel contextu sermonis aliud constet : de his redeunt dicta nn. 692 et 298-305.

Dein, praetermissis consulto cc. 593 et 594 de votis et paupertate, reliquae obligationes cap. I Tit. XIII ipsis imponuntur, « nisi constitutiones aliud ferant ».

Verum in § 2, c. 679, dicta temperat, quod ad clausuram, quae mere dicitur servanda secundum constitutiones, sub Ordinarii loci vigilantia.

Si tamen agatur de societate exempta, vigilantia ista non permittet episcopo nisi recursum ad S. Sedem, si constet de abusu, extra omnem visitationem.

779. - Privilegia. Ex. c. **680**, societates istae habent : 1. privilegia clericorum, cc. **119-123**. De his cf. n. 715.

2. Privilegia *directe* iis concessa. Verba ista videntur intellegenda ad normam c. 613, i. e. exclusa in posterum omni communicatione, ne voluntas legislatoris videatur magis ad istas societates quam ad religiones proprie dictas esse propensa. Cf. supra n. 713.

3. Iisdem negantur privilegia religiosorum salvo peculiari indulto, quale amplissimum habent *Pallottini*.

780. - De transitu, egressu et dimissione. Codex, canone 681.

confirmat pro istis sodalibus ius religiosorum, omisso, de transitu, c. 636, qui vota sollemnia supponit; omissis quoque canonibus qui respiciunt egressum professorum post elapsum votorum tempus, indultis exclaustrationis et saecularizationis, et c. 644 de delicto apostasiae et fugae.

Qui ergo societatem relinquunt non incurrunt in istam capitis diminutionem quae attingit religiosos ad saeculum regressos vi c. 642, nisi tamen dispensati fuerint a iuramento perseverantiae vel a quibusdam peculiaribus promissionibus, « si per sex annos eisdem ligati fuerint » (c. 642, § 2).

Deficientibus votis perpetuis, iuridice non habentur *apostatae* : quae ratio est cur canone 644 non attingantur ; sed qui illicite egressi fuerint, obligatione naturali tenentur redeundi sine mora, et sunt a Superioribus requirendi. Quare c. 645 ipsis applicatur.

Omnia autem quae ad dimissionem pertinent pro natura obligationis suae et qualitate instituti, ipsos sodales huiusmodi societatum afficiunt. Cf. n. 653.

Transitus non habetur proprie nisi quando, non soluta priore obligatione, religiosus vel sodalis societatis sine votis, suas obligationes in alias diversae religionis vel societatis convertere vult. Ad huiusmodi transitum, semper requiritur interventus S. Sedis.

Verum, si aliter obligationes priores exstinctae sint, integrum erit sodali noviciatum vel alius societatis vel religionis ingredi, cum c. 542 eos solos excludat qui vinculo professionis religiosae astricti fuerint.

Canon autem 681 ita intellegendus est ; ut si vinculum quo astringuntur sodales societatis sine votis sit temporale, servandi sint canones qui agunt de dimissione religiosorum qui vota temporaria emiserunt ; si sit perpetuum, servandi sint canones de dimissione religiosorum qui vota perpetua fecerunt (Resp. *Comm. I. C.*, 1 mart. 1921. AAS, XIII, 1921, 177. — *NRTh.*, 1921, 269. *Per.* X, 325).

Art. V. - De sanctionibus poenalibus

781. - In AAS, 1 aug. 1918, prodierunt responsa Commissionis pont. interpretando Codici, 2-3 iun. 1918 quae, silentium Codicis supplentes, plures canones poenales ob analogiam, interpretatione extensiva, ad societates sine votis transtulerunt. Itaque, societatibus quae vitam communem ducunt eamque, ut putamus, obligantem sub gravi, applicantur poenae fugitivorum, c. 2386 ; eorum quorum professio propter dolum declarata fuit nulla, c. 2387 ; eorum qui in re notabili violant legem vitae communis constitutionibus praescriptam, c. 2399.

Observes, apostasiam late dictam, quae committitur ab illo qui illicite, sine animo redeundi, societatem deserit, nulla poena puniri hactenus.

Applicatur c. 2410 Superiori qui privilegio dimissorias concedendi fruens, subditos suos ad alienum episcopum ordinandos mittere praesumpserit.

Applicatur c. 2411 Superiori qui candidatum non idoneum seu impedimento c. 542 irretitum admiserit ; non applicatur nisi salvis constitutionibus, in partibus quibus punit Superiorem qui recipiat sine litteris testimonialibus, vel admittat non idoneum ad professionem, contra praescriptum c. 571, § 2. Applicabitur ergo, si constitutiones id ferant, i. e. si praescribant litteras testimoniales, et quandam latius acceptam professionem.

Applicatur c. 2413 Superioribus et subditis qui, ea quam supra exposuimus ratione, visitationem canonicam frustraneam facere conantur.

PARS TERTIA - DE LAICIS

INTRODUCTIO DE LAICORUM STATU

(cc. 682. 683)

782. - Divisio laicorum a clericis, quam, ex c. 107 iuri divino ascribendam novimus, postulat ut liber de Personis in sua tertia parte de laicis agat ; de laicis, inquam, baptizatis ; namque, ex c. 87, baptismate homo constituitur in Ecclesia Christi persona.

Iuridicus porro laicorum status constituitur iure obtinendi a clero spiritualia bona, ea maxime quae ad salutem necessaria sunt : quod in **c. 682**, laicis re vera addicitur.

Sic Codex sobrie sed accurate statum laicorum definit ; dum in variis tractatibus moralibus sub rubrica *De statu laicorum* mere ponuntur quaestiones de officiis quae quibusdam personis, saepe, sed non necessario laicis, obtingunt, minime autem ad formalem eorum rationem pertinent : ut de officio iudicis, testis, advocati.

Spiritualia bona sunt : suffragia communia missarum et orationum publicarum, sacramenta, indulgentiae, benedictiones, dispensationes, sepultura ecclesiastica.

783. - Sequenti autem canone **683**, iisdem delatio habitus *clericalis* negatur, nisi alumni sint seminariorum, vel ad ordines aspirent, vel, servitio ecclesiae legitime addicti, intra eandem ecclesiam sint, vel extra eam, in aliquo ministerio ecclesiastico partem habeant.

Vestem igitur clericalem iam induere non poterunt laici isti, vulgo dicti *Romitae* (Eremitae), qui privata auctoritate curam suscipiebant cuiuspiam sacelli et ex perceptis eleemosynis alebantur.

Novicii autem religionum non nominantur, tum quia lato sensu clerici dicuntur, tum quia ad ordines aspirant, tum quia vestem clericalem tamquam habitum religiosum accipiunt. Cf. c. 540, § 2, qui vestem religiosam noviciis datam supponit.

His dictis, argumentum proprium laicorum iam absolvitur. Namque

fidelium associationes, de quibus Codex in duobus sequentibus titulis agit, non sunt propriae laicorum. De his tamen hoc loco commode sermo fit, cum nullus locus in hierarchia requiratur ut iis nomen detur, atque pro laicis ex parte suppleant quod ex clericali condicione vel vita religiosa clerici vel religiosi percipiant utilitatis spiritualis. — Prior porro titulus de associationibus istis est de iis in genere, alter de iisdem in specie.

TITULUS XVIII

DE FIDELIUM ASSOCIATIONIBUS IN GENERE

(cc. 684-699)

Scriptores : Augustine, O. S. B., in canones huius tituli. — Beringer-Steinen, S.I. *Die Ablässe*, t. 2, *Kirchliche Vereinigungen von Gläubigen im allgemeinen*. — Blat, 631, O. P., *Commentarium*, II, n. 771-787. — Chelodi, *De Personis* 298-300. — Claeys Bouúaert-Simenon, *Manuale*, 706-715. — De Meester, *Iuris can. Compendium*, II, 1073-1081. — Prümmer O. P., *Manuale*, q. 266-269 — Schäfer, O. M. C., *Das Ordensrecht*, 379-382 ; *De religiosis*, pp. 625-644.

Art. I. - Notio, divisio, constitutio associationum fidelium

784. - Ecclesiae propensio socialis. Sociali hominum naturae Ecclesia minime contradicit, ac studium commune sectandi evangelicam perfectionem, quod religionibus originem dedit, principalis quidem sed non unica fuit, in Ecclesia catholica, causa consociationum spiritualium vel supernaturalium.

Quocirca c. 684 fideles laude dignos declarat qui associationibus ab Ecclesia erectis vel saltem commendatis nomina dent.

Simul vult ut caveant 1) ab associationibus *secretis* : haec enim generali reprobatione ab Ecclesia notantur, saltem quando a sodalibus iusiurandum secreti erga omnes (etiam Superiores ecclesiasticos) exigunt, et omnimodam oboedientiam occultis ducibus (Decr. *S. Officii*, 10 maii 1884) ; sectis autem massonicis seu quae contra Ecclesiam vel legitimas potestates machinantur nomen dare, sub poena excommunicationis l. s. simpliciter S. Sedi reservatae vetatur (c. 2335) ; — 2) a societatibus *damnatis* positivo decreto ; — 3) a societatibus *seditiosis*, seu quae, per media illicita rebellionum, finem fortasse non improbandum persequuntur ; — 4) a *suspectis*, quae periculum creant cuiuspiam perversionis vel indifferentismi, ut esse possunt societates philanthro-

picae acatholicorum (1) ; — 5) ab iis quae studeant sese *a legitima Ecclesiae vigilantia* subducere (c. 684) : inde enim iam merito in suspicionem veniunt.

Inter societates quae commendantur et quae improbantur, medium est tertium genus societatum quae in Ecclesia *licite*, etiam ob fines spirituales seu pios conflantur, de quibus tamen Ecclesia nullam sententiam universalem profert.

785. - *Divisio.* Omissis historicis rationibus, associationes quas Ecclesia constituit ex *fine* distinguuntur in associationes constitutas ad perfectiorem sociorum vitam (*tertios Ordines*) ; ad exercenda pietatis aut caritatis opera (*sodalicia et pias uniones*) ; ad incrementum publici cultus (*confraternitates* : finem hunc cum superiore prosequi solent) (cc. 685. 707, § 2).

Ex *relatione ad auctoritatem ecclesiasticam*, aliae sunt in Ecclesia recognitae, aliae potius ignoratae seu non protectae, etsi non reprobatae.

Ex *statu iuridico*, aliae sunt a legitima auctoritate erectae, aliae mere approbatae, aliae positiva recognitione carent (c. 686, § 1).

Sine autem formali erectionis decreto, non sunt personae iuridicae in ecclesia (c. 687).

786. - Constitutio. 1. Associationes erigit : *Romanus Pontifex* ; — *Loci Ordinarius*, non autem Vicarius capitularis, nec, sine speciali mandato, Vicarius generalis ; — ii demum qui ex apostolico indulto *privilegium* habent.

Privilegium istud interdum tamquam *exclusivum* conceditur ; et tunc loci Ordinarius consociationem istam erigere nequit. Nisi tamen aliud in ipso privilegio cautum sit, eius consensus, scripto datus, est ad validam erectionem necessarius. Eodem autem consensu quo erectio domus religiosae permittitur, permittitur etiam, in illo domo vel annexa ecclesia, erectio consociationis quae : *a*) constituta non sit ad modum corporis organici, i. e. cui *essentialis* non sit (quamvis, ut *Congregatio B. M. V.*, ita plerumque constituatur) magistratus quispiam constans electis praeside et assistentibus aut consiliariis , et *b*) illius religionis sit propria, sicut associatio *VII gaudiorum B. M. V.* propria est Fratrum Minorum, associatio *VII dolorum B. M. V.* propria est Servorum B. M. V. ; sicut associatio *Nominis Iesu* et *Militiae angelicae*, propria est Ordinis FF. Praedicatorum ; sicut *Congregationes B. M. V.* et *Bonae Mortis* propriae sunt Societatis Iesu (c. 686, § 3).

Hac itaque latitudine consensus ad erigendam domum intellegitur ; sed nihil obstare videtur quin Ordinarius loci, ob iustam causam, erectiones istas excludat consensu quo erectionem domus permittit.

Nec sublatum est privilegium quo episcopi missionum qui S. C. *de Propaganda Fide* subiecti sunt, omnes associationes a S. Sede probatas, sola excepta con-

(1) Cf. epist. *S. Officii*, ad locorum Ordinarios, 5 nov. 1920, circa nova quaedam molimina acatholicorum contra fidem (AAS, XII, 1920, 595. *Per.* X, 183.)

fraternitate SS. Rosarii, erigere cum respectivis indulgentiis permittuntur (1) (Leo XIII, Audientia, 15 dec. 1888.)

Erectio ex *apostolico privilegio* facta gratuita esse debet « sola excepta taxa pro expensis necessariis » (c. 686, § 5).

Expensae istae, ex formula typica quae legitur in Appendice ad decreta authentica S. C. *Indulg.* p. 467, superare nequeunt sex scutata monetae Romanae in Italia et triginta francos extra Italiam. Nihil autem praeterea, ne praetextu quidem eleemosynae sponte oblatae recipi permittitur.

2. Iidem qui valent ad associationem erigendam, eandem quoque approbare possunt. Quamvis autem formaliter approbatae sint, societates istae, mere approbatae et non canonice erectae, mutuo sociorum consensu ineuntur et dissolvuntur (Wernz, t. 3, n. 704).

3. Multo magis permanente sociorum consensu nituntur quae sine ulla interventione auctoritatis ecclesiasticae, etiam legitime exsistunt.

Sic iam olim distinguebant loca *pia* sine auctoritate episcopi instituta a locis *religiosis*, auctoritate episcopali erectis. Cf. c. 4, *De dom.* III, 36, et comment. Pirhing et Reiffenstuel.

Art. II - Regimen associationum fidelium

§ 1. quae communia sunt

787. - 1. Titulus seu nomen associationis nihil absonum vel non probatae devotionis exprimere potest (c. 688).

2. Praecipitur ut (saltem quae ab ecclesia agnita est) statuta habeat a Sede Apostolica vel ab Ordinario loci examinata et approbata (c. 689).

Variis praescriptis canonum 686, ss. confirmatur, paucis mutatis, C. *Quaecumque* lata a Clemente VIII, 7 dec. 1604, cuius observatio in substantialibus punctis ad ipsum erectionis vel aggregationis valorem a Pio IX per decr. S. C. *Indulg. et Reliqu.* 8 ian. 1861, praecepta est. Sed dum Constitutio ista mere postulabat ut statuta confraternitatum, si quae haberentur, ab Ordinario probarentur, hic absolute exigitur ut exsistant statuta ab Ordinario vel a S. Sede approbata. Quid igitur iuris de consociatione quae, ex privilegio, ab observanda C. *Quaecumque* exempta erat? Privilegium istud non tollitur. Quare obligatio habendi statuta quod ad ipsam non valde urgenda videtur. Ceterum sufficere videntur statuta communia omnium associationum cuiuspiam generis, qualia condidit Praepositus Generalis *Societatis Iesu* pro *Congregationibus B. M. V.* Namque c. 597, § 1, dum associationi ius tribuit edendi *peculiares* normas, obligationem tales habendi praetermittit.

3. Salvo speciali privilegio, omnes associationes, etiam ab Apostolica Sede erectae, iurisdictioni, vigilantiae et visitationi Ordinarii loci subsunt.

---

(1) In recenti formula facultatum quae Legatis Apostolicis, Nuntiis, Internuntiis conceduntur, confraternitas SS. Rosarii non iam excipitur. Cf. Fac. n. 27, *Per.* XII, 97.

Quae tamen, vi privilegii apostolici, a religiosis exemptis in suis ecclesiis institutae sunt, ab Ordinariis locorum visitari non possunt quod attinet ad ea quae internam disciplinam seu spiritualem directionem spectant (c. 690).

4. « Nulli associationi eleemosynas colligere licet, nisi id aut statuta permittant, aut necessitas postulet, et loci Ordinarii consensus accedat, ac servetur forma ab eodem praescripta » (c. 691, § 3). Ad eleemosynas extra territorium colligendas, uniuscuiusque Ordinarii venia scripto data requiritur (c. 691, § 4). *Extra territorium*, intellege Ordinarii.

« Oblationum quoque ac eleemosynarum fidelis erogationis rationem associatio reddat Ordinario loci » (c. 691, § 5).

5. Associationis moderator et cappellanus, si distinctus habetur, salvo expresso privilegio apostolico, ab Ordinario loci nominantur. Id tamen non valet de associatione quae a religiosis, in *propriis ecclesiis*, vi Apostolici privilegii erigatur. Si tamen Superior moderatorem et cappellanum e clero saeculari elegerit, consensus Ordinarii loci necessarius erit (c. 698).

Observes, exceptionem istam non coartari ad religionem exemptam vel ecclesiam domui religiosae annexam, sed sufficere ut ecclesia sit religiosorum propria.

6. Ob graves causas, salvo recursu ad Apostolicam Sedem, Ordinarius supprimere potest omnem associationem quam ipse vel decessores erexerint, vel in cuius erectionem consenserint (c. 699, § 1).

Supprimere ergo nequit associationes quae sine tali consensu erigi potuerunt v. g. in ecclesia domui religiosae exemptae annexa ; multo minus autem associationes ab Apostolica Sede erectas (c. 699, § 2).

Associationes mere approbatas, Ordinarius, ob iustas causas prohibere potest, nisi S. Sedes easdem approbaverit.

7. Socios cuiuslibet associationis cum interventu Ecclesiae erectae. Ordinarius loci dimittere potest (c. 696, § 3).

788. - Moderator et cappellanus possunt, durante munere, benedicere associationis habitum seu insignia, scapularia, etc. eaque ascribendis imponere. De contionibus, ius commune servandum est cc. 1337-1342, qui postea perpendentur.

Moderatorem et cappellanum revocare possunt, ex iusta causa, iidem qui illos nominaverunt.

Idem autem potest esse moderator et cappellanus (c. 698, § 2-4).

§ 2. QUAE PROPRIA SUNT CONSOCIATIONIS ERECTAE

789. - *Formali erectionis decreto*, non ante nec aliter, *associationes iuridicam in Ecclesia personam acquirunt* (c. 687, coll. cum c. 100).

Quare fiunt subiectum ad quod pertinent bona temporalia (c. 691, coll. cum c. 1495. 1497). — Poterit ergo erecta associatio, ad normam statutorum et sacrorum canonum, comitia celebrare, peculiares normas ipsam respicientes edere, eligere administratores, officiales et ministros, bona temporalia possidere et administrare, oblationes recipere et receptas erogare ad pios associationis usus, salva semper offerentium voluntate (cc. 691-697).

Administratio temporalis auctoritati Ordinarii (non autem parochi, salvo diverso statuto Ordinarii) cui ratio reddenda est, subicitur (c. 691).

Eleemosynae vero colligi non possunt, nisi id aut statuta permittant, aut necessitas postulet, ac praeterea, in utroque casu, consensus Ordinarii accedat (c. 691, § 3).

Non tamen collectio eleemosynarum dicenda est privata petitio a non nullis coniunctis vel notis personis.

790. - Quid dicendum de associationibus non positive approbatis?

Hae reguntur regulis honestatis, et pactionibus libere initis. Observare debebunt c. 1503, qui vetat ne privati viri, tam clerici quam laici, sine Sedis Apostolicae aut proprii Ordinarii et Ordinarii loci licentia, in scriptis data, stipem cogant pro quolibet pio aut ecclesiastico instituto vel fine. — Ex c. 1515, revereri debent ius Ordinarii vigilandi ut piae voluntates impleantur, eique, si sint exsecutores delegati, perfuncti munere rationem reddere. Et si clerici vel religiosi bona fiduciarie acceperint, Ordinarium de sua fiducia certiorem reddere debent, eique omnia bona seu mobilia seu immobilia cum oneribus adiunctis indicare (c. 1516).

Bona autem quae possidentur non sunt ecclesiastica, cum talia tantum sint bona personae moralis in Ecclesia (c. 1497, § 1). Quare non sunt obnoxia regulis de alienatione bonorum ecclesiasticorum. De subiecto bonorum cf. n. 809.

Cf. in causa *Corrienten.* Reip. Argent. de conferentiis S. Vincentii a Paulo, praeclarum votum consultoris et responsum *S. C. C.* 13 nov. 1920, quod Ordinariis locorum mere tribuit ius et officium vigilandi et corrigendi ac reprimendi abusus, si qui irrepserint (AAS, XIII, 1921, 135; *NRTh.*, 1921, 317; *Per.* X, 233.)

Art. III. - De singulis sodalibus

791. - Sodalium cooptatio. 1. Valide recipi nequeunt *acatholici*, *damnatae* sectae *ascripti*, *censura* notorie *irretiti*, et, in genere, *publici peccatores* (c. 693).

Qui post inscriptionem tales evaserint, praemissa monitione, servatis propriis statutis et salvo recursu ad Ordinarium, expungendi sunt (c. 696, § 2).

2 Ascribi vetantur *absentes* associationibus ad modum corporis

organici constituti ; et *praesentes*, saltem adulti, *inviti* aut *nescii* valide recipi nequeunt (c. 693, § 3).

Severe PRÜMMER, q. 269, existimat invitos aut nescios ita non posse valide recipi, ut excludantur *infantes* et multo magis *defuncti*. Sed fas est canonem istum ex iure superiore intellegere, quo soli *adulti* non poterant valide recipi nisi conscii et volentes. Dum sanctificationi puerorum bene congruit ut possint sine eorum voluntate beneficiis spiritualibus frui. Sane sunt confraternitates ubi, ex pio usu, infantes recipiuntur : ita confraternitas B. M. V. de Monte Carmelo (1). Decreta Urbis et Orbis 25 aug. 1897 et 11 aug. 1899, ad 6, prorsus excluserunt *defunctos*. Nihilominus, pluribus confraternitatibus concessum est ut defunctos inscribere possent (cf. *NRTh.*, 1921, 79).

3. Ascribi possunt iam ascripti aliis associationibus, et per se etiam religiosi, exceptis tertiis Ordinibus saecularibus (c. 693).

Observes, positivum Superioris assensum iure communi non requiri.

792. - Ascriptionis ratio. Receptio fit ad normam iuris et statutorum. Inscriptio in albo associationis fieri praecipitur : ad valorem requiritur, si associatio in personam moralem erecta fuerit (c. 694).

Quotiescumque ergo formalis erectio, v. g. Congregationis B. M. V. facta est, inscriptio fit condicio valoris, ut quis vel *fiat* vel *maneat* socius. Si enim alio modo cooptatio facta est, *a die istius cooptationis*, etiam ante inscriptionem, fideles lucrantur indulgentias, ut declaravit S. C. *De Indulg.* decr. 12 dec. 1892, 15 nov. 1893 et *S. Off.* 23 april. 1914 (*Per.* VIII, 198). Quod adhuc valere arbitramur. Si tamen, ante inscriptionem, nomina amissa fuerint, non restat nisi recursus ad S. Sedem, ut sanari possit omissio. A condicione inscribendi plures dispensantur : quod ipso iure c. 239, § 5 conceditur Cardinalibus quod ad scapularia ab ipsis imposita.

Occasione receptionis nihil exigi potest, nisi quod statutis approbatis permittatur, aut ab Ordinario loci, ob specialia adiuncta, in favorem associationis sit concessum (c. 695).

793. - Cooptationis effectus. Legitime receptus et non expulsus, hoc solo titulo fruitur associationis iuribus, privilegiis, indulgentiis, aliisque gratiis spiritualibus (c. 692), etiamsi statuta non observet.

Si tamen opus quoddam lucrandae indulgentiae necessarium est, liquet hoc opus praestandum esse ad lucrandas indulgentias.

794. - Sociorum dimissio. Nemo dimittitur nisi ob iustam causam, ad normam statutorum. Praeter Ordinarium loci, qui socios cuiuslibet associationis dimittere potest, Superior religiosus quoque est competens ad dimittendos socios consociationis a sua religione ex apostolico indulto erectae (c. 696).

(1) Id expresse admissum est resp. 29 aug. 1864, S. C. Indulg. (*Decret. authent.* n. 410).

795. - Quaeres quid iuris, si, sine expresso privilegio, Ordo religiosus, a diuturno tempore moderatorem seu cappellanum nominaverit, v. g. sodalitatis Tertiariorum? Quod re vera contigit Fratribus Minoribus.

Ex. c. 1509, collato cum c. 693, § 1, *praescriptio* hic nullum locum obtinet. Non valet praesumptio privilegii, c. 63, ex possessione centenaria, cum constet nullum fuisse privilegium concessum. Verum *consuetudinem* plus quam centenariam appellare poterunt. Hanc tamen, ex c. 5, abrogare, in potestate est Ordinarii loci.

TITULUS XIX

DE FIDELIUM ASSOCIATIONIBUS IN SPECIE

(cc. 700-725)

Scriptores : Vermeersch, S. I., *De religiosis institutis et personis*, I, nn. 534-562. — Wernz, S. I., *Ius Decretalium*, III, nn. 704-718. — Augustine, O. S. B., *A Commentary*, in hos canones. — Beringer-Steinen, S. I., *Die Ablässe*, t. 2. — Blat, O. P., *Commentarium*, II, 788-819. — Chelodi, *De Personis*, 301-305. — Claeys Bouúaert-Simenon, 716-728. — De Meester, R. D. Dr., *Iuris can. compendium*, 1082-1093. — Fanfani, O. P., *De iure religiosorum*, nn. 531-554. — Prümmer, O. P., *Manuale*, p. 342 vel 360, et q. 270-274. — Schäfer, O. M. C., *Das Ordensrecht*, p. 382-386 ; *De religiosis*, pp. 644-656.

QUOT SINT GENERE ET QUO ORDINE PRAECEDANT

796. - Quoniam Codex sub communi genere associationum fidelium Tertios Ordines et Pias Uniones ponit, cum ipso Codice tres associationum species distinguemus : *Tertios Ordines saeculares, Confraternitates, Pias Uniones* (c. 700). Vel etiam quattuor species distingui possint, cum *sodalicia* a piis unionibus simpliciter dictis differant. Sed propter iuridicos effectus, Codex tres tantum indicat species quas modo nominavimus. Sunt autem :

1. *Tertii Ordines*, qui, secundum spiritum cuiuspiam Ordinis eiusque moderationem, saeculares fideles, per regulas ab Apostolica Sede pro ipsis approbatas, modo eorum vitae consentaneo, ad christianam perfectionem ducere nituntur (c. 702, § 1).

Saepe dividuntur in plures consociationes, quae dicuntur *sodalicia Tertiariorum* (c. 702, § 2).

2. *Piae Uniones*, quae ad exercitium alicuius operis pietatis aut caritatis exsistunt. Si Piae Uniones ad modum corporis organici constitutae sint, vocantur :

3. *Sodalicia*, quae rursus, si in incrementum quoque publici cultus erecta sunt, speciali nomine :

4. *Confraternitatis* appellantur (c. 707).

Atque haec est partitio associationum in Codice. Ante Codicem enim Tertii quidem Ordines ab aliis fidelium associationibus, ut nunc, distinguebantur. Commune autem aliarum associationum nomen erat *Confraternitatis*. Haec improprie dicta erat si, canonica erectione carens, sola permanente sociorum consensione exsistebat. Proprie dicta, canonice erecta, sedem propriam certo loco, ecclesia, altari constitutam possidebat. Hae confraternitates dein, *stricte tales*, erant collegia cum quadam interiore hierarchia ad modum corporis organici constituta.

Minus stricte tales potius dicebantur Congregationes, sodalitates. Ex his, aliae quodam tamen vinculo personali socios coniungunt, dum aliae, sine huiusmodi personarum unione, recipiunt quotquot, levi expleta condicione, iis nomen dare voluerint (Cf. *De Religiosis*, etc. I, 544).

Itaque nunc Piarum Unionum nomine veniunt quae generice appellabantur Confraternitates ; dum antea, Piae Uniones potius designabant societates mere approbatas. Quod in legendis scriptoribus Codici anterioribus, non est negligendum.

797. - Is porro ordo praecedentiae canone 701 statuitur :

1. Tertii Ordines. — 2. Archiconfraternitates. — 3. Confraternitates. — 4. Piae Uniones Primariae (quasi-archiconfraternitates). — 5. Aliae Piae Uniones.

Atque, ex c. 106, § 5. 6, si sint eiusdem speciei et gradus, attenditur ad quasi-possessionem, dein ad prioritatem in loco ; et Ordinarius controversias componit.

In processione tamen in qua SS. Sacramentum defertur, confraternitas SS. Sacramenti ipsis archiconfraternitatibus praecedit (c. 701, § 2).

Praecedentiae autem condicio est, ut sub propria cruce vel vexillo et cum habitu seu insignibus associationis, sodales incedant (c. 701, § 3).

Caput I. - De Tertiis Ordinibus saecularibus

798. - Notio. Tertiarii generice sunt quotquot, origine vel fine Instituti aut propria condicione praepediti quo minus perfecte regularem cuiusdam Ordinis sequantur disciplinam, subsecivam quampiam eius regulae rationem profitentur.

Specie autem, omissis hic personis quae, voto castitatis contentae, *beatorium* habitant vel privatas domos incolunt, sunt duplicis rationis : alii sunt vere religiosi vel saltem pertinent ad societates quae sine votis publicis religiones imitantur : et de his supra egimus ; alii sunt perfecte saeculares vel laici qui, pro sua condicione, religiosam disciplinam sectantur.

Hos Codex sic describit : « Tertiarii saeculares sunt qui in saeculo, sub moderatione alicuius Ordinis, secundum eiusdem spiritum, ad christianam perfectionem contendere nituntur, modo saeculari vitae consentaneo, secundum regulas ab Apostolica Sede pro ipsis approbatas » (c. 702, § 1).

Tertiarios istos, quod ad rem, anteriores esse saeculo XIII bene monet Prümmer,

Q. 270, cum saltem iam saec. XI exstiterint *Oblati S. Benedicti*. Ac tum societates *de Paenitentia*, quas S. FRANCISCUS Ordini suo aggregavit, tum eae quas S. DOMINICUS nomine *Fratrum et Sororum de militia Iesu Christi* adversus Albigenses ordinavit, ipsis Ordinibus Fratrum Minorum et Fratrum Praedicatorum videntur fuisse antiquiores.

Porro Tertius Ordo est Praemonstratensium, Fratrum Praedicatorum, Fratrum Minorum seu Franciscanorum, Carmelitarum, Eremitarum S. AUGUSTINI, Minimorum, Servorum B. M. Virginis, Trinitariorum, Mercedariorum. Ac Tertiariis assimulandi sunt Oblati saeculares S. Benedicti.

799. - Tertiarii omnes componunt *Tertium Ordinem*. Sodalitates autem Tertiariorum sunt associationes in quas socii distribui consueverunt, ita tamen ut Tertiarii etiam extra tales associationes manere possint (**c. 702**, § 2).

800. - Rationes iuridicae Tertiariorum his absolvuntur :

1. Apostolicum privilegium requiritur ut religio sibi tertium Ordinem adiungere possit.

Hoc obtento, licet Superioribus religiosis personas particulares ascribere Tertio Ordini ; sed ad erigendam Tertiariorum sodalitatem, consensus Ordinarii loci ea ratione necessarius est qua ad erigendum sodalicium requiritur. Cf. supra, n. 786, vel c. 686, § 3 (**c. 703**, §§ 1. 2).

Specialis licentia Ordinarii loci etiam requiritur pro vestibus quae in publicis sacris functionibus deferendae sint (c. 703, § 3).

2. Religiosi, post emissam professionem, nequeunt ad Tertium Ordinem pertinere ; atque anterior eorum ascriptio suspenditur, dum votis astricti manent (**c. 704**).

Societatibus sine votis dispositio ista non videtur applicanda. Praeterea S. C. *de Religiosis* interdum religiosos dispensat ut possint in Tertio Ordine cui magnum affectum gerebant, permanere.

3. Tertiariis licet, ob iustam causam, ab una ad aliam Tertii Ordinis sodalitatem, immo ab uno ad alium Tertium Ordinem *transire* ; idque, ut videtur, sine novo noviciatu vel professione (SCHAFER, *De religiosis*, p. 647, 648) ; non autem, secluso Apostolico indulto, ad plures simul Tertios Ordines pertinere (**c. 705**).

4. Publicis processionibus, funeribus et ecclesiasticis functionibus Tertiarii non debent, sed possunt collegialiter interesse, dummodo tunc, sub propria cruce, cum insignibus incedant (**c. 706**).

5. Excepto speciali indulto, quale Tertius Ordo S. Francisci impetravit, Tertii Ordines non communicant in indulgentiis primi et secundi Ordinis.

6. Per se, salvo indulto vel usu facultatis dispensandi, numisma nequit surrogari, in locum scapularis Tertii Ordinis (S. C. *de Relig.* 25 mart. 1922. AAS. XIV, 353 ; *Per.* XI, 81 ss.).

801. - **De Absolutione generali.** Absolutio generalis est *deprecatoria* poenarum peccati absolutio per modum non sacramenti, sed sacramentalis, seu benedictio cui S. Sedes coniungit etiam beneficium indulgentiae plenariae.

Statis diebus impertitur, *publice* quidem per se a Rectore Congregationis vel a confessario delegato, ita tamen ut nunc, post decr. 15 dec. 1910 (1), quacumque ex causa afuerit sacerdos cuius est eam impertiri, ea recipi possit a quolibet sacerdote ad sacramentales confessiones audiendas approbato ; *privatim* vero recipi potest a quolibet confessario, saltem post absolutionem sacramentalem datam in ipsis festis designatis, vel in horum pervigilio, immo, cum agitur de Tertiariis S. Francisci, intra octiduum festivitatum quibus benedictio est annexa (Cf. Breve 14 april. 1917. *Per.* VIII, 122).

Post sacramentalem absolutionem, *ad valorem* satis est haec pauca proferre : « Auctoritate a Summis Pontificibus mihi concessa, plenariam omnium peccatorum tuorum indulgentiam tibi impertior. In nomine Patris et Filii ✠ et Spiritus Sancti. Amen. »

Caput II. - De Confraternitatibus et Piis Unionibus

Art. I. - Regulae communes

802. - **Titulus seu nomen** desumendum est « vel a Dei attributis, vel a christianae religionis mysteriis, vel a festis Domini et B. V. M. vel a sanctis vel a pio opere ipsius sodalicii » (c. 710).

803. - **Erectionis leges.** — 1. Sine speciali iure aut concessione ne erigantur vel approbentur plures piae uniones vel confraternitates eiusdem tituli atque instituti in eodem loco ; exceptis magnis civitatibus, ubi hoc licet, dummodo, iudicio Ordinarii loci, convenienti distantia separentur (c. 711).

Observes legem istam ita exprimi ut non sit condicio valoris : ab ea autem exemptas manere confraternitates et pias uniones quae antea, sicut Congregationes Marianae, a servando decreto S. C. *Indulgentiarum*, 8 ian. 1861, inculcante Constitutionem Clementis VIII *Quaecumque*, 7 dec. 1604, exemptae erant.

Nec sunt *plures* confraternitates vel piae uniones, plura centra constituta ad inscribenda nomina et ad distribuenda sociis nuntia et varias schedas unius maioris consociationis. Quare si singula centra distinctam societatem efficere moraliter non censentur, prohibitio c. 711 minime applicanda est. Sic una tantum societas, per orbem diffusa, est opus *Propagationis Fidei*, *Sanctae Infantiae*, *Apostolatus Orationis*. Huius generis est etiam opus *Praeservationis Fidei*.

2. Erigendae sunt in ecclesia vel in oratorio saltem semi-publico (2) ; in ecclesia cathedrali vel collegiali non instituantur, saltem licite, sine assensu Capituli.

In ecclesiis vel oratoriis religiosarum, permitti potest erectio « associationis mulierum tantum aut piae unionis quae non nisi precationibus incumbat, et gratiarum duntaxat spiritualium communicatione gaudeat » (c. 712).

Quia plures Congregationes Marianae haec tantum exercent, non repugnat ut quae tales, etiam pro viris, in ecclesiis religiosarum exsistant.

3. Religiosi illas omnes et solas *gratias spirituales* communicare

(1) *Periodica*, V, 266. — (2) Excipe in locis Missionum, ubi ecclesiae et oratoria desint (S. C. *P. F.* 8 iun. 1845 ad 2. *Collect.* I, n. 296).

debent quae in facultatibus S. Sedis specifice et nominatim communicabiles declarantur ; eaeque in actu erectionis manifestandae sunt (c. **713**).

De novis indulgentiis praescriptum c. 919 servandum manet.

In canone isto sermo fit de indulgentiis quae Romae non sint promulgatae per insertionem in AAS. Hae, inconsulto Ordinario loci, pervulgari nequeunt. Statuit deinde approbationem ecclesiasticam necessariam esse ad edendos libros, libellos et folia indulgentiarum, sicut explicatur in c. 1388.

804. - Functiones concessae. — Si *propriam ecclesiam* habent, in ea etiam casu quo paroeciam contineat, associationes exercere possunt functiones non paroeciales, dummodo ministerio paroeciali in paroeciali ecclesia ne noceant : de qua re, in dubio, Ordinarius iudicabit et practicas normas decernet (c. **716**).

Si in *ecclesiis non suis* erectae sint, propriae functiones in sacello tantum vel altari in quo erectae sunt, eadem ratione et servatis peculiaribus statutis, peragere possunt (c. **717**).

In posteriore casu, vel quando ecclesia est simul paroecialis, patrimonium a bonis fabricae vel communitatis separatum habere debent (c. 717).

805. - **Translatio ad alteram sedem** licet de consensu Ordinarii loci, nisi iure aut statutis a Sede Apostolica probatis, translatio prohibeatur. Translationi requiritur etiam Superioris religiosi consensus, si confraternitas vel pia unio alicui religioni reservata sit (c. **719**).

Quae vero sine consensu Ordinarii loci erigi potuit sodalitas, sine eius consensu eadem auctoritate qua erectio facta est, in locum pariter exemptum transferri poterit.

Translatione autem in aliam dioecesim perit erectio canonica, quae proinde renovanda erit. Cf. Acta de confraternitatibus in Galliae partibus post 1801 (*Decr. authent.* S. C. *Indulg.* 343. 354. 381. 390. Rescr. dispensationis pro *Gandaven. Decr. authent.* n. 399).

Art. II. — Regulae propriae confraternitatum

806. - Confraternitates constitui non possunt nisi per formale erectionis decretum (c. **708**).

2. In ecclesiis vel oratoriis religiosarum erigi non possunt (c. **712**, § 3).

3. Mulieres ascribi non possunt nisi ad lucrandas indulgentias et gratias spirituales (c. **709**, § 2).

4. Vestes propriae seu insignia in publicis processionibus et sacris functionibus deferenda, sine speciali Ordinarii loci licentia assumi prohibentur ; nec dimitti vel mutari sine eadem licentia possunt (cc. **713** ; § 2, **714**).

5. Confratres nequeunt sacris functionibus operam praestare, nisi habitum seu insignia ista deferant (c. 709).

Processionibus consuetis et aliis quas Ordinarius indixerit, collegialiter et sub proprio vexillo interesse debent, nisi Ordinarius aliud praescripserit (**c. 718**).

6. Comitiis, i. e. consessibus deliberativis et electivis confraternitatum per se vel per delegatum praeesse, sine tamen iure suffragii; officiales et ministros electos confirmare, indignos vel non idoneos respuere aut removere, statuta aliasve normas, nisi a Sede Apostolica approbata fuerint, corrigere et approbare, pertinet ad loci Ordinarium. Quare de extraordinaria comitiorum celebratione ipse vel eius delegatus tempestive monendus est: secus ea impedire vel eorum decreta penitus infirmare potest (**c. 715**).

807. - Ordinarii curare debent ut in qualibet paroecia confraternitates SS. Sacramenti et *Doctrinae christianae* instituantur, quae ipso iure aggregatae sunt Urbis archiconfraternitatibus eiusdem rationis (**c. 711**, § 2).

Observes, in pluribus regionibus, ipsas confraternitates non constitui ad modum organici corporis. Sic in Belgio, in Germania, in Helvetia, exsistunt quae dicuntur confraternitates SS. Sacramenti et SS. Rosarii, sed sine vero corpore collegiali. Ex resp. *Pont. Commiss. I. C.*, 1 apr. 1927, I (AAS. XIX, 161; *Per.* XVI, 55 ss.: Ordinarii possunt, secundum adiuncta, mere piam unionem instituere, sed haec non ipso iure archiconfraternitati aggregatur.

Art. III. - Regulae propriae sodaliciorum et piarum unionum

808. - 1. Aequali iure utuntur *sodalicia* et *piae uniones*.

2. Formalis eorum erectio, sine qua tamen personae morales non sunt, non requiritur ut gratias obtineant, sed Ordinarii approbatio sufficit (**c. 708**).

Sed quamvis formalis erectio ad essentiam totius generis piarum unionum non pertineat, pro pluribus, quae olim dicebantur confraternitates late tales, canonica erectio ad primum esse vel ad aggregationem obtinendam erit necessaria.

809. - **Quaeres** ad quodnam subiectum pertineant **bona patrimonialia** sodalicii quod non est persona moralis? In foro *externo*, pertinebunt ad socios simul sumptos, cum obligatione morali bona applicandi fini cui, ex voluntate eorum qui ea dederunt, destinata sunt. In foro autem *interno*, dici potest, ad ipsum sodalicium, quatenus unum est propter finem unum qui a sociis communiter intenditur, bona ista pertinere, et sic, ex ipsa natura, exsistere quandam rationem personae moralis. Vel bona, etiam in hoc foro, sociis qua talibus addici possunt hoc modo: ipsa sua voluntate constituendi societatem, socii utilitatem istius societatis tamquam suam, pro parte adoptarunt, ita ut ad se ipsi referant bona quae tamen in bonum sociale dirigere debent. Atque hac ratione conceptus proprietatis satis verificatur. Sunt qui censeant haec bona non esse ecclesiastica, quia non pertinent ad personam moralem ecclesiasticam cf. n. 790; Schaefer, *De religiosis*, p. 650, 3.

Art. IV. - De archiconfraternitatibus et primariis unionibus

810. - *Archisodalicia, archiconfraternitates, societates, congregatio-*

nes, piae uniones primariae appellantur quae, ex apostolico indulto, iure pollent alias associationes aggregandi (cc. 720. 721).

Sicut autem ecclesiae sunt quae honorifico titulo dicuntur archiepiscopales, quamvis non sint metropolitanae, sic etiam honoris causa titulus archisodalicii quibusdam societatibus conceditur. Concessio S. Sedi reservatur (c. 725).

811. - Aggregationis leges. — 1. Salvo privilegio, hae solae uniones aggregari possunt quae sint eiusdem tituli et finis.

Condicio ista per se satis severe intellegitur. Sic Congregatio bonae mortis, quae proprie est Soc. Iesu, non potest sibi aggregare omnes societates quae ad bonam mortem procurandam conflatae sunt, sed solas eas quae titulum habeant « D. N. I. Christi in cruce morientis et B. M. V. perdolentis ».

Privilegium hac in re possidet Archiconfraternitas in subsidium animarum purgatorio detentarum, erecta Romae in ecclesia S. Mariae in Monterone.

2. Aggregatione autem nullum ius aggreganti in aggregatam societatem acquiritur, sed communicantur omnes gratiae spirituales et privilegia communicabilia quae a Sede Apostolica concessa fuerint vel in posterum concedantur, nisi aliud in indulto Apostolico caveatur (c. 722).

3. Ad valorem aggregationis requiritur : *a*) ut associatio iam fuerit canonice erecta, nec alii archiconfraternitati vel primariae unioni aggregata ; — *b*) consensus scriptus Ordinarii loci, una cum eius litteris testimonialibus ; — *c*) enumeratio gratiarum spiritualium quae communicantur, in elencho ab Ordinario loci archiconfraternitatis recognito et societati aggregatae tradendo ; — *d*) observatio formulae statutis praescriptae ; — *e*) perpetuitas aggregationis ; — *f*) exclusio omnis mercedis, etiam sponte oblatae, exceptis necessariis expensis, quae non ultra triginta francos aestimari possunt (c. 723).

Si pia unio primaria cum sola approbatione exsistat, videtur tunc condicio erectionis canonicae non requiri, sed satis esse ut aggreganda unio legitime approbetur. Cf. SCHÄFER, *De religiosis*, p. 656. Sunt qui severius opinantur.

Vel etiam sic dici posse videtur. Aggregatio proprie dicta alicuius societatis videtur de se supponere exsistentiam istius societatis ut personae moralis. Verum, quando haec personalitas deficit, nihil impedit per se collectivam aggregationem sodalium societatum minorum ; atque haec unioni primariae conceditur quae ipsa non est canonice erecta.

812. - Translatio archiconfraternitatis vel primariae unionis sola S. Sedis auctoritate fieri potest (c. 724).

APPENDIX I

813. - INDEX FACULTATUM QUAS, PRO LOCIS MISSIONIS SUAE, NUNTIIS, INTERNUNTIIS ET DELEGATIS APOSTOLICIS PENES CIVITATES SEU NATIONES, POST CODICIS IURIS CANONICI PUBLICATIONEM TRIBUERE SSMUS DOMINUS NOSTER DECREVIT, CETERIS ABROGATIS (1).

CAPUT I. *Facultates ordinis generalis.* — 1. Facultas visitandi, sive per se sive per ecclesiasticum virum probitate, prudentia ac doctrina praestantem personas, loca et res, de quibus in can. 344, 512, 1382 Codicis, in casibus tamen particularibus et non per modum generalis visitationis; dummodo visitatio ipsa necessaria et urgens videatur, Ordinarius impeditus sit vel negligens, et tempus non suppetat recurrendi ad S. Sedem.

2. Conficiendi, sive per se sive per alium virum ecclesiastica dignitate exornatum, acta omnia seu processus, ut vocant, pro iis qui ad Episcopalem seu Archiepiscopalem dignitatem ab hac S. Sede sunt designati iuxta normas pro singulis nationibus datas.

3. Conferendi personis idoneis ea beneficia, de quibus in can. 1435, § 1, n. 1 et 3, servatis regulis ab Ap. Dataria datis vel dandis.

4. Absolvendi, iniunctis de iure iniungendis, tum in foro conscientiae, tum etiam in foro externo, pro casuum diversitate, ab omnibus censuris a iure sive simpliciter, sive speciali modo Romano Pontifici reservatis.

5. Dispensandi pro iam ordinatis ad effectum tam Missam celebrandi, quam consequendi et retinendi beneficia ecclesiastica, super quibuscumque irregularitatibus tum ex delicto tum ex defectu provenientibus, dummodo exinde scandalum non oriatur, nec divinis pariatur impedimentum, iis semper exceptis quibus in can. 985, n. 4, et praevia abiuratione in manibus absolventis, quando agitur de crimine haeresis vel schismatis.

6. Indulgendi ex causa paupertatis, iis qui Missarum sive manualium sive fundatarum applicationem omiserint, ut quod ad praeteritum tempus obligationem suam paulatim adimplere valeant, ita nempe, ut faciant quantum possunt pro integra satisfactione oneris Missarum quo gravantur, celebrando vel per se vel per alium singulis mensibus aliquem Missarum numerum, iuxta eorum vires, de bono et aequo a concedente et, in casibus occultis, a confessario determinandum.

Moneantur autem praedictarum omissionum rei, si ita faciendo ante completam huiusmodi satisfactionem obierint, nec habeant quod pro eodem onere sive in toto sive in parte adimplendo relinquant, Missas quae post eorum obitum celebrandae supererunt, ipsis, dum pie in Christo decedunt, condonatas fore censeri, defectum quemcumque tunc supplente Sancta Sede de thesauro Ecclesiae.

Item concedendi, si in aliquo casu ob peculiaria omnino rerum adiuncta expediens in Domino videatur, ut ad certum numerum iuxta vires petentis, Missae, quod ad praeteritum pariter tempus, reducantur, dummodo non agatur de recidivis, supplente pariter Sanctitate Sua reliquarum Missarum defectum de Ecclesiae thesauro.

7. Admittendi in foro interno eos, qui beneficiis ecclesiasticis etiam cum cura animarum instructi, recitationem horarum canonicarum omiserint, ad discretam compositionem, eaque mediante fructus male perceptos condonandi, pecuniis exinde redactis in pia opera arbitrio Sedis Apostolicae erogatis.

Pauperibus autem, quorum inopia compositionem non admittit, praedictos

(1) Cf. A. VERMEERSCH, S. I. *Facultatum quae, post Codicem, Legatis Apostolicis concedi consueverunt breve commentarium. Per.* XII, (69), ss.

fructus condonandi, iniuncta pro eorum viribus eleemosyna, pro suo vel confessarii prudenti iudicio determinanda.

Et haec quidem, sine praeiudicio illorum, quibus distributiones accrescere vel non decrescere debent, sint et censeantur ordinata.

8. Condonandi in foro interno fructus ex beneficio ob simoniam realem invalide obtento indebite perceptos, iniuncta congrua paenitentia salutari, cum aliqua eleemosyna iuxta vires paenitentis taxanda, et imposita eiusdem beneficii dimissione. Quatenus vero ob iustas et rationabiles causas beneficium dimitti non expediat, praesertim vero si idem parochiale sit, et non adsint qui parochiis praefici possint, titulum ipsius beneficii convalidandi.

9. Absolvendi, vel per se vel per alias idoneas ecclesiasticas personas a se deputandas, eos omnes qui fundos olim ecclesiasticos et a plurimis annis Ecclesiae per civiles leges ablatos nunc possident, vel titulo hereditatis a suis maioribus accepto, vel titulo emptionis seu similis contractus cum tertiis possessoribus initis, eosque singulos habiles reddendi ad praedictos fundos tamquam proprios licite habendos, de iisque tam inter vivos, quam mortis causa libere disponendi, imposita pro una vice tantum congrua eleemosyna iuxta prudens absolventis iudicium, favore alicuius ecclesiae vel pii operis eroganda.

10. Dispensandi, quando ita in Domino expedire videbitur, super lege abstinentiae, diebus praescriptis, etiam tempore ieiuniorum et quadragesimae, in casibus particularibus.

11. Permittendi clericis et religiosis, uti singulis, ut rationabili de causa, quocumque anni tempore, privata Matutini cum laudibus recitatio anticipari possit statim post meridiem.

12. Commutandi, ob visus debilitatem vel ob aliam iustam causam, eaque durante, obligationem recitandi horas canonicas in quotidianam recitationem integri rosarii B. M. V. vel aliarum piarum precum quae congruae sint, citra exemptionem a Choro, quatenus is qui commutationem obtinuit ad illum accedere teneatur.

13. Dispensandi, in casibus urgentibus, a gradibus academicis ad assequendas praebendas canonicales, quae ex lege fundationis ipsos gradus requirant, dummodo nullum praeiudicium aliorum iuribus inferatur.

14. Concedendi ad normam Const. *Officiorum et munerum* facultatem retinendi ac legendi prohibitos libros et ephemerides, cum cautelis et sub limitationibus quae necessaria vel utilia in singulis casibus videbuntur, et in usu penes S. Congr. S. Officii sunt.

15. Commutandi aut dispensandi, consideratis causis, omnia vota simplicia privatim emissa, etiam Apostolicae Sedi reservata, exceptis votis in quibus agitur de tertii praeiudicio.

16. Dispensandi ex iusta causa a quovis iuramento, dummodo tertii praeiudicium non adsit.

17. Remittendi seu condonandi, *pro foro conscientiae tantum*, delinquentibus pauperibus partem aliquam male ablatorum, aut retentorum, quando domini incerti sunt et casus occulti ; ita tamen ut residuum, si quod adsit, vel aliqua alia summa vel pars pro viribus taxanda pauperibus loci distribuatur vel in pia opera eiusdem loci, si fieri possit, distribuatur.

18. Recipiendi, aut delegandi in singulis casibus alium idoneum ecclesiasticum virum, ut recipiat denunciationes de crimine sollicitationis, servatis in omnibus forma et tenore instructionis, quae a S. Officio danda erit.

19. Prorogandi ad breve aliquod tempus facultates, indulgentias et indulta a S. Sede concessa, quae expiraverint quin tempestive postulatio pro eorum prorogatione ad S. Sedem missa fuerit, facta tamen obligatione statim recurrendi ad eamdem S. Sedem pro gratia aut (si petitio iam facta fuerit) pro responsione obtinenda.

Caput II. *Facultates circa indulgentias.* — 20. Concedendi semel in anno, occurrente aliqua sollemnitate, plenariam indulgentiam omnibus utriusque sexus Christifidelibus qui vere paenitentes et confessi ac sacra Communione refecti ecclesiam vel publicum oratorium visitaverint, ibique ad mentem Summi Pontificis aliquo temporis spatio oraverint.

Fidelibus vero qui in loco habitent, ubi impossibile vel difficile admodum sit confessarii copiam habere, concedendi, ut praedictas indulgentias lucrari valeant, dummodo actuali sacramentorum susceptioni pium aliquod opus substituant, ac corde saltem contriti firmiter proponant admissa confiteri quam primum poterunt.

21. Impertiendi ter in anno et non in eodem loco, diebus a se eligendis, benedictionem papalem iuxta formulam typis impressam atque insertam, cum indulgentia plenaria ab iis lucranda, qui vere paenitentes, confessi et sacra Communione refecti eidem benedictioni interfuerint, Deumque pro s. fidei propagatione et S. R. Ecclesiae exaltatione oraverint.

22. Concedendi pariter, non tamen in perpetuum sed ad tempus sibi benevisum, omnibus Christifidelibus contritis et confessis ac sacra Communione refectis indulgentiam plenariam in oratione 40 Horarum, quoties in anno a respectivis locorum Ordinariis indicatur, etiamsi, ex rationabili causa, in aliquibus non servetur *Instructio Clementina.*

23. Item concedendi plenariam indulgentiam primo conversis ab haeresi et ad sinum catholicae Ecclesiae redeuntibus, in actu eorum conversionis.

24. Concedendi in casibus particularibus vel ad tempus indulgentiam plenariam occasione ss. missionum, servatis consuetis regulis.

25. Declarandi privilegiatum quotidianum perpetuum in qualibet ecclesia territorii suae iurisdictionis unum altare ad tramitem can. 916.

26. Concedendi bis centum dies de vera indulgentia omnibus praesentibus in sacris functionibus a se peractis, durante munere.

27. Communicandi ecclesiasticis viris facultatem erigendi sacras stationes Viae Crucis cum applicatione indulgentiarum et pia sodalitia Rosarii, B. M. V. de Monte Carmelo et Septem Dolorum, sub lege tamen et conditione ut haec facultas non exerceatur ubi coenobia adsint religiosorum, qui ex apostolica concessione eiusmodi privilegiis gaudent.

Item ecclesiasticis viris facultatem concedendi sub eadem lege et conditione benedicendi et imponendi scapularia praedictarum sodalitatum.

28. Concedendi ut indulgentiae, de quibus in praecedentibus articulis, applicabiles etiam sint per modum suffragii animabus in purgatorio degentibus.

Caput III. *Facultates circa matrimonium.* — 29. Dispensandi ab impedimentis impedientibus de quibus in cap. III, tit. VII, lib. III Codicis, servatis ad unguem regulis ibidem positis, praesertim quod ad dispensationes ob mixtam religionem, et docto, quotannis ante Pascha, S. Congr. S. Officii de numero aliisque adiunctis dispensationum, quae anno praecedenti circa mixtam religionem datae sunt.

30. Dispensandi pro . . . . vicibus ex gravi causa ab omnibus impedimentis dirimentibus matrimonium, iuris tamen ecclesiastici, sive publici sive occultis, sive minoris sive maiores gradus, iis tamen exceptis quae ex affinitate in linea recta consummato matrimonio, ex ordine sacro et sollemni professione religiosa proveniunt.

Quod vero ad impedimentum dirimens disparitatis cultus, fas non sit dispensationem concedere nisi servatis iis quae in canonibus 1060-1064 praescripta sunt, et quod ad matrimonia cum hebraeis vel mahumedanis, dummodo constet de status libertate partis fidelis (1) ad removendum periculum polygamiae, absit

(1) Procul dubio, menda irrepsit, legendumque « infidelis ». Cf. *Per.*, XIII, (28).

periculum circumcisionis prolis, et si civilis actus sit ineundus, sit tantum caeremonia civilis nullaque Mahumetis invocatio aut aliud superstitionis genus interveniat.

Nupturientes aliquam oblationem, si fieri potest, iuxta vires persolvant, quam ipse Nuntius, Internuntius vel Delegatus Apostolicus transmittet ad S. Congregationem S. Officii, si agatur de impedimento disparitatis cultus, aut ad S. Congregationem de disciplina Sacramentorum, si agatur de aliis impedimentis.

31. Sanandi in radice pro . . . . vicibus matrimonia nulla ob impedimentum dirimens, de quo in numero 30, quando moraliter impossibilis est renovatio consensus modo ordinario, monita parte impedimenti conscia de sanationis effectu. Rescriptum vero huiusmodi sanationis in Curia Episcopali diligenter custodiatur, quo omni tempore et eventu de matrimonii validitate et de prolis legitimatione constare possit.

Sed si matrimonium fuerit nullum ob defectum formae, danda non erit sanatio, nisi in casu quo altera pars renuat renovare consensum iuxta formam, aut, si id ab ea exigatur, grave immineat alteri parti malum vel periculum.

Quod si matrimonium fuerit nullum ob non servatam formam in casu mixtae religionis aut disparitatis cultus, et pars acatholica induci non possit ad renovandum consensum iuxta leges Ecclesiae, danda non erit sanatio in radice, nisi assumptis a parte fideli obligationibus curandi pro viribus conversionem coniugis et educationem prolis in fide catholica, concessa eidem absolutione a censuris, si coram acatholico matrimonium attentaverit, ipsaque monita de gravi patrato scelere.

Caput IV. *Facultates circa cetera Sacramenta et Sacros Ritus.* — 32. Deputandi simplices sacerdotes probatae doctrinae ac virtutis pro administrando sacramento Confirmationis in iis regionibus dumtaxat in quibus episcopi desunt, servatis praescriptis can. 781, § 1, 782, § 4 et 784; idque ad tempus aliquod determinatum.

33. Permittendi singulis vicibus, vel ad tempus, feria V in Coena Domini unicam missam lectam in oratoriis publicis.

34. Concedendi sacerdotibus infirmis, durante infirma valetudine, aut aetate devexis indultum oratorii privati, in quo Missam celebrent, servatis canonicis regulis.

35. Concedendi pro sacerdotibus suae iurisdictionis usum comae ascititiae tempore celebrationis Missae, data vera eorum necessitate.

36. Concedendi in casibus particularibus indultum celebrandi extra ecclesiam et oratorium et erigendi altare sub dio ex rationabili causa, ad tramitem can. 822, § 4.

37. Permittendi sacerdotibus navigantibus sive in mari sive in fluminibus, ut in navi Missam celebrare possint super altare portatili, dummodo locus in quo Missa celebratur nihil indecens aut indecorum praeseferat et periculum absit calicis effusionis.

38. Consecrandi, sive per se sive per simplices presbyteros a se deputandos, altaria tum fixa tum portatilia, quae ex aliquo defectu pristinam consecrationem amiserunt, servatis tamen omnibus in instructione S. Rituum Congregationis ad rem in *Ritu et formula breviori* praescriptis.

39. Indulgendi, ex rationabili causa, in casibus particularibus, vel ad tempus, ut sacrosanctum Missae sacrificium peragi possit a tertia hora post mediam noctem.

40. Indulgendi ad tempus ut in aliqua ecclesia bis vel ter in hebdomada, de consensu Ordinarii, Missa *de Requie* celebrari possit etiam diebus ritus duplicis, exceptis tamen festis duplicibus I et II classis, dominicis aliisque festis de praecepto servandis, nec non feriis, vigiliis, octavisque privilegiatis.

41. Concedendi presbyteris, ex utroque clero, visivae potentiae debilitate

laborantibus, vel alia infirmitate detentis, facultatem celebrandi Missam votivam Deiparae Virginis, aut defunctorum, adhibita, quoties ea indigeant, alterius sacerdotis assistentia, et firmo permanente onere, si sint parochi, explicandi Evangelium diebus praescriptis.

Item eamdem facultatem concedendi sacerdotibus omnino caecis, praescripta semper assistentia alterius sacerdotis, aut diaconi, et dummodo, facto experimento, comperiantur in ullo defecisse.

42. Concedendi infirmis decumbentibus de quibus certa spes non adsit ut cito convalescant, etiam ante finem mensis a quo decumbunt, ut S. Communionem sumere possint semel in hebdomada non servato ieiunio, hoc est, etsi aliquam medicinam vel aliquid ad modum potus antea sumpserint (can. 858, § 2).

Concedendi infirmis non decumbentibus, qui tamen tali morbo laborant, quo, iudicio medici, ieiunium sine discrimine servare nequeant, ut communionem semel in hebdomada percipere valeant non servato ieiunio, ut supra.

43. Indulgendi per modum actus ut in ecclesiis, in quibus festum alicuius Sancti in *Martyrologio Romano* descripti, vel alias ab Apostolica Sede approbatum, sollemniter celebretur, quod cum officio illius diei minime congruat, dici possint tum Missa solemnis cum cantu, tum etiam Missae lectae de eodem festo, dummodo non occurrat duplex vel dominica primae classis, aut Vigilia Nativitatis D. N. I. C. vel Vigilia Pentecostes, vel dies octava Nativitatis D. N. I. C. (Circumcisio Dni), dies octava Epiphaniae vel Ssmi Corporis Christi aut feria IV Cinerum, vel integra maior hebdomada.

44. Deputandi, in locis iurisdictionis sibi commissae, in casibus particularibus, vel ad tempus aliquem sacerdotem cum facultate *consecrandi*, iuxta formam in *Pontificali Romano* praescriptam, calices, patenas et altarium lapides, adhibitis sacris oleis ab Episcopo catholico benedictis.

45. Benedicendi campanas et consecrandi ecclesias, monito tamen loci Ordinario eoque non renuente.

CAPUT V. *De facultatibus circa Religiosos.* — 46. Cognoscendi in casibus extraordinariis et urgente necessitate super statu alicuius domus Religionis cuiuslibet; conferendo cum Superioribus consilium et operam ut opportuna abusibus remedia adhibeantur, et religiosi ad sui status perfectionem reducantur, certiore tamen facta quam primum Apostolica Sede, si quid novi in utilitatem claustralium communitatum decernendum esse videatur.

47. Dispensandi, iusta de causa, postulante Communitate super defectu dotis in religione pro sororibus aut Monialibus requisitae.

48. Concedendi in casibus particularibus, vel ad tempus, Ordinariis dioecesanis facultatem praeficiendi paroeciis religiosos in defectu sacerdotum saecularium, de consensu tamen suorum Superiorum, et cum clausula ut saltem duo alii religiosi cum parocho cohabitent, servatisque in reliquis sacrorum canonum dispositionibus.

49. Indulgendi Monialibus in casu infirmitatis, aliisque iustis gravibusque de causis, ut *extra claustra* per tempus prudenti arbitrio praefiniendum manere possint, ita tamen ut cum associatione et assistentia suorum consanguineorum vel affinium aut alicuius honestae mulieris semper incedant, domi et alibi vitam religiosam ducant a virorum frequentia semotam, prout Deo sacratas virgines decet, firmo praescripto can. 639.

50. Dispensandi religiosos utriusque sexus, *pro foro conscientiae tantum*, a regressu in religionem et permittendi ut in saeculo remaneant, quoties hi invalide obtinuerint declarationem nullitatis votorum, dummodo tamen haec invaliditas occulta sit, firmo semper manente voto castitatis perpetuae, servatisque aliorum votorum substantialibus, usquedum peculiarem dispensationem a S. Sede hac de re assequantur, et, si sint sacerdotes, facta lege ut habitum sacerdotis saecularis induant.

CAPUT VI. *Facultates pro ipso Nuntio, Internuntio, seu Delegato.* — 51. Recitandi divinum officium et Missam celebrandi iuxta kalendarium romanum pro clero Urbis; idque concedendi sacerdotibus secum commorantibus sibique subiectis.

52. Asservandi in sacello domus stabilis suae residentiae Ssmum Eucharistiae sacramentum, ea lege ut lampas indesinenter ante tabernaculum lucescat, clavis diligenter custodiatur, aliaque iuxta liturgicas leges plene serventur.

Sacellum autem ipsum ex Summi Pontificis venia qua publicum erit.

53. Administrandi sacramentum Confirmationis in ditione universa suae iurisdictioni obnoxia, nec non durante maritimo itinere tam in accessu quam in recessu a loco missionis suae.

54. Excipiendi sacramentales confessiones fidelium utriusque sexus in locis et in maritimo itinere, uti supra.

55. Lucrandi sibi indulgentias quas aliis vi facultatum sibi concessarum impertiendas censuerit.

ANIMADVERSIO. — 1. Facultates, quae superius continentur in cap. II et III, et eae quae recensentur sub numeris 1, 3 et 18, cap. I; 32 et 38, cap. IV; 46, cap. V; et 53, 54, 55, cap. VI, non conceduntur nisi iis qui sunt caractere episcopali insigniti; ideoque ad eos, et signanter ad Auditorem vel Secretarium quibus durante Nuntiaturae, Internuntiaturae vel Delegationis vacatione negotiorum gestio fuerit commissa, non intelliguntur attributae, nisi expresse id dicatur, quamvis commissio regendi officium cum facultatibus ordinariis eisdem concessa sit.

2. Caveat Pontificius Administer ne indulta quae ad tempus concedere potest, ultra quinquennium vel decennium protrahat.

[Additae sunt hae facultates, d. 16 iun. 1920] (*Monit. eccles.*, 1922, 200).

a) Vacante in territorio iurisdictionis Nuntii, Internuntii vel Delegati aliqua dioecesi, fas sit Nuntio, Internuntio vel Delegato, rogante Vicario Capitulari vel Administratore dioecesis, eadem omnia concedere quae sunt in potestate ordinaria episcopi.

b) Quoties urgeat necessitas, evidens sit utilitas, et periculum sit in mora, facultas conceditur permittendi alienationes bonorum ecclesiasticorum vel piarum causarum, usque ad valorem 60.000 francorum pro regionibus Europae, et 100.000 extra Europam.

c) Permittendi ingressum in Seminarium illegitimis, dummodo non agatur de adulterinis aut sacrilegis, si de cetero condiciones ad ingressum in pium locum necessariae habeantur, et firma obligatione recurrendi ad S. Sedem pro eorum sacra ordinatione.

d) In locis ubi ob defectum vel nimiam distantiam parochorum succurrendum sit fidelium necessitatibus ope sacrarum missionum illuc identidem mittendarum, tribuendi Praesidi seu Superiori missionis ut ipse qua parochus, ceteri missionarii qua eius vicarii cooperatores, ea omnia possint pro fidelibus ad illam missionem pertinentibus vel ad eam accedentibus, quae ceteri parochi et vicarii cooperatores in suis paroeciis possunt.

Item concedendi eidem Praesidi seu Superiori missionis, in loco missionis ut supra, facultates quibus Vicarii Generales pollent, et quas canones Codicis 1043-1057 statuunt, et Ordinariis pro matrimoniis tribuunt. Itemque concedendi potestatem confirmandi iuxta n. 33 indicis. [sc. indicis facultatum].

Officii autem erit Superioris missionis, docere Ordinarium loci de potestate sibi facta a Nuntio, Internuntio vel Delegato Apostolico, ab eoque obtinere, quatenus fieri possit, missionis finium designationem; expleta vero missione eidem Ordinario adnotationem praebere de sacramentis in loco missionis administratis, prout parochi pro sua paroecia tenentur.

Denique hanc ipsam potestatem poterit Nuntius, Internuntius vel Delegatus Apostolicus, in casibus particularibus, subdelegare episcopis qui in loco suae iurisdictionis sunt.

Decreto *S. C. pro Eccl. Or.*, d. 6 dec. 1928, tribuitur Legatis S. S. facultas concedendi transitum a ritu latino ad Orientalem et vice versa, non tamen sacerdotibus (*AAS*, XX, 1928, 416. — *Per.* XVIII, 109 ss. — *NRTh.*, 1929, 252).

APPENDIX II

FORMULAE FACULTATUM QUAS S. C. DE PROP. FIDE ORDINARIIS IN TERRIS MISSIONUM PROCURAT (1)

814. - *Tres sunt formulae facultatum, quarum secunda et tertia duplicem formam habet, maiorem et minorem (Cf. supra n. 370). Dantes textum formulae III maioris, quae aliis est locupletior, addemus numeris inter uncos positis quaenam facultates in aliis formulis non reperiantur. Formulae sic designantur I, II (secunda maior), 2 (secunda minor), 3 (tertia minor).* (2).

(Formula tertia (maior)

A). - CIRCA SACRAMENTA ET SACROS RITUS

1. Concedendi suis missionariis facultatem *benedicendi aquam baptismalem* ea breviori formula, qua Missionariis Peruanis apud Indos Summus Pontifex Paulus III uti concessit [Deest in F. I].

2. Conficiendi *olea sacra* cum sacerdotibus, quos potuerit habere, et, si necessitas urgeat, etiam extra diem Coenae Domini [Deest in F. I, 2, 3].

3. Concedendi facultatem *administrandi Confirmationis Sacramentum* uni vel alteri ex suis sacerdotibus, in quacumque regione a sua residentia longe dissita, absente tamen quocumque episcopo, servato decreto Sacrae huius Congreg. diei 4 Maii anni 1774, atque Instructione « De Sacramento Confirmationis » in appendice Ritualis Romani inserta [Deest in F. I].

4. Permittendi suis missionariis ut *Missam* celebrare possint, in casu necessitatis, etiam *sine ministro sub dio* et *sub terra*, atque etiam *in mari*, dummodo mare sit tranquillum, in loco tamen decenti ; etiam si altare sit fractum vel sine Reliquiis Sanctorum ; et praesentibus haereticis, schismaticis, infidelibus et excommunicatis, si aliter celebrari non possit ; atque ut Missa celebrari queat *una hora post mediam noctem* (3).

5. Permittendi ut *Missa celebrari* possit *cum uno luminari*, adhibendo in casu quodcumque lumen, dummodo cera ex apum industria confecta deficiat ; nec non permittendi ut Missa *absque luminaribus* celebrari possit, in locis ubi non inveniuntur olivae et nulla alia substantia ad lampades nutriendas inveniri potest : in casu tamen verae necessitatis, et graviter onerata conscientia ipsius Ordinarii [Deest in F. I, II, 2].

6. Permittendi ut in utraque *purificatione calicis aqua tantum* adhiberi possit, dummodo tamen extrema adsit vini deficientia [Deest in F. I, II, 2].

7. Permittendi *thurificationem* in Missis cantatis a solo celebrante absque ministris, dummodo duo saltem clerici superpelliceo induti Missae inserviant.

8. Permittendi ut in ecclesiis sui territorii *tres Missae* statim post mediam

(1) Cf. A. Vermeersch, *Commentaria de formulis facultatum quas S. C. P. F. concedere solet. Per.*, XI, (33), ss. — separatim edita apud Beyaert, Brugis, 1923.

(2) *Observes formulas nunc recognosci ut ab anno 1930 novas vigeant. Quocirca novus textus ab anno proximo attendendus erit.*

(3) In F. I, II, 2 textus est : « Permittendi suis missionariis ut missam celebrare possint in mari, dummodo mare sit tranquillum, in loco tamen decenti ; atque ut, in casu necessitatis, Missa celebrari queat una hora post mediam noctem ».

noctem *Nativitatis Domini* celebrari possint, cum potestate administrandi fidelibus s. Communionem, cauto tamen ut omnia cum debita reverentia fiant.

9. Permittendi ut in ecclesiis sui territorii *functiones Maioris Hebdomadae* celebrari valeant iuxta peculiarem Ritum a s. m. Benedicto Pp. XIII propositum pro ecclesiis minoribus paroecialibus, in quibus ministrorum numerus vel copia cantorum ad praedictas sacras functiones solemniter peragendas haberi nequeat : dummodo tamen constet ibidem satis esse consultum reverentiae sacris mysteriis debitae, et quod nulla exinde abusui pateat occasio ; et quatenus neque praedictus Ritus servari possit, permittendi ut in iisdem ecclesiis unica Missa lecta, loco sollemnis, celebrari possit feria V in Coena Domini et Sabbato sancto.

10. Permittendi ut in ecclesiis sui territorii ter in hebdomada, extra Quadragesimam, *Missa privata de Requie* celebrari possit, etiam diebus ritus duplicis maioris et minoris, exceptis Dominicis, nec non feriis, vigiliis atque octavis privilegiatis, diebus tamen, quibus eadem Missa a Rubricis permittitur, computatis.

11. Permittendi etiam in omnibus diebus festis et dominicis *Missam cotivam de B. M. V.* iis qui, ob defectum oculorum aliamve infirmitatem, legere nequeant Missas singulis diebus occurrentes iuxta Missalis Romani rubricas [Deest in F. I].

12. Permittendi ut, iusta de causa, *ssmum Sacramentum cum duobus luminaribus* ex quacumque substantia confectis *exponi* possit [Deest in F. I].

13. Permittendi ut, in locis ubi olivae non inveniuntur, et nulla alia substantia ad lampades nutriendas haberi potest, *ssmum Sacramentum* etiam *sine lumine asservari* possit, in casu tamen verae necessitatis et graviter onerata conscientia ipsius Ordinarii [Deest in F. I, II, 2].

14. Permittendi, si ab haereticis aut infidelibus sit periculum sacrilegii, ut *ssmum Sacramentum* pro infirmis *sine lumine* in loco tamen decenti *retineri* possit [Deest in F. I, II, 2].

*15. Permittendi *religiosis sororibus* sacrarii servitio addictis ut sacra vasa sacrasque supellectiles tangere, nec non pallas, *corporalia* et *purificatoria abluere* valeant.

16. Permittendi suis missionariis ut *administrare* valeant christianis graviter aegrotantibus *ssmam Eucharistiam sine lumine* et sine superpelliceo et stola dummodo constet de periculo cui exponerentur si induerent superpelliceum et stolam, lumenve accenderetur [Deest in F. I, II, 2].

*17. Concedendi *infirmis decumbentibus*, de quibus certa spes non adsit ut cito convalescant, etiam ante finem mensis, a quo decumbunt, ut *s. Communionem* sumere possint bis vel ter in hebdomada ; et si agatur de sacerdotibus vel religiosis, etiam quotidie, *non servato ieiunio* : hoc est etsi aliquam medicinam vel aliquid per modum potus antea sumpserint.

18. Conferendi, rationabili de causa, *Ordines minores* omnes simul, etiam cum prima tonsura [Deest in F. I].

19. Conferendi iusta de causa, omnes *sacros Ordines*, etiam presbyteratum, diebus ferialibus etsi continuis [Deest in F. I, II, 2] (1).

20. Dispensandi, gravi tamen de causa, cum utriusque cleri *diaconis* super *defectu aetatis* decem et octo mensium, ut, eo non obstante, ad s. presbyteratus ordinem promoveri possint, dummodo idonei sint, et dimidiam partem quarti anni cursus theologici rite, secundum Codicis praescriptiones can. 976, absolverint [Deest in F. I].

*21. Dispensandi, canonicis exsistentibus causis, super *impedimentis matrimonialibus* sive minoris sive maioris gradus (can. 1042), tam publicis quam occultis, etiam multiplicibus, iuris tamen ecclesiastici : exceptis impedimentis provenienti-

(1) In F. 3, textus est : « Permittendi, iusta de causa, ut suis subditis omnes sacri Ordines, etiam presbyteratus, diebus ferialibus etsi continuis conferri possint ».

bus ex sacro presbyteratus ordine, ex defectu praescriptae aetatis et ex affinitate in linea recta, consummato matrimonio [In F. I. conceditur facultas pro impedimentis tantum minoris gradus].

Concedendo tamen has dispensationes, Ordinarius prae oculis habeat regulas statutas in Codice, a can. 1035 ad can. 1080, circa impedimenta in genere et in specie et, in impedimentis mixtae religionis et disparitatis cultus, servatis conditionibus ab Ecclesia praescriptis : videlicet de amovendo a catholico coniuge perversionis periculo, ac de universa prole utriusque sexus in catholicae religionis sanctitate baptizanda et educanda ; monita parte catholica de obligatione, qua tenetur, conversionem coniugis acatholici prudenter curandi ; eaque lege ut, neque ante neque post matrimonium coram Ecclesia initum, partes adeant ministrum falsi cultus ad matrimonialem consensum praestandum vel renovandum. Si agatur vero de matrimoniis cum hebraeis vel mahumetanis, peculiari ratione oportet ut : constet de status libertate partis infidelis, ad removendum periculum polygamiae ; absit periculum circumcisionis prolis ; et si civilis actus sit ineundus, sit tantum caeremonia civilis nullaque Mahumetis invocatio aut aliud superstitionis genus interveniat.

*22. *Sanandi in radice*, iuxta regulas in Codice a can 1133 ad can. 1141 statutas, matrimonia ob aliquod impedimentum, de quo supra n. 21, nulliter contracta. Quod vero attinet ad prolis legitimationem, Ordinarius prae oculis habeat can. 1051.

*23. *Sanandi* pariter *in radice matrimonia mixta* attentata coram magistratu civili vel ministro acatholico [Deest in F. I].

*24. Dispensandi cum gentilibus et infidelibus *plures uxores* habentibus, ut post conversionem et baptismum, quam ex illis maluerint, si etiam ipsa fidelis fiat, retinere possint, nisi prima voluerit converti [Deest in F. I, II, 2].

*25. Dispensandi super *interpellatione* coniugum in infidelitate relictorum pro omnibus *casibus ordinariis*, dummodo scilicet adhibitis antea omnibus diligentiis, etiam per publicas ephemerides ad reperiendum locum ubi coniux infidelis habitat, iisque in irritum cessis, constet saltem summarie et extraiudicialiter coniugem absentem moneri legitime non posse, aut monitum infra tempus in monitione praefixum suam voluntatem non significasse [Deest in F. I, II, 2].

*26. Itemque dispensandi super *interpellatione* coniugis in infidelitate relicti, siquidem certo constiterit, saltem summarie et extraiudicialiter, interpellationem fieri non posse sine evidenti *gravis damni* aut coniugi iam ad fidem converso, aut christianis inferendi periculo [Deest in F. I, II, 2].

*27. Permittendi ut, accedente gravi causa, *interpellatio* coniugis infidelis *ante baptismum* partis quae ad fidem convertitur fieri possit ; nec non, gravi pariter de causa, ab eadem interpellatione, ante baptismum partis quae convertitur, dispensandi dummodo hoc in casu ex processu saltem summario et extraiudiciali constet interpellationem fieri non posse, vel fore inutilem [Deest in F. I, II, 2].

B). - CIRCA ABSOLUTIONES, BENEDICTIONES, INDULGENTIAS, ETC. ETC.

*28. Absolvendi ab omnibus *censuris*, sive simpliciter sive speciali modo Romano Pontifici reservatis.

*29. Dispensandi vel commutandi *vota privata* Sedi Ap. reservata, de quibus in can. 1309.

*30. Benedicendi solo crucis signo, cum omnibus indulgentiis a S. Sede concedi solitis, *coronas* precatorias, *cruces*, parvas statuas et sacra *numismata*, et adnectendi coronis indulgentias, quae a s. Birgitta et quae a Patribus Crucigeris nuncupantur.

31. Conferendi uni alterive ex suis sacerdotibus facultatem *consecrandi* iuxta

formam in Pontificali Romano praescriptam *calices, patenas* et *altarium lapides*, adhibitis tamen oleis ab episcopo catholico benedictis [Deest in F. I] (1).

32. Impertiendi, praeter concessionem de qua in can. 914, ter in anno in solemnioribus festis *Benedictionem Papalem* iuxta praescriptam formulam cum indulgentia plenaria ab iis lucranda, qui vere paenitentes, confessi et s. Communione refecti eidem Benedictioni interfuerint, Deumque pro s. fidei propagatione et iuxta mentem Summi Pontificis oraverint.

33. Concedendi ut, servatis consuetis conditionibus *indulgentiam plenariam* in *primae Communionis* sollemnis distributione et in *s. Confirmationis* administratione, christifideles ad s. Communionem vel Confirmationem rite accedentes lucrari possint.

*34. Concedendi *indulgentiam plenariam* primo *conversis* ab haeresi, servatis consuetis conditionibus.

35. Impertiendi *indulgentiam plenariam* singulis ex clero, qui per quinque saltem dies *sacris exercitiis* interfuerint, ac, sacrosanctum Missae sacrificium celebrantes, vel saltem ad s. Synaxim accedentes, pias ad Deum preces effuderint pro s. fidei propagatione et iuxta mentem Summi Pontificis.

*36. Concedendi Benedictionem Apostolicam cum *indulgentia plenaria* omnibus christifidelibus, qui spiritualibus exercitiis seu *sacris missionibus*, de quibus in can. 1349 § 1, ultra medietatem interfuerint, benedictioni cum Cruce in fine postremae concionis impertiendae vere paenitentes, confessi ac sacra Communione refecti adstiterint, atque ecclesiam, in qua conciones huiusmodi habebuntur devote visitaverint, ibique per aliquod temporis spatium pias ad Deum preces effuderint pro sanctae fidei propagatione et iuxta mentem Summi Pontificis.

*37. Concedendi in actu *visitationis* paroeciarum, quasi-paroeciarum, et missionum, nec non communitatum tam saecularium quam religiosorum, ut *indulgentiam plenariam* una vice tantum lucrari possint christifideles dummodo contriti, confessi ac s. Communione refecti pias ad Deum preces fuderint pro s. fidei propagatione et iuxta mentem Summi Pontificis.

*38. Concedendi christifidelibus ut *indulgentias*, propter quas *confessio* saltem bis in mense requiritur, lucrari possint, etsi ob legitimum impedimentum inde a mense ad paenitentiae sacramentum non accesserint.

*39. Concedendi ut omnes praedictae *indulgentiae* applicari possint *per modum suffragii* animabus in purgatorio detentis.

*40. Benedicendi crucifixos cum Indulgentia plenaria vulgo *toties quoties* nuncupata : idest a quocumque ex fidelibus in mortis periculo constitutis lucranda. Grassantibus autem epidemicis vel contagiosis morbis, concedendi ut fideles *in periculo mortis* constituti *indulgentiam plenariam* lucrari possint, Christi crucifixi imaginem vel crucem deosculando ; vel, ea deficiente, ssmum Iesu nomen corde saltem, si ore non potuerint, invocando.

41. Concedendi ut, expleto divino Officio diei, legitima concurrente causa, privatim recitari possit *matutinum cum laudibus* diei sequentis, *statim post meridiem.*

42. Concedendi ut ob legitimam gravemque rationem, de qua eius conscientia oneratur, *loco divini Officii, rosarium* vel aliae preces recitari possint.

43. Permittendi suis missionariis ut *vestes laicales* induere possint, si aliter vel transire ad loca eorum curae commissa, vel in eis commode permanere non potuerint.

---

(1) Additur in F. 2 et 3 facultas « Erigendi pium exercitium Viae Crucis ritu ab Ecclesia praescripto, cum applicatione omnium indulgentiarum, quae huiusmodi exercitium peragentibus a SS. PP. impertitae sunt ; et applicandi easdem indulgentias crucibus et crucifixis, pro infirmis aliisque legitime impeditis, prae oculis habito decreto S. Paenitentiariae d. 14 dec. 1917 ».

44. Permittendi suis missionariis ut *artes medicinae et chirurgiae* exercere valeant, dummodo in illis periti sint, operentur absque incisione, praeterquam ad sanguinem emittendum, et nihil exigant pro huiusmodi exercitio ; et in curandis mulieribus ea vitent, quae sanctitatem characteris, quo insigniti sunt, dedecent [Deest in F. 1, II, 2].

45. *Assignandi pensionem* quasi-parochis vel missionariis ex infirmitate resignantibus quasi-paroecias vel missiones, in quas per decem annos incubuerunt, solvendam annuatim a successore, non excedentem tertiam partem fructuum quomodolibet provenientium ex quasi-paroeciis vel missionibus, deductis expensis.

*46. Dispensandi cum catholicis pauperibus, qui opera sua valde indigent, ut *serviliter laborare* valeant *diebus Dominicis*, exceptis Paschate et Pentecoste, post tamen s. Missae auditionem si possit audiri, si vero non possit, recitatis precibus suppletivis [Deest in F. 1, II. 2].

C). - PRO IPSO ORDINARIO

47. *Asservandi* in sacello domus stabilis suae residentiae *Ssmum Eucharistiae Sacramentum*, ea lege, ut lampas indesinenter ante tabernaculum lucescat, clavis diligenter custodiatur, aliaque iuxta liturgicas leges plene serventur (1).

48. *Lucrandi indulgentias*, quas aliis vi facultatum sibi concessarum impertiendas censuerit, impletis tamen conditionibus.

49. *Utendi* ipse *personaliter*, in iisdem tamen adiunctis, *facultatibus* seu permissionibus, quas, intra limites in praecedentibus articulis expressos, concedendas esse censuerit.

50. Utendi *throno* cum *baldachino* et *cappa magna* in Pontificalibus ; nec non permittendi presbyteris in ecclesiis suae iurisdictionis celebrantibus ut sui *nominis* tamquam Antistitis sive in precibus ferialibus, sive *in Canone Missae* mentio fiat : quatenus haec ipsi a iure concessa non fuerint [Deest in F. 2, 3].

ANIMADVERSIONES

I. Praedictae facultates ea lege conceduntur, ut non omnes indiscriminatim *subdelegari* possint, sed illae tantum quae asterisco * notantur, seu quae habentur sub numeris : 15, 17, 21, 22, 23, 24, 25, 26, 27, 28, 29, 30, 34, 36, 37, 38, 39, 40, 46.

II. Ordinarius insuper supradictis omnibus facultatibus sive per se sive per alios uti tantum valeat *intra fines suae iurisdictionis* ; easque gratis et sine ulla mercede exerceat, et facta mentione apostolicae delegationis.

III. Quod si forte *ex oblivione vel inadvertentia* ultra tempus supra praefinitum, seu ultra . . . . hisce *facultatibus* Ordinarium *uti contingat*, absolutiones, dispensationes, concessiones omnes exinde impertitae uti ratae atque validae habeantur. Insuper *datis* ab Ordinario *precibus pro renovatione* seu prorogatione earundem facultatum, ipsae in suo robore *perseverare* censeantur, usque dum responsum S. C. ad eundem Ordinarium pervenerit.

FACULTATES ADDITIONALES

Vigore potestatis sibi a SSo Dno N..., div. Providentia Papa.... tributae, haec S. Congregatio Christiano Nomini Propagando R. P. D. Ordinario.... sequentes facultates concedit ad...., a die tamen computandum, quo aliae facultates (Formula....) datae sunt, et ad normas in eodem folio facultatum expressas sub capite *Animadversiones*, nempe :

(1) Loco huius facultatis, F. 2 et 3 habent : « Fruendi indulto personali altaris privilegiati quotidiani, dummodo intuitu huius privilegii nihil omnino, praeter eleemosynam consuetam, percipiat ».

1. Erigendi illas etiam confraternitates a S. Sede adprobatas quarum instituendarum ius apostolico privilegio aliis reservatum est (can. 686, § 2), una excepta confraternitate SSi Rosarii, iisque adscribendi Christifideles ; ac benedicendi coronas et scapularia earumdem confraternitatum propria, cum applicatione omnium indulgentiarum et privilegiorum, quae Summi Pontifices iisdem confraternitatibus impertiti sunt.

2. Subdelegandi suis missionariis facultatem adscribendi confraternitatibus, de quibus supra, n. 1, Christifideles ; ac benedicendi coronas et scapularia earumdem confraternitatum propria, cum applicatione omnium indulgentiarum et privilegiorum, quae Summi Pontifices iisdem confraternitatibus impertiti sunt.

3. Subdelegandi pariter suis missionariis sequentem duplicem facultatem quae eidem Ordinario, qua episcopo, in canone 349, § 1, n. 1, conceditur, nempe :

a) benedicendi, ritibus tamen ab Ecclesia praescriptis, omnia scapularia a Sede Apostolica probata, eaque imponendi sine onere inscriptionis ;

b) erigendi, ritibus pariter ab Ecclesia praescriptis, stationes Viae Crucis, cum omnibus indulgentiis quae huiusmodi pium exercitium peragentibus a Summis Pontificibus impertitae sunt ; et applicandi easdem indulgentias crucibus et crucifixis pro infirmis aliisque legitime impeditis, prae oculis habito decreto S. Poenitentiariae die 14 decembris 1917 (1).

APPENDIX III

QUINQUENNALES ORDINARIORUM LOCORUM FACULTATES

Motu Proprio Post datam, *20 april. 1923, qui reperitur in « Acta Apostolicae Sedis », XV, 193, vel « Periodica », XII, 65, Ordinariis locorum non obnoxiis sive S. C. de Propaganda Fide sive S. C. pro Ecclesia Orientali, anno quo relationes ad S. C. Consistorialem deferre debent, per tramitem huius S. Congregationis tamquam organi transmissionis, plures facultates habituales a singulis dicasteriis conceduntur.*

Pro his facultatibus quattuor classes regionem distinctae sunt : 1. Italia (formula I) ; 2, Belgium, Gallia, Helvetia, Hispania, Lusitania (form. II) ; ceterae partes Europae (form. III) (2) ; *ambae Americae et insulae Philippinae (form. IV).*

Vis tamen istius divisionis non est nimis urgenda. Sic S. C. de Sacramentis *unicam formam confecit quam etiam dioecesibus amplis regionum quae excluderentur, v. g. dioecesibus Belgii concedit ; unica est quoque formula* S. Officii, *quae pro variis dioecesibus, plus vel minus plene communicatur.*

Formulas dabimus ampliores, monendo eas non omnes esse omnibus Ordinariis communes, vel aequali modo semper participari ; easque mutari posse etiam per se liquet.

I. - Facultates supremae Congr. S. Officii

1. Concedendi, non ultra triennium, licentiam legendi ac retinendi, sub custodia tamen ne ad aliorum manus perveniant, libros prohibitos et ephemerides, exceptis operibus haeresim vel schisma ex professo propugnantibus, vel etiam ipsa religionis fundamenta evertere nitentibus, necnon operibus de obscoenis ex professo tractantibus, singulis Christi fidelibus sibi subditis, non nisi tamen cum delectu et iusta ac

(1) Haec facultas 3 sic effertur in utraque *formula minore* : « Benedicendi, ritibus tamen ab Ecclesia praescriptis, omnia scapularia a Sede Apostolica probata, eaque imponendi sine onere inscriptionis. Hanc pariter facultatem Ordinarius suis missionariis subdelegare potest. »

(2) Provisorie excipienda est Russia, quae Pontificiae Commissioni pro Russia subditur.

rationabili causa (Cf. can. 1402, ², CIC), iis scilicet tantum qui eorumdem librorum et ephemeridum lectione sive ad ea impugnanda sive ad proprium legitimum munus exercendum vel iustum studiorum curriculum peragendum, *vere* indigeant.

Adnotandum. - Recensita facultas Episcopis conceditur per se ipsos personaliter exercenda, seu nemini delegandu ; et graviter onerata ipsorum conscientia super reali omnium memoratarum conditionum concursu.

2º Dispensandi, iustis gravibusque accedentibus causis, cum subditis etiam extra territorium aut non subditis intra limites proprii territorii, super impedimento mixtae religionis, et, si casus ferat, etiam super disparitate cultus, ad cautelam, quoties prudens dubium oriatur de collatione baptismi partis acatholicae ; quatenus ante nuptias pars acatholica ad veram religionem adduci aut catholica ab ipsis nuptiis absterreri nequiverit, dummodo prius regulariter, ad praescriptum *Cod. I. C.* can. 1061, § 2, cautum omnino sit conditionibus ab Ecclesia requisitis, et *ipse R. P. D. Ordinarius moraliter certus sit easdem impletum iri*, scilicet : ex parte nupturientis acatholici, de amovendo a parte catholica perversionis periculo, et ab utroque contrahente, de universa prole utriusque sexus in catholicae religionis sanctitate omnino baptizanda et educanda : declarata insuper parti catholicae obligatione, qua tenetur, prudenter curandi conversionem coniugis ad fidem catholicam.

Nupturientes autem moneantur se, ante vel post matrimonium coram Ecclesia initum, ministrum quoque acatholicum ad matrimonialem consensum praestandum vel renovandum adire non posse, ad mentem *Cod. I. C.*, can. 1063, § 1, sub poena excommunicationis latae sententiae Ordinario reservatae a parte catholica incurrendae, iuxta can. 2319, § 1. n. 1; — stricte caeteroquin servatis quae de parochi in casu agendi ratione statuta sunt in can. 1063, § 2.

Quod si partes actu in concubinatu vivant, provideatur opportunis modis ut scandalum, si adsit, removeatur, et pars catholica ad gratiam Dei recipiendam rite disponatur, praevia eius absolutione ab excommunicatione contracta, si forte matrimonium attentatum fuerit coram ministro acatholico, eique impositis congruis poenitentiis salutaribus.

3º Dispensandi iustis gravibusque accedentibus causis cum subditis etiam extra territorium, aut non subditis intra limites proprii territorii, super impedimento disparitatis cultus (excepto tamen casu matrimonii cum parte iudaica aut mahumetana) ; quatenus sine contumelia Creatoris id fieri possit et ante nuptias pars non baptizata ad veram religionem adduci aut catholica ab ipsis nuptiis absterreri nequiverit, dummodo prius regulariter ad praescriptum *Cod. I. C.* can. 1061, § 2, cautum omnino sit condicionibus ab Ecclesia requisitis, et *Ipse R. P. D. Ordinarius moraliter certus sit easdem impletum iri*, scilicet : ex parte nupturientis non baptizati de amovendo a parte catholica perversionis periculo et ab utroque contrahente de universa prole utriusque sexus in catholicae religionis sanctitate omnino baptizanda et educanda : declarata insuper parti catholicae obligatione, qua tenetur, prudenter curandi conversionem coniugis ad fidem catholicam.

Nupturientes autem moneantur se, ante vel post matrimonium coram Ecclesia initum, ministrum quoque falsi cultus ad matrimonialem consensum praestandum vel renovandum adire non posse, ad mentem *Cod. I. C.* can. 1063, § 1 ; stricte caeteroquin servatis quae de parochi agendi ratione in casu statuta sunt in can. 1063, § 2. Quod vero attinet ad legitimationem prolis, prae oculis habeatur can. 1051.

Quod si partes actu in concubinatu vivant, provideatur opportunis modis ut scandalum, si adsit, removeatur, et pars catholica ad gratiam Dei recipiendam rite disponatur.

In reliquis, quod refertur ad publicationes, interrogationes de consensu et sacros ritus, sive agatur de impedimento mixtae religionis sive disparitatis

cultus, serventur praescripta *Cod. I. C.* can. 1026, 1102, 1109 ; et huiusmodi nuptiis celebratis, sive in proprio, sive in alieno territorio, R. P. D. Ordinarius invigilet ut coniuges promissiones factas fideliter impleant.

4° Sanandi in radice matrimonia attentata coram officiali civili vel ministro acatholico a suis subditis, etiam extra territorium, aut non subditis, intra limites proprii territorii, cum impedimento mixtae religionis aut disparitatis cultus, dummodo consensus in utroque coniuge perseveret, isque legitime renovari non possit, sive quia pars acatholica de invaliditate matrimonii moneri nequeat sine periculo gravis damni aut incommodi a catholico coniuge subeundi ; sive quia pars acatholica ad renovandum coram Ecclesia matrimonialem consensum, aut ad cautiones praestandas, ad praescriptum *Cod. I. C.*, can. 1061. § 2, ullo modo induci nequeat; exceptis casibus : 1° in quo pars acatholica adversatur baptismo vel catholicae educationi prolis utriusque sexus natae vel nasciturae ; 2° in quo ante attentatum matrimonium, sive privatim sive per publicum actum, partes se obstrinxerunt educationi non catholicae prolis, uti supra ; dummodo aliud non obstet canonicum impedimentum dirimens, super quo ipse dispensandi aut sanandi facultate non polleat.

Ipse autem R. P. D. Episcopus serio moneat partem catholicam de gravissimo patrato scelere, salutares ei poenitentias imponat, et si casus ferat, eum ab excommunicatione absolvat iuxta *Cod. I. C.*, can. 2319, § 1°, n. 1°, simulque declaret ob sanationis gratiam a se acceptatam, matrimonium effectum esse validum, legitimum et indissolubile iure divino et prolem forte susceptam vel suscipiendam legitimam esse ; eique insuper gravibus verbis in mentem revocet obligationem, qua semper tenetur, pro viribus tutandi baptismum et educationem universae prolis utriusque sexus, tam forte natae quam forsitan nasciturae, in catholicae religionis sanctitate, et prudenter curandi conversionem coniugis ad fidem catholicam.

Cum autem de matrimonii validitate et prolis legitimatione in foro externo constare debeat, R. P. D. Episcopus mandet ut singulis vicibus documentum sanationis cum attestatione peractae executionis diligenter custodiatur in Curia locali, nec non curet, nisi pro sua prudentia aliter iudicaverit, ut in libro baptizatorum paroeciae, ubi pars catholica baptismum recepit, transcribatur notitia sanationis matrimonii, de quo actum est, cum adnotatione diei et anni.

Mens autem est S. Officii ut Episcopus hanc facultatem per se ipsum personaliter exerceat, scilicet nemini subdeleget. In singulis praefatis sive sanationibus sive dispensationibus concedendis, Episcopus vel Ordinarius expressam faciat mentionem apostolicae delegationis (*Cod. I. C.*, can. 1057).

Ordinarius in fine cuiuslibet anni referat ad S. C. S. Officii de numero et specie dispensationum vigore praesentis Indulti elargitarum.

II. - Facultates S. Congr. de disciplina Sacramentorum

Sanctissimi Domini Nostri Pii divina Providentia Pii XI Auctoritate,

....

....

Sacra Congregatio de Disciplina Sacramentorum, susceptis precibus ab Ordinario.... rite commendatis, quibus postulabat concessionem specialium facultatum matrimonialium, habita ratione.... eidem Ordinario infrascriptas communicat facultates, quibus, sive per se sive per alias idoneas ecclesiasticas personas ad hoc specialiter deputandas, uti poterit in matrimoniis contrahendis et nulliter contractis

cum suis subditis ubique commorantibus et aliis omnibus in proprio territorio actu degentibus, facta in unoquoque casu expressa mentione huius apostolicae delegationis ad normam Can. 1057 :

1° Dispensandi *iusta et rationabili ex causa* super matrimonialibus impedimentis minoris gradus quae in Can. 1042 recensentur, nec non super impedimentis impedientibus de quibus in Can. 1058 ad effectum tantum matrimonium contrahendi.

2° Dispensandi *ex gravi urgentique causa* quoties periculum sit in mora et matrimonium nequeat differri usque dum dispensatio a Sancta Sede obtineatur super impedimentis infra recensitis :

a) consanguinitatis in secundo aut in tertio cum primo mixtis, dummodo nullum exinde scandalum aut admiratio exoriatur ;

b) consanguinitatis in secundo lineae collateralis gradu ;

c) affinitatis in primo lineae collateralis gradu aequali vel mixto cum secundo ;

d) publicae honestatis in primo gradu, dummodo nullum subsit dubium quod coniux esse possit proles ab altero contrahentium genita.

3° Dispensandi tempore et in actu Sacrae Pastoralis Visitationis aut Sacrarum Missionum, et non ultra, super omnibus matrimonialibus impedimentis supra memoratis cum iis qui in concubinatu vivere reperiuntur.

4° Sanandi in radice matrimonia nulliter contracta ob aliquot ex impedimentis iuris ecclesiastici maioris vel minoris gradus, exceptis iis provenientibus ex sacro Presbyteratus Ordine et affinitate in linea recta, matrimonio consummato, si magnum adsit incommodum requirendi a parte ignara nullitatis matrimonii renovationem consensus, dummodo prior maritalis consensus perseveret et absit periculum divortii ; monita tamen parte conscia impedimenti de effectu huius sanationis et debita facta adnotatione in libro baptizatorum et matrimoniorum.

In usu facultatum de quibus in praesenti folio prae oculis habeantur quae in Can. 1048 ad 1054 statuta reperiuntur.

Curet Ordinarius in singulis praefatis concedendis dispensationibus, ut nupturientes qui pares solvendo inveniantur aequam oblationem iuxta vires persolvant in obsequium Sanctae Sedis. Idem autem Ordinarius, in fine cuiuslibet anni, referat ad hanc Sacram Congregationem de numero et specie dispensationum quas vigore praesentis Indulti Ipse fuerit elargitus et summam oblationum transmittat, salvo praescripto Canonis 1056.

Pro facultate dispensandi super impedimentis mixtae religionis et disparitatis cultus, sive singillatim sumptis sive cum aliis impedimentis concurrentibus, recurrendum ad Sanctum Officium.

Praesentibus duraturis usque ad annum quo ab Ordinario fieri debet proxima *Relatio dioecesana*, quousque nempe occasione praefatae relationis prorogationem harum facultatum petierit et obtinuerit.

Datum Romae, ex aedibus eiusdem Sacrae Congregationis die.... 192 .

III. - Facultates S. Congr. Concilii

Sacrae Congregatio Concilii Ordinario ____________________

____________________ facultatem ad quinquennium duraturam concedit :

1. Reducendi per quinquennium, ob diminutionem redituum, perpetua missarum onera ad rationem eleemosynae in dioecesi legitime vigentis, quoties nemo sit qui de iure teneatur et utiliter cogi queat ad eleemosynae augmentum, et sub lege ut de missarum ita reductarum satisfactione a singulis celebrantibus Curia dioecesana quovis anno legitime doceatur ;

2. Transferendi per quinquennium intra fines dioecesis onera missarum in dies, ecclesias vel altaria alia a fundatione statuta, dummodo adsit vera necessitas nec divinus cultus idcirco minuatur aut populi commoditati praeiudicium inferatur, exceptis tamen legatis quae in certis locis adimpleri facile possunt per eleemosynae augmentum, et cauto ut de translatarum missarum satisfactione quovis anno Curia dioecesana a singulis celebrantibus legitime doceatur ;

3. Transferendi per quinquennium exuberantia missarum onera etiam extra dioecesim, cauto tamen ut quam maximus missarum numerus intra fines dioecesis celebretur atque adamussim serventur praescripta Codicis iuris canonici circa cautelas adhibendas in missis committendis ;

[4 .... (1).]

4. Permittendi ut privata matutini cum laudibus recitatio anticipari possit ab hora prima post meridiem, quoties adsit rationabilis causa ;

5. Permittendi alienationem bonorum ecclesiasticorum usque ad summam capitalem 10.000 dollariorum pro Statibus Americae foederatis et ditione Canadensi ; et 15.000 *pesos* pro America Meridionali aliisque regionibus, hoc vero quatenus necessitas adsit et tempus non suppetat recurrendi ad S. Sedem, edocta, statim ac effecta fuerit alienatio, eadem S. Sede de alienatione ita peracta (2).

Datum Romae, ex Secretaria eiusdem S. Congregationis die ....

N. B. Iuvat hanc conexam facultatem addere, una cum formula libelli supplicis cui respondet :

Beatissime Pater,....... humiliter exponit in sua dioecesi non nulla perpetua Missarum onera, praesertim propter diminutionem redituum vel inopiam eorum qui ad onera implenda tenentur, annis praeteritis neglecta fuisse et in posterum adimpleri facile haud posse. Postulat proinde facultatem absolvendi quoad praeteritum ac eadem onera reducendi quoad futurum.

S. Congr. Concilii, attentis expositis.... oratori benigne indulget ut super enunciatis praeteritis omissionibus vere pauperes absolvere possit, imposita tamen singulis, iuxta uniuscuiusque vires et culpae gravitatem, obligatione alicuius numeri Missarum aut, si ad hoc impares sint, piarum precum et operum in suffragium eorum quibus debeatur ; pariter facultatem eidem oratori concedit ad quinquennium duraturam, ut ipsa Missarum onera in expositis adiunctis, et quoties nemo sit qui ad eleemosynae supplementum de iure teneatur et utiliter cogi queat, per quinquennium reducere valeat ad rationem eleemosynae in dioecesi legitime vigentis, sub lege ut de Missarum sic reductarum adimplemento Curiam quotannis docere singuli indultarii teneantur.

Datum Romae, die ....

IV. - Facultates S. C. de Religiosis

1. Facultas dispensandi super illegitimitate natalium ad ingrediendum in Religionem, quatenus a Constitutionibus Instituti requiratur, dummodo non agatur de prole sacrilego commercio orta, ad petitionem Superiorum, et dispensati ad munia maiora ne eligantur iuxta praescriptum can. 504.

2. Facultas permittendi celebrationem trium Missarum de ritu in nocte Nativitatis D. N. I. C. in ecclesiis religiosorum non comprehensis in can. 821, § 3, cum facultate pro adstantibus ad S. Synaxim accedendi, ita tamen ut dictae tres Missae ab uno eodemque Sacerdote celebrentur.

---

(1) Facultates Ordinariorum Italiae nunc recognoscuntur ; quare in praesenti omittimus facultatem sub numero [4 positam quae propria erat Ordinariorum Italiae].

(2) Quarta et quinta facultas pertinent ad formulam III et IV.

3. Facultas dispensandi super aetatis excessu pro admittendis ad habitum religiosum, quatenus a Constitutionibus Instituti requiratur, praevio in singulis casibus consensu Superiorissae Generalis vel Provincialis, et respectivi Consilii, dummodo postulantes aetatem 40 annorum ne excesserint et polleant ceteris qualitatibus requisitis.

4. Facultas dispensandi super defectu aetatis canonicae ad S. Ordinem Presbyteratus, non ultra ... (16) menses, etiam pro Religiosis exemptis, dummodo a suis Superioribus litteras dimissoriales acceperint et quatenus ordinandi ceteras qualitates habeant a SS. Canonibus requisitas et praesertim curriculum theologicum expleverint ad normam canonis 976, § 3° Codicis I. C. (1).

5. Facultas dispensandi super dotis defectu cum Monialibus et Sororibus in toto vel in parte, dummodo status oeconomicus Instituti detrimentum ne patiatur, et postulantes talibus sint praeditae qualitatibus, ut eas magnae utilitati Instituto fore certa spes habeatur.

6. Facultas confirmandi Confessarium ad quartum et quintum triennium, dummodo maioris partis Religiosarum, convocatis etiam iis, quae in aliis negotiis ius non habent ferendi suffragium, consensus capitulariter ac per secreta suffragia praestandus, prius accedat, aliter proviso pro dissentientibus, si quae sint ac velint.

7. Facultas permittendi celebrationem SS. Missae Sacrificium Feria V in Coena Domini, facta licentia personis habitualiter in Communitate commorantibus sese reficiendi S. Synaxi, etiam ad adimplendum praeceptum paschale.

8. Facultas permittendi Monialibus descensum in ecclesiam, ut ipsae eam maiori sollertia mundare et decorare possint, exeuntibus prius ab ecclesia extraneis omnibus, non exceptis ipsis Confessario et Monasterio inservientibus et extra clausuram degentibus, portae illius claudantur et claves Superiorissae tradantur Moniales vero semper binae sint et porta per quam aditus interior ad ecclesiam patet, duplici clavi claudatur, quarum una a Superiorissa, altera a Sanctimoniali ab Ordinario deputanda custodiatur et non aperiatur nisi in casibus enunciatis et cum praescriptis cautelis.

9. Facultas permittendi Monialibus egressum e claustris urgente casu operationis chirurgicae subeundae, quamvis non secumferat periculum mortis imminentis aut gravissimi mali, per tempus stricte necessarium, praescriptis debitis cautelis.

V. - Facultates S. Congr. Rituum

1. Deputandi sacerdotes, si fieri potest, in aliqua ecclesiastica dignitate constitutos ad altaria fixa et portatilia consecranda, servato ritu et forma Pontificalis Romani; et quoad altaria portatilia, etiam adhibita sola rituali formula breviori approbata (2).

2. Deputandi sacerdotes, si fieri potest, in aliqua ecclesiastica dignitate constitutos, ad altaria fixa et portatilia exsecrata consecranda, adhibita breviori formula B. pro casibus can. 1200, § 2 Cod. I. C.; dum in casu can. 1200, § 1, iam indulta fuit per ipsum canonem facultas, et adhibenda est formula A.

3. Deputandi sacerdotes, si fieri potest, in aliqua ecclesiastica dignitate constitutos, ad consecrandos calices et patenas; servato ritu et forma Pontificalis Romani.

4. Quando in Missa Hebdomadae Maioris dicitur PASSIO, pro sacerdotibus qui binas Missas, praehabita facultate, celebrant, legendi in una Missa tantum ex PASSIONE postremam partem (ALTERA AUTEM DIE etc.) praemissis: MUNDA COR MEUM, etc. — SEQUENTIA SANCTI EVANGELII SECUNDUM (MATTHAEUM).

---

(1) Haec facultas in formula I omittitur.

(2) In form. I solae facultates hic n. 2, 4, 11 et 12 positae conceduntur. In form. II et III, 1 et 3 fac. sic sonat: « Deputandi vicarium generalem vel alium sacerdotem in aliqua dignitate ecclesiastica constitutum... »

5. Benedicendi nuptias extra Missam vel recitandi preces super coniuges, iuxta formulas approbatas, cum potestate subdelegandi.

6. Benedicendi et imponendi quinque scapularia sub unica formula, cum potestate subdelegandi.

7. Benedicendi et imponendi quinque scapularia sub unica formula absque recursu ad Ordinarios seu Congregationes religiosas competentes, et sine onere inscriptionis in casibus magni concursus, tempore exercitiorum et missionum spiritualium, cum potestate subdelegandi.

8. Benedicendi sacra olea cum minori numero sacrorum ministrorum, Feria V IN COENA DOMINI (pro Episcopo celebrante).

9. Permittendi thurificationem in Missa cantata absque sacris ministris.

10. Permittendi usum Memorialis Rituum Benedicti PP. XIII in Ecclesiis seu Oratoriis publicis et semipublicis (non parochialibus vel quasi parochialibus) in functionibus Tridui Maioris Hebdomadae et in Benedictione Cinerum, Candelarum et Palmarum.

11. Benedicendi obiecta pietatis, signo crucis, pro Episcopo seu Ordinario servatis ritibus ab Ecclesia praescriptis. Occasione tamen visitationis pastoralis et quando multi petunt, et plura ac varia exhibent eiusmodi obiecta benedicenda, saepe etiam cum diversis formulis, hisce in casibus permittitur unica et brevis formula ab Episcopo seu Ordinario recitanda, dum facit signum crucis super obiecta nempe : « Benedicat haec omnia Deus Pater, Filius et Spiritus Sanctus, Amen. »

12. Celebrandi Missam de Requie lectam semel in Hebdomada ab Episcopo seu Ordinario, in proprio Oratorio ; dummodo non occurrat festum ritus duplicis, primae aut secundae classis, Dominica aut festum de praecepto etiam suppresso, necnon Octava privilegiata, Feria Quadragesimae, Quattuor Temporum, II Rogationum, Vigilia aut Feria in qua anticipanda vel primo reponenda est Missa Dominicae ; servatis de cetero Rubricis.

INDEX

FACULTATUM QUINQUENNALIUM

Quas Sacra Poenitentiaria Apostolica Ordinariis locorum concedit.

LAURENTIUS
TITULI S. PANCRATII
S. R. E. PRESBYTER CARDINALIS LAURI
SS. DD. Nostri Papae et S. Sedis Apostolicae
MAIOR POENITENTIARIUS

Tibi Dilecto in Christo Ordinario .... facultates, quae in his litteris continentur, communicamus, ad quinquennium, a data praesentium computandum, duraturas.

Datum Romae, ex aedibus Sacrae Poenitentiariae, die ....

(Gratis).

I. Absolvendi quoscumque poenitentes (exceptis haereticis haeresim inter fideles e proposito disseminantibus) a quibusvis censuris et poenis ecclesiasticis ob haereses tam nemine audiente quam coram aliis externatas incursis, postquam tamen poenitens magistros ex professo haereticalis doctrinae, si quos noverit, ac personas ecclesiasticas et religiosas, si quas hac in re complices habuerit, prout de iure, denunciaverit; et quatenus ob iustas causas huiusmodi denunciatio ante absolutionem peragi nequeat, facta ab eo seria promissione denunciationem ipsam peragendi cum primum et quo meliori modo fieri poterit, et postquam in singulis casibus haereses coram absolvente secreto abiuraverit; iniuncta pro modo excessuum gravi poenitentia salutari cum frequentia sacramentorum, et obligatione se retractandi apud personas coram quibus haereses manifestavit, atque illata scandala reparandi.

II. Absolvendi a censuris et poenis ecclesiasticis eos qui libros apostatarum, haereticorum aut schismaticorum, apostasiam, haeresim aut schisma propugnantes, aliosve per Apostolicas Litteras nominatim prohibitos defenderint aut scienter sine debita licentia legerint vel retinuerint; iniuncta congrua poenitentia salutari ac firma obligatione supradictos libros, quantum fieri poterit, ante absolutionem, destruendi vel Ordinario aut confessario tradendi.

III. Absolvendi a censuris eos qui impediverint directe vel indirecte exercitium iurisdictionis ecclesiasticae sive interni sive externi fori, ad hoc recurrentes ad quamlibet laicalem potestatem.

IV. Absolvendi a censuris et poenis ecclesiasticis circa duellum statutis in casibus dumtaxat ad forum externum non deductis; iniuncta gravi poenitentia salutari et aliis iniunctis, quae fuerint de iure iniungenda.

V. Absolvendi a censuris et poenis ecclesiasticis eos qui nomen dederint sectae massonicae aliisque eiusdem generis associationibus, quae contra Ecclesiam vel legitimas civiles potestates machinantur; ita tamen ut a respectiva secta vel associatione omnino se separent eamque abiurent; denuntient, iuxta can. 2336, par. 2, personas ecclesiasticas et religiosas si quas eidem adscriptas noverint; libros, manuscripta ac signa eamdem respicientia, si qua retineant, in manus absolventis tradant, ad S. Officium quamprimum caute transmittenda aut saltem, si iustae gravesque causae id postulent, destruenda; iniuncta pro modo culparum gravi poenitentia salutari cum frequentatione sacramentalis confessionis et obligatione illata scandala reparandi.

VI. Absolvendi a censuris et poenis ecclesiasticis eos qui clausuram Regularium utriusque sexus sine legitima licentia ingressi fuerint, necnon qui eos introduxerint vel admiserint; dummodo tamen id factum non fuerit ad finem utcumque graviter criminosum, etiam effectu non secuto, nec ad externum forum deductum; congrua pro modo culpae poenitentia salutari iniuncta.

VII. Dispensandi ad petendum debitum coniugale cum transgressore voti castitatis perfectae et perpetuae, privatim post completum XVIII aetatis annum emissi, qui matrimonium cum dicto voto contraxerit, huiusmodi poenitentem monendo, ipsum ad idem votum servandum teneri tam extra licitum matrimonii usum quam si coniugi supervixerit.

VIII. Dispensandi super occulto criminis impedimento, dummodo sit absque ulla machinatione, et agatur de matrimonio iam contracto; monitis putatis coniugibus de necessaria consensus secreta renovatione, ac iniuncta gravi et diuturna poenitentia salutari.

Item dispensandi super eodem occulto impedimento, dummodo pariter sit absque ulla machinatione, etiam in matrimoniis contrahendis, iniuncta gravi et diuturna poenitentia salutari.

IX. Dispensandi ab irregularitate ex homicidio voluntario aut abortu, de qua in can. 985 par. 4, sed ad hoc tumtaxat ut poenitens ordines iam susceptos sine infamiae vel scandali periculo exercere queat; iniuncto eidem poenitenti onere

intra mensem, saltem per epistolam, per alium vel per se, reticito nomine, docendo de omnibus casus circumstantiis, et praesertim quoties delictum patraverit, ad S. P. recurrendi et standi eius mandatis.

X. Concedendi, suetis sub conditionibus :

A) Plenariam Indulgentiam, lucrandam a christifidelibus, qui

a) Missae, in Pontificalibus ab Ordinario celebratae, die ab ipsemet Ordinario semel in anno in singulis dioecesis locis designanda, adstiterint ;

b) ecclesiam vel publicum aut semipublicum oratorium, in actu quo ibi Ordinarius pastoralem Visitationem peregerit, devote visitaverint ;

c) tempore dioecesanae Synodi, visitaverint ecclesiam, in qua ipsa Synodus habetur ;

d) die generalis communionis, semel in anno, in ecclesia cathedrali vel alia ecclesia ab Ordinario indictae, sacris Epulis ibidem reficiantur ;

e) tempore Missionum, quae, de Ordinarii licentia in dioecesi habentur, saltem dimidium sacrarum concionum audierint ;

B) Partialem Indulgentiam CC. dierum, acquirendam ab iis, qui cuilibet ex concionibus, de quibus supra sub litt. e), devote interfuerunt.

Adnotanda. 1° Ordinarius recensitis facultatibus, tum absolvendi a censuris tum dispensandi, pro foro conscientiae, etiam extra sacramentalem confessionem cum suis subditis, et extra dioecesim quoque, quatenus vel ipsi vel subditus vel uterque extra dioecesim fuerint ; necnon cum non subditis intra limites proprii territorii, ex Speciali Sedis Apostolicae auctoritate ipsi concessa, uti valebit ; easque intra fines dioecesis tantum canonico Poenitentiario necnon Vicariis Foraneis, pro foro pariter conscientiae et in actu Sacramentalis confessionis dumtaxat, etiam habitualiter, si ipsi placuerit, aliis vero confessariis cum ad ipsum Ordinarium in casibus particularibus poenitentium recursum habuerint, pro exposito casu impertiri poterit, nisi ob peculiares causas aliquibus confessariis specialiter deputandis per tempus, arbitrio suo statuendum, illas communicare iudicabit.

2° Ordinarius facultatem praefatas Indulgentias concedendi nemini delegare potest, sed per se ipse tantum exercere debet.

De Taxis solvendis

Nulla taxa exigitur pro facultatibus S. Paenitentiariae vel pro facultate circa libros prohibitos.

Nisi, attenta paupertate vel alia iusta causa, pro prudenti iudicio ac conscientia Ordinarii, taxae moderandae aut dispensandae erunt, pro ceteris indultis, vigore praesentium facultatum, taxa exquiri solita est. Summa taxarum perceptarum in fine cuiuslibet anni ad S. Sedem transmittatur, distincte referendo quaenam ad singulas SS. CC. spectent. Pro quolibet indulto Ordinarius taxam 5 lib. pro suis vel dioecesis necessitatibus addere potest, tamquam modicam praestati nem can. 1056 permissam.

CONCORDANTIA NUMERORUM SECUNDAE, TERTIAE ET QUARTAE EDITIONIS

EDIT. 2 ET 3.	EDIT. 4.	EDIT. 2 ET 3.	EDIT. 4.	EDIT. 2 ET 3.	EDIT. 4.
67	73	134	131	662	663
68	74	135	132	663	661. 664-666
69	75	136	137	664	666
70	76	137	138	665	666
71	67	138	133	666	668
72	68	139-146	id.	667	667. 668. 682
73	69	147	148	668	667
74	70	148	147	669	669
75	71	$154,_3$	156	670	669
76	72	155	$154,_5$	671	670
93	93. 94	156	155	672	672
94	95	194 II	197 bis	697	712
95	96	553	554	698	699
96	97	554	553	699	697
97	94	581. 582	582. 581	700	698
115	118	589	596	701	711
116	115	590	589	702	700
117	116	591	590	703	701
118	117	592	591	704	702
125	125-126	593	592	705	703
126	127	594	593	706	704
127	128	595	594	707	705
128	129	596	595	708	706
129	130	657	664	709	707
130	131. 132	658	664	710	708
131	133. 134	659	657	711	709
132	135	660	658-662	712	710
133	136	661	663	713	713

INDEX CANONUM

N. B. 1. Numeri indicantur marginales.

2. Quando Codex in uno canone alios *explicite* allegat, numerus commentarii istorum non datur, quippe qui ex reliquo indice statim inveniri possit.

CAN.	NUMERI	CAN.	NUMERI	CAN.	NUMERI	CAN.	NUMERI
657	753 757	674	562 771	691	787 789	708	806 808
658	753 757	675	772	692	789 793	709	806
659	753 757	676	775	693	789 791 794	710	802
660	753 757	677	776	694	789 792	711	803 807
661	753 757	678	777	695	789 792	712	803
662	753 757	679	778	696	787 792 789	713	803 806
663	757	680	779	697	789 790	714	806
664	757	681	780	698	787 795	715	789 806
665	757	682	782 684	699	787 797	716	804
666	757	683	783 685	700	796	717	804
667	758	684	784 686	701	797	718	806
668	750 757 759	685	785	702	796 798	719	805
669	763	686	600 785, s.	703	800	720	810
670	763	687	785 789	704	791 800	721	810
671	763	688	787	705	791 800	722	811
672	764	689	787	706	800	723	811
673	769, s.	690	787	707	796	724	812
						725	810

INDEX

RESPONSORUM PONTIF. COMMISSIONIS INTERPR. DE ARGUMENTIS HUIUS VOLUMINIS

Canon	Responsum	AAS (1)	Per. (2)	Epitome I (3)
4	2-3 iun. 1918	X (1918), 346	IX, 150	n. 54
6	16 oct. 1919	XI (1919), 476	X, 99	56
10	16 oct. 1919	XI (1919), 476	X, 99	71. 72
33, § 1	10 nov. 1925	XVII (1925), 582	XIV, 176	118
93	14 iul. 1922	XIV (1922), 526	XI, 162	183, 4
106, 3°	10 nov. 1925	XVII (1925), 582	XIV, 177	198, 3
130, § 1	14 iul. 1922	XIV (1922), 526	XI, 162	218
139, § 3	2-3 iun. 1918	X (1918), 344	IX, 149	223, 2
139, § 4	25 apr. 1922	XIV (1922), 313	XI, 126	223, 3
180, § 1	1 iul. 1922	XIV (1922), 406	XI, 127	259
189. 191	14 iul. 1922	XIV (1922), 526	XI, 166	267. 269
199, § 1	16 oct. 1919	XI (1919), 477	X, 100	280
216, § 4	20 maii 1923	XVI (1924), 113	XIII, 78	292, 3
349	12 mart. 1929	XXI (1929), 170	XVIII, 172	416
395, § 1	16 oct. 1919	XI (1919), 477	X, 100	452
396, § 1	1 iul. 1922	XIV (1922), 406	XI, 127	454
403	10 nov. 1925	XVII (1925), 582	XIV, 177	458
404	26 nov. 1922	XV (1923), 128	XIII, 82	458
411 § 3	24 nov. 1920	XII (1920), 573	X, 249	451
420	20 maii 1923	XVI (1924), 113	XIII, 79	476
421, n. 1	24 nov. 1920	XII (1920), 573	X, 249	472
450, § 2	10 nov. 1925	XVII (1925), 582	XIV, 177	488
459, § 3, 3°	24 nov. 1920	XII (1920), 573	X, 250	472. 499
460	14 iul. 1922	XIV (1922), 527	XI, 163	500
462, n. 7	12 nov. 1922	XIV (1922), 661	XI, 181	503
	14 iul. 1922	XIV (1922), 527	XI, 163	
	10 nov. 1925	XVII (1925), 582	XIV, 177	503, 8
465, § 4 et 5	20 maii 1923	XVI (1924), 113	XIII, 80	507, 2, 3°
466. 473	14 iul. 1921	XIV (1922), 528		
		et XVI (1924), 114	XI, 164	517
472-476	20 maii 1923	XVI (1924), 114	XIII, 80	516. 549

(1) Damus sola responsa quae, in AAS inserta, sic promulgata sunt.
(2) A. Vermeersch, S. I., *Periodica de re canonica et morali.*
(3) Sive ibi allegetur, sive saltem de argumento tractetur.

Canon	Responsum	AAS	Per.	Epitome I
505	2-3 iun. 1918	X (1918), 344	IX, 149	n. 320
506, § 2	24 nov. 1920	XII (1920), 573	X, 250	579
512, § 2	24 nov. 1920	XII (1920), 573	X, 250	581, 2
522	24 nov. 1920	XII (1920), 573	X, 250	594
522	28 dec. 1927	XX (1928) 61,	XVII, 37	594
535	24 nov. 1920	XII (1920), 573	X, 251	610
542, I	16-29 oct. 1919	XI (1919), 476	X, 101	625
542, 2°	10 nov. 1925	XVII (1925), 582	XIV, 177	639
555, § 1, 2	12 nov. 1922	XIV (1922), 661	XI, 182	660
567, § 1 et 578, n. 1	16-29 oct. 1919	XI (1919), 476	X, 101	664. 681
569, § 1	16-19 oct. 1919	XI (1919), 476	X, 101	667
572, § 1, 6°	1 mart. 1921	XIII (1921), 177	X, 326	673
590	14 iul. 1922	XIV (1922), 526	XI, 162	691
597-600	1 mart. 1921	XIII (1921), 177	X, 326	703
621, § 1	16-29 oct. 1919	XI (1921), 476	X, 101	724
631	14 iul. 1922	XIV (1922), 526	XI, 164	734
638-640	12 nov. 1922	XIV (1922), 661	XI. 182	739
642	24 nov. 1920	XII (1920), 573	X, 251	742
647-649	1 mart. 1921	XIII (1921), 177	X, 325	749
681	1 mart 1921	XIII (1921), 177	X, 325	780
711, § 2	6 mart 1927	XIX (1927), 161	XVI, 55	807
2386. 2387. 2399	2-3 iun. 1918	X (1918), 347	IX, 151	781

